



PRESENTED TO THE
*3786.6
Public Library of the City of Boston
SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS.
BOSTONIA
CONDITA AD.
1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA AD. 1822.
By Joshua Bates, Esq.
Received Sept. 3. 1858 No. 30274

HISTORIA NOVI ET ADMIRABILIS FONTIS BALNEIQVE BOLLENSIS IN DVCATV

Vvirtembergico ad acidulas Goepingenſes:

MANDATO

ILLVTRISS. PRINCIPIS AC D.D. FRID. DVCIS VVIRTEMBERG. ET TECCENSIS, Comitis Montisbelig.&c.ac EQV.ORD.REG.GALL.ad ſubditorum omniumq́ vicinorum & exterorum emolumentum ob vires inſignes adornati,

A IOANNE BAVHINO ILL. *eius* CELS. Medico conſcripta.

Cuius ſanè vtilitas non in eos tantum, qui prædicto fonte, ſed alijs etiam medicatis aquis ſunt vſuri, redundabit maxima: vſui etiam in multorum morborum curationibus citra balneas futura.

Adijciuntur plurimæ figuræ nouæ variorum foſsilium, ſtirpium & inſectorum, quæ in & circa hunc fontem reperiuntur.

MONTISBELIGARDI

ANNO

M. D. XCIIX.

ILLVSTRISS. PRINCIPIBVS IOANNI FRIDERICO, AC LVDOVICO FRIDERICO, Illuſtriſs. Princip. FRIDERICI Ducis Vvirtemberg. & Teccenſis, Comitis Montisbelig. ac Equitis Ordinis Regis Galliarum, &c. Filijs, Dominis ſuis Clementiſsimis.

ILLVSTRISSIMI *Principes, clemētiſſimiq́ Domini, cum ipſa Natura ſit Dei ordinatio, & ad omnes res creatas fouendas & conſeruandas in ſuo genere aptiſſima & diligentiſſima ratio: non leui ſanè contumelia diuinam Maieſtatem afficiunt, qui propter humanarum ærumnarum multitudinem, eam Nouercam eſſe dicunt. Quamuis enim multi varijq́ in rebus humanis defectus cōſpiciantur: attamen mortaliū vitio, non Naturæ, multò minus Deo adſcribēdi ſunt. Qui licet iuſto iudicio homines ſubinde puniat, tantarū tamē calamitatū diluuio nō delectatur: quin in ira ſua miſericordiæ recordetur. Quod vt veriſſimum, ita probatu facilimum eſt. Nam miſertus Adami & Euæ parentum noſtrorum, qui ſua inobedientia ſibi & nobis labores, morbos, mortem deniq́ temporalem & æternam promeriti ſunt, dedit non ſolū ſummum & vnicum illud benedictum ſemē promiſſū Filium ſuū* IESVM CHRISTVM *θεάνθρωπον Saluatore noſtrū: verum etiam (vt eſt verus in neceſſitate opitulator) multa creauit & demonſtrauit remedia in terris, ordinaria & extraordinaria, quibus genus humanū vti voluit ad ſubleuandā ſuæ miſerandæ ſortis multiplicem fragilitatem. Scriptum eſt Eccleſ. 38. Honora Medicū propter neceſſitatem: nam eum creauit Dominus. Eſt enim à Supremo medicina, & à Rege ſtipendium accipit. Medici ſciē*

tia, eius caput extollit, ita vt proceribus sit admirationi. Dominus creauit ex terra medicamēta, quæ prudēs homo non fastidit. Nonne ligno dulces reddidit aquas amaras, vt eius vis hominibus cognosceretur? Gen. 6 Et iam hominū multitudo per Orbem crescere incipiebat: quibus cum filiæ nascerentur, earū pulchritudine capti hominum potentißimi, eligebant ex omni numero quas ducerent vxores. Tum Dominus dixit. Non perpetuò contendam animo cum hominibus, qui caro sunt: itaq; erit eorum ætas centum viginti annorum. Erant ea tempestate in terris Gigantes, & ex illis potentum connubijs nati sunt Heroes, homines ab omni memoria celebres, &c. Cum videret DEVS orbem terrarum esse corruptißimum, & in terris mortaliū perditißimos mores, cum Noâ sic locutus est, Omnium mihi rerum humanarum interitus statutus est, vt quorum iniusticia terra ipsa referta est, eos ego cum terra ipsa aboleam. Tu construito tibi arcam &c. DEVS ob horrendas scortationes & abominabile Sodomiticum dictum peccatum, Sodomam & Gomorrham & omnem circa regionem sulphure subuertere voluit, misit Angelos qui educerent Loth cum vxore & filiabus. Gen. 19. Abrahamo fame vrgente subuenit. Gen. 12. & Iacobo Gen. 43. Populo Israelitico crudeliter per Pharaonē Aegyptiorū Regē vexato, Deus exsiccauit mare Exod. 13. Cum bibere non posset aquas de Mara ob amaritudinem, Moses clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignū: quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Exod. 15. In deserto Manna de cælo pluit, Exod. 16. Sitienti fecit erumpere aquas è rupe, Exod. 17. Cum Dominus ei ignitos serpentes mortiferos misisset, fecit Moses serpentem æneū, & posuit eū pro signo, vt quisquis ab illis percussus hūc aspiceret, non moreretur Num. 21. Cum Philisthæi affligerentur in secretiori parte natiū, & à muribus ob captā Arcā: Sacerdotes Philisthæorum, ita permittente Deo, vtile remedium consulue-

consuluerunt, 1. Sam. 6. Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, leprosus, ex mandato Elisæi prophetæ lotus in Iordane septies, mundatus est à lepra, 2. Reg. 5. Dixit Dominus Deus per Prophetam, ægrotanti Regi Ezechiæ: Præcipe domui tuæ, morieris enim, & non viues. Qui conuertit faciem suam ad parietẽ & orauit DOMINVM: fleuit itaq; Ezechias fletu magno. Esaiæ autem dixit DOMINVS: Dic Ezechiæ: Audiui orationem tuam, & ecce sanaui te. Et dixit Isaias: afferte massam ficorum, quam posuit super vlcus eius & curatus est, 2. Reg. 20. Erat Ierosolimæ, (cum etiam esset corrupta & deprauata) probatica piscina, cognominata Bethtesda: in porticu iacebat multitudo magna languẽtium, cœcorum, claudorum, tabidorum, expectantium aquæ motionem. Angelus enim DOMINI, descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionẽ aquæ, sanus euadebat, à quacunq; detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos agens in morbo: Hunc cum vidisset IESVS iacentem, dicit ei: Vis sanus fieri? respondit ei: DOMINE, hominem nõ habeo qui me, dum turbata fuerit aqua inijciat in piscinam. Dixit ei IESVS: tolle grabatum tuum, & ambula, Ioan. 5. IESVS vidit hominem cæcum à natiuitate, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius & dixit ei: Vade & laua in natatoria Siloë. Abijt & lauit, & venit videns, Ioan. 9. Verùm hæc nimis prolixè: qui Sacras literas diligẽter legit, (vt tenemur omnes) multò plura inueniet & Saluatoris nostri, & Apostolorum miracula, in curandis morbis deploratis. Nũc videamus, an DEVS OPT. MAX. summè misericors, erga pœnitentes, non eadem præstiterit hôc, quæ primæuo illo seculo. Cum per totam Europam irrepsisset maxima barbaries & ignorantia in omnibus scientijs & artibus, suscitauit excellẽter doctos viros. Cùm venerea libido eò progressa esset, vt nõ

minor

minor videretur, quàm in Sodoma & Gommorrha, nec tamen in eam à magistratu amimaduerteretur, Deus immisit horrendum & fœdissimum morbũ Siphylidem, vt vocat Fracastorius, quæ nulli hominum generi pepercit, etiam in Reges & Principes iuxta ac vulgus grassata: idem misertus eorum varia largitus est remedia, antiquis quidem ignota, quæ nũc à multis eximijs Medicis literarum monimentis ad posteritatem prodita sunt. Cùm Sudor Anglicus extra natalium suorum limites progressus grassari latius cœpisset, ne tum quidem in deplorato malo defuit idem ille Deus, quin Medicos doctos, qui remedia conuenientia & inuenirent & adhiberent, excitauit. Cùm Scorbutus seu Scelotyrbe irrepsit, itidem noua remedia reperta, quibus tam crudeli malo obuiam est itum: de quibus cùm alij, tum omniũ doctissimè exercitatissimus pragmaticus Forestus. Cùm vexauit morbus, quem vocãt Varẽ, remedia cõmoda & mirabilia obseruata, de quibus Vvierus. Cũ febres malignæ Vngaricæ catarrhosæ obortæ sũt, quàm multa doctè scripta, &, Deo ita volẽte, noua remedia detecta? Cùm à paucis annis multi morbi consuetis medicamentis nõ cederent, fontes largitus est Deus medicatos, ad potum & balnea insignes: quales sunt aquæ Spadẽses, Langenschwalbachenses, Grisbachianæ, aliæq́. Sed præter has hodiè, etiam in Ducatu Vvirtembergico, operâ, labore ac vigilijs indefessis Illustriss. Principis ac Domini, Dn. FRIDERICI Ducis Vvirtembergici ac Teccij, Comitis Mompelg. &c. parentis vestr fontem exhibuit singularis vtilitatis, & non immeritò admiratione dignũ, propter mirabilem positum facultatemq́ ad plurimos grauissimosq́ morbos profligandos perquam salutarem. De quo, in exterorum gratiam quibus nondum innotuit, scribere statui: in eo tamen describendo, non sequar quorundam, qui hoc genus argumenti nostro seculo tractarunt, exemplum, qui quo sit opus commendatius, balnea sua & fon-

tes dilaudant, insignes ijs & mirabiles adscribunt vires, ex ipso terræ centro eorum originem metiuntur: metalla, ex quibus vel primum manant, vel quæ in decursu alluunt, nō tantùm tradunt: sed &, tāquam abyssos ipsas lynceis oculis penetrassent, ad libram quasi expensas singulorum metallorum proponūt portiones: suum scilicet secuti cerebrum, vt hoc splēdido fuco sibi doctrinæ exquisitioris apud imperitū vulgus nomen & famam, ceu alijs omnibus sapientiores, concilient: cùm interim si ad examē reuocentur accuratius, nihil minùs inuenire liceat, quam scriptorū cum rebus seu ipsis fontibus consensionem: sic vt eorum, quæ obscuris etiam verbis effutiūt, nihil aut parum in aquis propositis sis reperturus: siquidem quædam ab ipsis descripta balnea communi duntaxat aquâ seu dulci, non autem medicata constant, aut certé non ijs facultatibus sunt prædita, quæ ijs temerè tribuuntur, siue ab ijs qui non viderunt, siue, nullo habito examine mineralium & succorū, mistionē non sunt experti. Nos verò, ne quod alijs vitio vertimus, in nos possit retorqueri, ea scribemus tātùm, quæ vel ipsi vidimus, vel quibus fidem suo testimonio faciunt qui vsi sunt aut viderunt, vel quæ deniq; ratio dictabit ex metallorum consideratione succorúmue qui videbuntur admisti, aut quibus consimiles aquæ præditæ sunt. Qua in re nullam ego capto gloriolam, sed eo duntaxat fine profero, vt ex horum contēplatione, gratijs Deo agendis, largitori omnium bonorum, qui pœnitentes nunquā deserit ansam præbeam, vtq; ij qui hoc insigni fonte fruentur, diuinam Maiestatem pro longa vita & felicitate Illustriss. nostri Principis, vestri parentis Clementiss. precentur.

Hoc autē quicquid est operis, Illustrissimi Principes & Clementiss. Domini, magnorum & illustrium virorum suasu in vulgus emittere sub Celsit. V. nomine & volui & debui, non modò vt extaret mei erga Celsit. V. amoris & obedientiæ testi-

monium

monium, sed & vt paterni & indefessi studij commune omniũ bonum spectantis, hoc opusculo legendo, præ oculis exemplũ haberetis. Quibus enim laboribus? quibus sumptibus parcit, vt subditorum non modò corporibus, sed etiam mẽtibus sua constet sanitas? ex quo videtis & Deum hoc negotiũ promouere, variaq́ & multiplici huius Bollensis fontis, his demum postremis annis Vvirtembergæ & Mompelgardi incolis vtilitate patefacta, tanquã signo dato, quid de vobis sperandum sit, edicere: vt sub idem tẽpus & nostri Admirabilis fontis riuuli & vestræ scaturigines promanarint: quo enim vos alio appellem nomine, quàm ex Illustriss. parente vestro tanquam elices deductos, eundem cum fonte vestro saporem sapientes? Vnde enim tam diligẽs animorum vestrorum cultus & educatio in liberalibus studijs, quàm à sollicitudine illius, qui vos non solùm sibi, sed suis procreauit? ac ne licentiâ corrupti aulica perditum vos iretis, à charissimo suo conspectu, & à Clementissimæ parentis vestræ suauissima consuetudine vos remouit, vt faciliùs, quæ principes viros decẽt, absq́ impedimẽto disceretis: firmissima enim fulcra Reipub. Christianæ vos esse cupit, magnum quidem onus, sed honorificum, & cui ferendo sit non robur corporis, sed ingenij dotes studio & diligentia comparatæ: eruditio nimirum, virtus, prudentia, vera sapientia & animi fortitudo inuicta. Turpis semper & noxia Principi ignorãtia fuit, quæ aut animi ferociã, aut segnitiem mollitiemq́ (quibus totus collabitur conquassatus orbis) gignit. Proinde rebus humanis optimè cõsulunt qui, instar Illustriss. parentis vestri, totis viribus in id incumbunt, vt prosint non modò suo seculo dum viuunt, sed & posteritatis rationem habent. Et quoniam reliquis supereminent hominibus Principum filij, eo maiore laude digni sunt, quò diligentius animos bonis artibus imbuunt. Nam (vt reliqua taceã) cæteros adolescentes suo exemplo prouocant. Quare pergite

optim

optimæ ſpei Illuſtriſ. Principes in ſtudijs bonarum artium & fraternis officijs inter vos certate, vt ſolum Vvirtembergicum, quod vos fouet, & Mompelgardicum, quod vos ambos protulit, ad aſtra feratis: & quod munuſculum vobis humiliter offero, æqui boniq́ conſulite in Domino Ieſu, qui vos ſoſpites totamq́ familiam Vvirtēbergicā quàm diutiſſimè conſeruet. Mompelgardi Calend. Febr. 1598.

VV. Cels.

Obſeruantiſ. & humillimus
Cliens

Ioh. Bauhinus D.



MANDATUM
ILLVSTRISS. C. VVIR-TEMBERG. &c.
FRIDERICVS D. G. DVX VVIRTEMBERG. &c.
S.
DOCTISS. ATQVE DILECTO ET fideli IOANNI BAVHINO Medico nostro ordin.

Mittimus (doctiß. dilecte atq; fidelis noster BAVHINE) rursus historiarum quædã testimonia de nouo admirabili atq; salutari nostro fonte Bollensi: vtq; res tuas ita disponas vt sequenti autumno ad nos venire poßis, gratiosè mandamus. Omninò namque apud nos stat aquarum harum probationem exactiorẽ instituere, earũdẽq; naturam & vires te auctore describere atq; publicare, huncq; locum FONTEM vocare ADMIRABILEM. Ad quam rem tu, cui gratiosè fauemus, studia tua aptabis. Datæ Stutgardiæ Kal. Iulij. 1596.

LEGES BALNEI ADMIRABILIS BOLlensis, quas sanciuit Fridericus D. G. Dux Vuirtembergicus & Teccensis, Comes Montbelgardensis &c.



Cum diuina annuente gratia salutares aquarum venas & ad plurimos graues morbos, experientiâ teste, efficaces in territorio Bollēsi inuenerimus, cōmittere noluimus, (quæ nobis est sacræ paginæ monitorū, nostræque vocationis cura, & Christianus in cuiuscunque sortis homines, potissimum fidei nostræ & clientelę commissos, animus) vt neglectione interirent: quin verò id operam dedimus vt magno ære castello coercerētur, additis substructionibus nō minus magnificis quàm laxis, lauātibus nō tantùm hospitium liberale, verū & quicquid præterea ijs ex vsu fuerit, suppeditaturis. Quare leges has lauantibus alijsque ad balneū hocce versaturis religiosè obseruandas sciscimus, sancimus, edicimus.

I. Vt rectius tenuioris fortunæ hominibus, alijsque grauiter laborantibus, qui sumptus ferre nequeant, sit consultum, neque ab vsufructu salutarium aquarū excludantur, cauemus vt quotānis duodecim pauperibus valetudinarijs, é peregrinis sex, totidemque ê nostris subditis nostro ære liceat vsu aquarū frui: ea lege interim atq; omine vt prius chirographo magistratus sui morbi grauitatem testētur: quod vbi fecerint, tum verò Balneator loco præstituto cùm de solio tum de victu necessario nostris sumptibus illis prospiciet. Postquam autem duodecim illi siue simul omnes siue successiuè, quod satis sit nostro ære lauerint, Balneator plures eo anno nostris sūptib' ne alito, neúe duodenariū numerum transgreditor. Vicissim hosce speramus ad Deum preces seriò fusuros, vt porrò salutaribus aquis dignetur benedicere.

II. Per æstatem hora quinta matutina, per ver & autumnum septimâ, audito cāpanarum pulsu, Deū omnes precantor: idem vesperi dato signo horâ octauâ, sine offendiculo cuiusquam, pro sua quisque conditione, quâ decet modestiâ faciunto.

III. Alternis hebdomadis die Dominica, é Verbi diuini ministris vnus, inter meridiē & primam pomeridianam, concionē ad lauātes p horæ semissē habere tenetor, cuius argumētū pro

morborũ ſpecie variator: atque hic quidem nemo qui balneis vtitur, niſi ſontica cauſſa obſtet, impunè negligito.

IV. Quicũque quotieſcunq; nomẽ Dei fruſtra vſurpârit, blaſphemârit, Diabolum in ore habuerit, batzione mulctator, in ærarium huic negotio deſtinatum ſtatim inferendo.

V. Quicunque quemcunque diris deuouerit, vel execrationibus Diabolum teſtatus, vſus fuerit, vel pertinaciâ ſuâ alijs vt id faciant anſam præbuerit, quatuor batzionum ſine mora ærario inferendorum mulctam pendito.

VI. Obſcæna, vanaque verba, calumniæ, libelli famoſi, cantiones cum offendiculo coniunctæ, ſub pœna ſemifloreni interdicuntor: & quicunque quotieſcunque vel verbulo erga matronas virgineſque honeſtas impudicè ſe geſſerit floreno mulctator.

VII. Nemo ſiue lauantium, ſiue aſſeclarum, inquilinorum peregrinorumue, ſiue ſortis lautioris ſiue infimæ, ſiue is eccleſiaſticus ſit, ſiue (vt vocant) ſecularis, alium, quicunque tãdem is ſit, ex hoſpitio & quam latè patet balnearum circumſcriptio, prouocato, neue verbo, facto, obtrectatione famã lędito, quin potius locus hic aſylum eſto: idque, ne quiſquam ignorantiam facto ſuo prætendat, laminis ferreis quatuor ſeorſim locis Balnei affigendis inſcribitor.

VIII. Siquis verò alibi contractas cum alio inimicitias gerat, eas hoc loco ne refricato: aſyli autem violati reus pro ſorte ſua & delicti grauitate, abitu interdicitor, retinetor, aut in carcerẽ ducitor, à nobis cognita cauſſa feriò pro modo delicti caſtigãdus.

IX. Quod ſi inter lauantes alioſue rixæ, lites, pugnæ obortæ fuerint, conciliandæ cõcordiæ vnuſquiſque ſtudeto, aut ſi adeo neceſſe ſit, pacem noſtro nomine poſtulato: tum verò ad Balneatorem res defertor, ad iudices noſtros Gõpingenſes appellato, circumſtantiæ producũtor, vt quid facto opus ſit porrò rectius perſpiciatur. Iniuria quauis quacunque alia ratione affectus ad Balneatorẽ prędictoſq; Göppinigẽſes Iudices bona fide deferto.

X. A diſputationibus de religionis negotio, à ſermonibus cõtentioſis & parum acceptis, qui vel valetudinarijs vel aliàs lauantibus poſsint officere, ab aquarum per ſilanos tubuloſue ludicris eiaculationibus omnes abſtinento.

XI. Inſtrumentum balneatium, quod vnicuique conclaui ſuũ

est, situlas, patinas, & quicquid lauationis nomine cõductũ, nemo alteri subtrahito, nemo subtrahere conator.

XII. Quicunque ebrius repertus fuerit, dimidio floreno mulctator, quod si etiam per ebrietatem vnam pluresue legum nostrarum sanctiones transgressus fuerit, singularum seorsim pœnas luito.

XIII. Omnes promiscuè, quicunque tandem illi fuerint, mutuam pacem colunto, nec quisquam cuiquam, quo minus pro arbitrio & necessitate lauet, impedimento esto, neue conquerendi occasionem vllam prębeto.

XIV. Vnusquisque lauantium ante abitum cum Balneatore, vestiario, hospite, acceptorum expensorumque rationes subducito, nomina soluito.

XV. Quòd si quis lauantium vel assectarum quod conqueratur habeat de Balneatore, vestiario, hospite, eorumúe famulis, Iudices Gôppingenses, re audita, pro dignitate sententiam ferunto, aut si exigat necessitas, ad nos defertor.

XVI. Quoniam verò lauantium recreandorum causa grandi ære paradisum cõserendum apud Balneum curauimus, colendumque instituimus, nemo in eo, sub floreni dimidiati mulcta, quicquã rumpito, corrumpito, auferto, nemo pro suo arbitrio sine Balneatoris aut hortulani venia ingreditor: de hortis, bonisque subditorũ nostrorũ in vicinia, idẽ iudicium, eadẽ pœna esto.

XVII. Morbis horrendis & contagiosis laborantes, seorsim loco præstituto lauanto, maneto. Quibus vultus fœdus & abominabilis, eum in gratiam prægnantium aliorumque tectum seruanto: sin nolint, balneis cõtinuò interdicuntor, ablegantor.

XIIX. Nemo è locis de peste aut aëre impuro suspectis balneũ accedito, qui secus faxit, duodecim florenos, sin nõ potest, corpore pœnas dato.

XIX. Cęterùm quo strictiùs edicta nostra obseruentur, cauem⁹ vt iudices tã superiores quã inferiores Gœppĩgẽses inspectionis munere fungãtur, pręsertĩ verò de legibus sumptuariis & victu eis cura esto: quòd si quicquã interueniat querelarũ, reo quotiescunque deliquerit sine remissione mulctam irroganto. Ad id dicti Iudices delectum quempiam in balneas mittunto, qui extemplo mulctam exigat ærarioque inferat: qui si negligentię reus peractus fuerit aut sanctionum violatori cuipiam igno-

uerit, aut præuaricatus fuerit, ipsus talionis lege punitor: irrogatam mulctam de suo pendito, aut certè de salario eius tantumdem detrahitor, de singulis inquã batzionibus, quos fraude legi facta subduxerit, cruciger vnus. Porro quicquid mulctarum fuerit, id omne in gazophylaciũ ferreũ pręsentib⁹ ijs qui mulctã irrogãt, infertor, cui binę serę appésę sunto: totidẽ dissimilibus clauibus reserandæ, quarum altera penes Præfecti Göppingensis vicarium, altera penes Balneatorẽ reseruator. Quicquid autem in gazophylacium nũmorum fuerit illatum, siue é mulctis, siue congiarijs, id concione habita præsente Ecceliaste Bollensi duobusq́ue aut tribus alijs, pauperibus (in quorum censu erunt quoque egeni balneo vtentes, modo non sint vagabundi & errones, sed quorum paupertati & innocentię chirographum aliquod fide dignum attestatur) distribuitor.

XX. Balneator, Vestiarius, Hospes, eorumq́ue famuli ad ignẽ & candelas, ne quod incẽdium oboriatur, attenti sunto: eadem lauantibus, eorumq́ue seruis cautio dicta esto.

XXI. Inprimis autẽ Balneator & Vestiarius famulorum balnearium curam sedulam gerunto, vt suam quisque Spartam ornet, suum quisque munus, potissimum aquam calfaciendi, ligna curandi, balneas claudendi recludendique, obeat.

XXII. Balneator, simulatq́ue aduenę solium aut conclaue locârit, aut certè is in balneas venerit, eiusdem appulsum, nomen, abitum denique Iudicibus Göppingensibus significato.

XXIII. Concessum vnicuique aduenarum conclaue alteri ne traditor: quòd si verò is ad diem dictũ nõ appulerit, nihilo tamẽ minus censum pẽdito, quamdiu scilicet habitatore vacuum cõclaue in illius gratiam remanserit: cęterum Balneator & Vestiarius vltra dies quatuordecim conclaue reseruare ne tenentor.

XXIV. Quòd si aduena tẽpestiuè cõclaui renuntiârit, id quam primum Balneator Promo Göppingensi significato, locarium acceptum reseruato, maiorisq́ue certitudinis ergò, locationis diem, conuenta pactaque in commentarios referto.

XXV. Balneator, Vestiarius, linteaminum, lodicum, puluinariũ, culcitrarum, vt munda sint omnia, oportuneque mutentur, curam gerunto: eoque nomine Promus Göppingensis duos elẽchos parato omnis instrumenti linei & ad lectos facientis, alterum penes se reseruato, alterum Balneatori dato.

XXVI. Balneator, solij, labri, conclauis locarium ex census tabularum prescripto, omni hebdomade seuerè exigito, exactum singulis septimanis ad Promum Göppingensem bona fide trãsmittito, nihil in alios vsus impendito, vterque collatas inuicẽ rationes subducito. Promus soliorũ, labrorũ, conclauium locaria seorsim initio rationum suarum premittito.

XXVII. Tam Balneator quã Vestiarius, in rẽ tũ nostrã tũ virorũ bonorũ, & balnearũ fideles se præstanto, talesq; tã erga egenos quã diuites, vt in mũditie cõclauiũ, labrorũ, aliusq; omnis instrumẽti balnearij, nihil desiderẽt, nihil in amore, fide, beneuolentia.

XXVIII. Quod ad hospitem autẽ & aduenas excipiendi rationẽ, hospes & familia, erga aduenas tã pauperes quã opulentos, ex præscripto tabularum census, iusto precio cibos, potũ, aliaque necessaria exhibentes, fidos, benevolos, amicos sese præbento, tabulisque census contenti nullo modo aduenis graues sunto.

XXIX. Præcipuè verò Hospitis vxor & familia operam danto, vt de re culinaria solicitę munditiem in coquendis cibis sedulò curẽt: ipse verò hospes de grato & generoso vino cũ honorario tũ ordinario, de auena, fœno, stramine optimę notæ prospicito.

XXX. Hospes cùm vnũ pluresue famulos atrienses promosue conducit, eosdẽ Promo Göppingẽsi quãprimũ sistito, eidẽ stipulaturos, vt quoad seruierint fideles sine omni dolo in cẽsu vinario segerãt, cuius nomine tabulas in eã rẽ factas sanctionesq; vinarias cũ seria admonitione Prom' Göppingẽsis ijs prelegito.

HOSTIMENTVM BOLLENSE AD ILLVStratorem, CL. D. Iohãnem Bauhinũ, Ducis Vvirtemb. &c. Archiatrum.

Mutua præstatis victuræ munera famæ,
Tuq; Bobine Bolo, Bolq; Bobine tibi.
Obscuri latices cænoq; vluaq; iacerent,
Vindicias lucis ni Medicina daret.
Quid Medico pendant? non hinc præconia prima;
Et Celtæ & Sueuo cognitus antè, petat.
Fama secunda fiet, si quis calidumve salubrem,
Aut solij, aut rigui senserit imbris opem.
Viuite Bollenses, & iugi flumine, cuius
Viuitis ingenio, perpetuate decus.

Iacobus Cargillus
Scotus, D. M.

AVTHORES QVI IN HISTORIA FONTIS Admirabilis citantur.

AEtius.
Alexander Trallianus.
Ambrosius Pareus.
Andernacus.
Andreas Baccius de Thermis.
Andreas Bertholdus.
Barthol. Montagnana.
Carolus Clusius.
Casparus Bauhinus.
Conradus Gesnerus.
Conradus Gerhardus,
Dioscorides.
Encelius.
Gabriel Fallopius.
Galenus.
Gallus Escherreuterus.
Georg. Morellus.
Georg. Fabritius.
Georg. Pictorius.
Georg. Marius.
Gualtherus Riuius.
Guilielmus Turnerus.
Guil. Rondeletius.
Hadrianus Iunius.
Helisæus Rœsslin.
Hen. Pantaleon.
Hieron. Cardanus.
Hippocrates.
Historia Plant. Lugd.
Iac. Theodor. Tabernæm.
Ia. Vvierus.
Ioan. Gœbelius.
Ioan. Bauhinus P.
Ioan. Fernelius.
Io. Guinth. Andernacus.
Io. Agricola.
Io. Kentmannus.
Leonhardus Thurnisius.
Leon. Fuchsius.
Leuinus Lemnius.
Lonicerus.
Marcellus Medicus.
Martinus Rulandus.
Marbodæus.
Matthias Lobelius.
Mathiolus.
Medicament. liber Ill. Ducis Virtemberg.
Nicolaus Dortomanus.
Oribasius.
Otho Brunfelsius.
Pabuerius.
Paulus Ægineta.
Paul. Iouius.
Pausanias.
Plinius.
Porta Neapolitanus.
Reinerus Solenander.
Rembertus Dodonæus.
Rossetus.
Scribonius Largus.
Strabo.
Testamētum Vetus & Nouum.
Tragus.
Valer. Cordus.
Vitruuius.
Volaterranus.

ENCOMIVM FONTIS BOLLENSIS VVIRTEMBERGIACI NVPER DETECTI, ATQVE IN VSVM BALNEARVM VIribus admiration edignarũ cõuersi: descripti à Clarissimo viro, D. Ioh. Bauhino Med. & Philosophię Doct. prę-stantissimo, Archiatro VVirtembergensis Ducis dignissimo.

Anno 1596.

Quòd sua calestis non omnibus omnia terris
Aequa distribuit commoda lance pater,
Sed quòd pra reliquis decorauit amœnius istam,
Atq; bonis illam pluribus auxit humum:
Vel Vuirtembergense solum super athera notum
Hoc varia rerum fertilitate probat.
Cuius in augusto tractu non scilicet vlla est
Portio frugiferis orba relicta bonis.
Quin omnis turget multo mons munere frugum,
Has simul vbertim vallis vbiq; parit.
Dant varijs formis agri frumenta colonis,
His quoq; dat multum vinea multa meri.
Pascua dant syluæ, dant plurima lignaq; syluæ,
Multigenas largo fœnore dantq; feras.
Prata ferunt dulces multa super arbore fructus
Largiter & brutis pabula grata ferunt.
Suppeditant vnda diuerso è flumine pisces,
Pisces multiplici qui bonitate valent.
Et propè nil quicquam est, rerum quibus indiget vsus,
Quod non è proprio detpia terra sinu.
Vt namq; illa metalla sinam, taceamq; salinas,
Patria quas tellus diuite ventre gerit:
Prosiliant fontes illi, mortalibus agris
Vtilis in varijs qui medicina malis.
Qualis ab inuentu fons aureus ille, ferarum
Viribus eximijs notus ad astra suis.
Et quales acidi fontes; quibus alma facultas,
Viuida iucundi visq; saporis inest.
Qui veluti calido discordia viscera placant,
Languida sic alter frigore membra leuat.
Insuper & quales alij, quos carmine Musa
Iam, memor officij, commemorare nequit.
Solus at ille adsit fons admirabilis vnda,
Quemmodo Bollensis terra beata tulit

Scilicet hic, quo non magis est mirabilis alter,
Quos habet amplexu Teutona terra suo.
Nam benè si spectes terram, miraberis ortum,
Si spectes vires, suspicies'q; magis:
Ortus habet varias formas, variasq; figuras,
In quibus haud fallax omen inesse potest.
Fissilis hic lapis est, silices, gagatesq; bitumen,
Atq; belemnites, sulphur, & unda salis.
Quem tamen eiusdem partus magis vna sub imis
Ac in diuersis sedibus aluus habet.
Sicq; simul properans, vnitis vndiq; membris
Felices geminos parturiendo parit.
Vt benè sint iuncta iocij virtute laborum,
Rectiùs & peragant quod meditantur opus.
Imprimis homini pergant vehementiùs ægro,
Quam priùs ars omnis ferre negârat, opem.
Acriùs hinc alter remouendo obstacula sani,
Sanando verùm, mitiùs alter agit.
Et sic innumeras pellunt de corpore labes,
Id quoq; tam vegetum, tam validumq; parant.
Pegasus vt iures quòd nostras fecerit vndas,
Atq; has quòd Musæ Diq; Deæq; colant.
Sed quid dico Deas, quid Musas fingo, Deasue,
Quiq; illum celerem Bellerophontis equum?
Est alius Deus hîc, alia virtute potensq;,
Atq; suos aliter curat, amatq; Deus.
Hic nam mente sagax, modò non præsentia spectat,
Altius ast etiam quæ latuêre videt.
Inq; salutiferum clemens ea prouocat vsum,
Et finit his homines, quis caruêre, frui.
VVirtembergiacus quo nō illustrior alter
Princeps, hoc magnus Dux Fridericus agit:
Immortale decus sitiens nimis inclytus Heros,
Aro, munificis hoc agit ille modis.
Hoc nam dante venit Mullerus idoneus arti,
Pegasus & fontis detegit illud opus.
Hoc quoq; dante venit multùm venerabilis illa
Nomine non tantum Musa, sed arte magis:
Nempe viris medicis alijs præstantior vnus
Bauhinus fontem sedulitate colit.
Huius & eximias vires scrutatur & omnem
Vsum miranda dexteritate docet.
Et facit vt, Duce dante suo, noua balnea surgant
Balnea tamq; loco, quàmq; venusta domo.
Quæq; situ possent Baias superare venustas,
Luculli victu diuite quæq; domum.

Nam

Nam nihil eſt, hominum quod vitæ poſtulet vſus,
Quod domus hæc agris non dare larga queat.
Adde voluptates oculis grataſq́; palato,
Quas nouus ille hortus, datq́; propinquus ager.
Omnia quin tanta rerum vbertate refulgent,
Vt non hæc magno principe digna neges.
Omnia ſunt etiam tanto artis ab ordine facta,
Vt magno medico præſide digna ſcias.
Mirantur cur non prior has agnouerit ætas,
Laudibus extulerit cur neq; fontis aquas.
Sed quia nunc morbi grauiores corpora vexent,
Amplius vt multos tollere planta neget:
Fit Fato, veniente nouo, fons optimus ille
In lucem digno principe dignus eat:
Atq; ſuo Domino quaſi nunciet ore ſalutem,
Huncq́; ſalutiferum ciuibus eſſe velit.
Vt de fonte nouo nunc totus perſonat orbis,
Huncq́; boni aduentus ominis inſtar habet.
O felix Princeps! ô fons, ciueſq́; beati!
O bona conuentus hora dieſq́; tui!
Na tua ſic Virgo, Cornu, Piſceſq́; manebunt,
Sic Friderico decus, laus tua, creſcet honos.
Debita ſicq́; tui fons admiratio fiet,
Sic ſpes ægrotis ſicq́; leuamen eris.
Sic tua Teccenſis ciuis cumulabitur ingens
Vtilitas, tua ſic gloria creſcet opum.
Gloria creſcet opum, tibi ſic vis ſana redibit,
Sicq́; peregrinis gratior hoſpes eris.
In commune bonum nam clementiſſimus Heros
Ille ſui fontis nobilitauit aquam.
Vt ſi quando malum noſtris medicabile thermis
Aduena te teneat, liber & ipſe veni.
Debilis has noſtras triſtiſq́; profectus ad oras,
Lætus & huius aqua ſanus abibis ope.
Sanus abhinc ibis, plus terq́; quaterq́; beatum
Hanc terram Domini ſummaq́; dona canes:
Et dices, procul hinc, quibus eſt iactantia ſortis,
In ſolis mineris inq́; metallifcris.
Nempe tenebroſis, diruraq́; tuentibus illis
Cum ſpecubus veſtris cedite dio procul.
Solis in aſpectu hic tenuis ſtirps aurea profert,
Et plantæ graciles aurea poma ferunt.
Sponte quoq; ex terra veniunt meliora metallis,
Ære nec à fuluo quæ redimenda cadunt.
Ergo Teccenſi debetur gloria terræ,
Atq; celebrando gratia ſumma Tuei.

Hunc suâ terra colat; peregrinaq; prædicet omnis,
Prædicet hocq; suum Sueuia terra caput.
Huic soluant grates pueri iuuenesq; senesq;,
Huncpia de factis posteritasq; canat.
Viuat in his terris; viuat post funera virtus,
Viuat in æternum nobile stemma Ducis.
Inclyta progenies, sit inclyta viuat & Uxor.
Et stirpem faciant vsq; virere suam.
Vos sed honorandæ Musæ quîs cura virorum,
In studijs operam qui posuêre suam:
Ansere posthabito strepero momoq; maligno,
Bauhinus vestri sit pia cura chori:
Ut pius, & nulli virtute nec arte secundus
Usq; suis studijs vos reuerenter amat.
Qui graue quicquid habent artes superare laborat,
Tota physis rerum quidq; latentis habet.
Hoc velut illius doctissima scripta loquuntur,
Idq; nouus liber hic satq; superq; probat.
Ergo viro huic merito de laude parate coronam,
Quam date, si dederit, quem tulit, arte librum:
Scilicet insignem librum de stirpibus illum
Secula cui nullum nostra videre parem.
Tunc date, dicentes viuat Bauhinus in orbe,
Post mortem medicûm viuat & ille decus:
Languidiore mea Musa, quod deniq; restat:
Ut noua sint cunctis balnea fausta precor.

Laurentius Homæ-
mus Med. phys.
Vracensis.

Versus vatidici.

Balnea Bauhinus Bollana beanda beabit:
Balnea Bauhinũ Bollana beata beabunt.

Aliter paulò.

Balnea Bauhinus Bollana benigna beauit,
Balnea Bauhinum Bollana benigna bearunt.

MAGNIFICO DOMINO IOANNI BAVHINO, Medicinæ Doctori excellentiss. Illustriss. Princip. VVirtemberg. Physico ordinario, & quàm celeberrimo.

VVirtembergiacæ non infima gloria terræ
Bauhinus medicus, collustrans pluribus artem
Doctis Pæoniam scriptis, fontemq; Bolensem,

Pellentem laeso tristes de corpore morbos.
Gratia debetur Bauhino maxima, cuius
Dexteritas fontem praedictum nobilitauit.
Sis faelix, sanus, longaeuus, Maxime Doctor,
Viuas & vigeas cum fratre, mihiq; faueto.

M.Iohan.Giffthcil.

Idem in effigiem eiusdem.

Gloria cũ Coi viuat post funera magni:
Viuat Bauhini gloria magna viri:
Dat Deus huic medico longaeua tempora vitae,
Et sinat hunc omni commoditate frui.

EPIGRAMMA IN EFFIGIEM, ET DESCRIPTIONEM NOVI MIRABILIS ET SALVTIFERI FONTIS, NOBILIS ET clarissimi Viri, Ioannis Bauhini, Medicinę Doctoris, & Illustrissimi VVirtembergici Ducis Consiliarij et Medici celeberrimi, Domini sui suspiciendi.

Effigiem Lector viuam dulcissime cernis
Bauhini celebris magnaeq; Machaonis artis
Doctoris: qui, quam latus patet orbis ab Austro
Solis ad occidui tenebras, Zephyrumq; madentem,
Perfacilè in coetu Medico Clarissimus Vnus.
Gallica namq; suum decus hunc laudatq; fouetq;.
Hunc Itala, et toto celeberrima Teutona coelo
Terra colit. Princeps hunc Illustrißimus Heros
VVirtembergiacus, patuli qui Solis vtramq;
Innumeris replet sedem, Virtutibus amplam,
Censorem vsurpat cunctis in rebus agendis.
Hic fontem eximium, messes per mille latentem
Bollhemij (. Filsus quâ praeterlabitur amnis.)
Duxit in apricum Solis: rimatus et omnes
Venas, virtutesq; omnes: quos pellere morbos
Is valeat, quantumq; aegris conducere membris:
Hoc docet in libro cunctos, queis morbida curae
Corpora longaeuis vel conficiuntur ab annis

Ergo Deo primum, post Illustrißime Princeps:
Mox Bauhine tibi, Medicorum gloria magna
Grates, monstrato hoc mirando fonte canantur.
Faxit & Omnipotens, vt quò Fons ille saluti
Est multis: tantò sit gloria maior in orbe
Nominis vsq; tui: donec mortalia summi
Gaudia suscipiant sine fine emarcida cœli.

Fecit M. Casparus Rottner Diuini verbi minister in Bottvvara VVirtembergica.





LIBER PRIMVS HISTORIAE ADMIRABILIS FONTIS BOLLENSIS MEDICATI, NVPER detecti in Ducatu Vvirtembergico, potu & balneo vtiliſsimi.

Qua occaſione fons detectus Admirabilis: in eo fodiendo reperta: eiuſque aquarum examen multiplex.

CAPVT. I.



VCATVS *Vvirtembergici admiranda felicitas eximiè apparet ex eo, quòd in ſumma pace, præter inſignem rerum neceſſariarum ad victum abundantiam, vt frumenti & vini, montium item fertilißimorum, fluuiorumq́ copiam, vrbium, caſtellorum munitißimorum, pagorum cultißimorum frequētiam, nobilißimorum præterea virorum, omniū facultatum Doctorum clarißimorum, artificum adhæc induſtriorum varietatem atque frequentiam; Thermas quoque & fontes medicatos mortalium generi multum profuturos habuerit ſemper, & nunc etiam longè vberius exhibeat. Et quod regionem hanc illuſtriorem reddidit ſemper, & meritò etiam reddat, præclaros profectò eosq́ magnanimos, induſtrios atque excellentißimos Duces & Principes, præcipuis non ſolùm Germanæ, ſed etiam exterarum regionum Principibus aut affinitatis aut arctiore ſanguinis vinculo iunctos. Et vt de ijs loquar, quorum virtus mihi propius cognita atq́ perſpecta eſt, quantus quæſo vir fuit Illuſtriß. Dux Chriſtophorus F. M. quanta prudentia adminiſtrauit Ducatum? Imo quanta felicitate eundem ſub pacis trāquillitatem reduxit & in eadem conſeruauit? Pientißimæ quoque mem. filius eius Illuſtriß. Dux Ludouicus, quanto omnium cum applauſu patrijs inſtitit veſtigijs. Hos felicißimis auſpicijs ſequitur ingenioſißimus, diligentißimus & ad miraculum vſque ſolertißimus atque induſtrius Princeps noſter Fridericus, ob inſignes virtutes, genijq́ illuſtres dotes nec inferior ſuis cognatis, nec vlli penitus intuenti ſecundus? Hic ſuſceptam per Dei gratiam, hæreditariam à prioribus ditionem, in felici ſuo ſtatu non conſeruare modò, ſed eandem egregiè etiam exornare, vtilißimis bonis, in ſubditorum & exterorum etiam commodum, ampliare nullo non molitur conamine. Magna ſanè in magno Duce virtutis ſpecimina &*

Ducatus Vvirtemb. fœlicitas.

Duces Vvirtemb.

quæ vel in solo Admirabilis fontis & balnei Bollensis liberalißima institutionè præclarè elucescunt: Cuius quidē historiam in præsentiarum texere fert animus.

Occasio perquirendi fōtis Admirabilis.

Cum anno salutis millesimo, quingentesimo, nonagesimo quarto Illustriß. eius Celsitudo monita esset fontem medicatū in Ducatu suo Vvirtembergico extare, Sittere vulgò dictum, propè pagū Boll inter Göppingam illam ob acidos fontes percelebrem, & Kirchen vrbes: mox idem Illustriß. accersitis vndique industrijs & indagandorum fontium, separandi medicata à non medicatis, insulsaq́ à salsis, peritis artificibus, Fontis exactam perquisitionem instituit: terræ viscera perquiri, fontisq́ alueum foßione detegi iußit, adeoq́ eo ipsò loco quo fons apparebat, Thermarum egregia posuit initia. Interim dum hæc peraguntur, varij morbidi aqua eius vsi felicißimis auspicijs persanantur. Nec contentus Illustriß. Princeps, præterito anno Stuccardiam me quoq́ Ordinarium suum accersit, multaq́ mirabilia atque præclara de dicto fonte apud multos spargi narrat, iudiciumque meum, vt est in indagandis rebus solertißimus, exposcit: suadeo ego officiosè, vt examinentur omnes, qui vsi sunt eo fonte, quod quidem eius mandato factum est: testimonia & historiæ ad me Mompelgardum missæ, vt diligentiùs ponderentur atque considerentur. Interim liberalißimè omnibus & singulis permissum fuit, per annum eodem fonte potu vel balneo gratis vti: quo elapso, me denuo ad se vocat Cels. E. anno videlicet millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, ipsis Iulij Kalendis, vtque dictum fontem, eiusdem mixturam, mixturæ rationem diligenter peruestigem iubet: effecta item eiusdem annotem sedulò, adeoq́ integram eius conscribam historiam: omnia in eum finem, vt tale & tam insigne bonum non tam in subditos quàm peregrinos, qui se eò sanitatis gratia conferre volent, vberrimè redundare poßit. Cuius quidem mandato, vt æquitati consentaneo, liberalitatisq́ pleno, obtemperandum mihi erat, cum Illustriß. E. C. me iam ante viginti quatuor annos Basileâ euocatum liberaliter fouerit, & pro officioso atque fideli Medico suo ordinario agnouerit semper. Sed ad fontem iam accedamus, quē anno 1596. Augusti 23. adij, eiusq́ situm, vt fieri oportuit, primùm intuitus sum. Is est in ea Germaniæ parte, quæ Iulio Cæsari Hercinia dicta olim, nunc verò Sueuia nominatur, in Ducatu amplißimo Vvirtembergico, sub præfectura Göppingensi, in eleganti planitie prope Boll pagum, de quibus postea, vt & de locis vicinis exactius, vbi fontem descripserimus.

Fontis Admir. descriptio.

Fons cur dictus Zittere.

Fons hic, vt ab eius ἐτύμῳ ordiamur, incolarum etiam memoria zittere vocabatur, forte ab effectu, quòd tremori membrorum, Germanis zitteren *dicto, prodesset: vel quòd ijs in locis prata humidiora super ea ambulantibus tremere & moueri deprehēdantur, & quantum intelligere licuit ex senioribus in Boll (quos curiosiùs examinaui, & de omnibus circumstantijs perquisiui (vt ex historijs particularibus infrà patebit) erat in loco satis plano, nec altiores scatebræ profunditatem arguebant, prosiliente aqua ex durißimi saxi rimis & canalibus copiosè admodum. Huic aquæ innatasse aiunt nescio quid albidi, floris instar lactis, vt manu segregare innatantem alborem fuerint coacti. Odor eminus veluti sul-*

phureus sentiebatur. Sepibus tantum primùm circumdatus erat: verùm propter importunum pecudum & ferarum incursum, qui arceri non potuit, visum fuit incolis antè annos triginta eundem fornice obtegere: quod vero redundabat aquæ, per alueos in animalium vsum profluebat. Narrant ijdem multos ex fonte hoc salubriter bibisse, saporemq; veluti ouorum coctorum deprehendisse, talesq; etiam ructus excitasse epotum. Meminerunt quoque iam ante 50. annos, quosdam tuguriola propè hunc extruxisse fontem, in ijsq; aquâ prius calefactâ lauisse, multosq; etiam felicissimis sanitatis auspicijs hausisse. Nuper verò, cum Illustriss. Duci Vvirtemb. Principi meo clementiss. Deus Opt. Max. amplissimum Ducatum Vvirtembergicum, vnanimi omnium suffragio concessisset atque subegisset, is statim accepto rumore de hoc fonte vndique sparso (vt iam antè dictum) prudenter cogitauit conducibile fore contenta peruestigari metalla, succos item, lapides & terras perquiri, separariq; aquarum scaturigines medicatas à non medicatis, si quæ adessent: multi namque sibi persuadebant adesse etiam scaturigines salsas, quæ separari possent ab alijs non salsis, eo modo quo separatæ in varijs salinis, & potissimùm Comitatus Burgundiæ, sicuti & in salinis Sanau, Illust. E. C. (vbi in profundo sunt vicinæ scaturigines dulcium & salsarum aquarum) apparent. Idem etiam videmus circa fontes acidos & circa calidos. Vt autem hoc fieret commodius, fissæ & perfractæ fuerunt rupes, vbi plures & varij reperti lapides scissiles, quorum magna pars domibus integendis in Boll pago inseruiunt: quosdam etiam videas tenues, quadratos instar pugillarium, valdè fragiles & inutiles ferè. In fissilibus lapidibus variæ apparent figuræ, quarũ aliæ serpentes, aliæ limaces, cochleas, chamas, mytulos, exprimũt, omnia sanè eiusmodi vt artifici sculptoris pictorisue manu delineata videãtur. Reperiuntur etiã squamæ tenues cupri instar lucentes, quibus figuræ plures quasi insculptæ conspiciuntur, non aliter quàm in lapide scissili Mansfeldiano pisces. Impressa sunt & pectinum vestigia: cochleæ lapideæ figurâ marinis egregiè respondentes aceruatim obseruantur: concharum etiam lapidearum aliæ tenues, aliæ læues, oblongæ aliæ. Adsunt & cochleæ pulchræ limacum instar compressæ, & quos serpentes conuolutos dicas, ex duro lapide cinereo cum pyrite & sine pyrite. Reperiuntur quoque veluti cõtorta cornua, quæ Ammonis nominant. Limaces item quidam cupri modo lucentes, parui: belemnitæ varij, pyritæ adhærentes vel lapidi duriori, alij fuso muliebri similes parui, alij radiati: alij neutiquam obseruantur. Nonnulli reperiuntur, quos diffractos natura, dictu mirabile, in terræ visceribus coagulatos tanquam glutine interiecto reparauit: pyritæ multorum generum: quidã enim similes sunt fausel Arabum, compressi, quidã tuberibus racemosi, alij magni inæqualiter tuberosi, alij rotundi: sunt etiam qui cubis constent, sunt qui tabulis: diceres arte elaboratos ad figuram adamantum vel rubinorum expolitorum, cupri modo lucentes. Nonnulli asperi, opaci, minimè lucidi, longi, vt obiter inspicienti ferrum esse videantur: non pauci exprimunt galeros, galeas, faciem & alias partes humanas, & alia permulta. Ludit hîc quoque natura lapidibus paruis canaliculatis, quorum extrema

Fons cur & quando fornice tectus.

Fontis antiquitas.

Varia reperta fodiẽdo puteum.

Lapides fissiles picti.

Belemnitæ.

Pyrites.

Quinque lineæ transuersæ distinguunt, stellarum radiantium instar: alios videas stellam referre marinam. Similes proposuit & Gesnerus libro de foßilib. & lapidum figuris. Adsunt etiam lapides duri admodum, cinerei, figurâ cucurbitæ, lagenæ, phialæ, auellanæ, amygdalæ, lapidis Iudaîci officinis dicti, globuli, pilæ palmariæ &c. Atque ista quidē omnia in terra nigra & lapidescente conspicere licet, vel etiam in lapide scißili nigro, eoq́; molli, qui aëri expositus, facillimè in tenues dirimitur lamellas, & tandem confriatur. Sed & alij obseruantur lapides duri, cinerei, quibus adhærent fluores albi & pyritæ, belemnitæ, cochlitæ, & eiusmodi: alij item diuersi coloris, sublutei, virides &c. Inter eos qui cinerei sunt, nonnulli fimbrias habent vtrinque fluoribus albis ornatas, quos non temere quis Laridum petræum dixerit. Denique tanta & tam admiranda hîc conspicientibus figuratorum lapidū obijcitur varietas, vt ea vix ac ne vix quidem describi vel poßit, vel pro operis instituto etiam debeat. Et integrum hîc quidem omnibus, Philosopho præsertim, admiranda naturæ, vel potius huius summi opificis opera admiratione quadam contemplari, cui tot naturalium icones, tot figurarum varietates non oculis modò obijci, sed intimis terræ visceribus comprehendi visum fuerit: nimirum sanè hoc ipsum θαυμασίαν homini curioso, & publico & proximi bono consulere volenti ingenerare poßit, & meritò etiam debeat. Sed præter illa omnia elegans adest bitumen, Iudaico vulgo dicto persimile, nigrum, lucidum, friabile, & quod igni admotum flammam facillimè concipit, odorem bituminosum, qualis in trifolio asphaltite obseruatur, redolentem: Id & in lapidis fißilis interuenijs reperitur, quod interdum interiectæ squammæ lucentes albæ distinguunt: cæterum inter quos lapides inuentum mihi hoc bitumen, varias ceu serpentum figuras exhibent. Hæc omnia diligenti perscrutatione obseruaui ipse & collegi & reposita curiosiùs reseruo.

Aqua subtepida.

Sed ipsiusmet aquæ naturam vlterius perpendamus. Ea nec frigida omnino, nec vsquequaque tepida, sed subtepida, si Fallopij vocabulo vti liceat. Hyeme non congelatur, vt aiunt. Andernacus de aquis Badenwilensibus ait: Iuxta scaturiginem tepidæ sunt, nimirum quòd ignis subterraneus vel extra canales sit, vel copiâ aquæ affluentis obtundatur, alioqui calidior. Quòd verò Mirabilis hic fons minùs friget, eadem fortè erit ratio, accedente etiam interim pro fomite bitumine vel succino nigro.

Bitumen.

Sanè Georgius Agricola in libro, quem scripsit de subterraneis, materiam ignem fouentem atque conseruantem ignem in subterraneis ait esse bitumen. Et Nicolaus Dortomannus Profeß. Monspeß. lib. 1. de Thermis Bellilucanis cap. 7. vult calorem thermarum ab igne subterraneo dependere. Et c. 8. fomitem & pabulum ignis & caloris potißimum esse bitumen, quòd solum in aqua flagret. Georgius quoque Morellus lib. de medicatis aquis agri Patauini ait, Bitumen accensum non solùm in aquis nō extinguitur, sed eas mediante igne in propriam naturam conuertit, adeo vt nulla sit materia quæ faciliùs flammam concipiat atque accendatur quàm sulphur, & quæ diutius ignem seruare poßit quàm bitumē: & ob id ij qui ignes in aquis inextinguibiles parant, compositionibus talibus bitumen semper admiscent, vel ea saltē, quæ bitumine cō-

stant. Quamobrem facilè quis concludere queat, aquis thermalibus omnibus calidis necessario adesse bitumen. Scio quidem Andream Paccium caloris fontium fomitem negare esse bitumen, & asserere esse potius sulphur: quæ quidem sententia disputationem longè amplißimam requireret. Non me quoque latet Io. Goeb. in lib. de balneis S. Anneberg. asserere causam leuis teporis sui balnei pendere ab aluminis lapide: an alumen calorem faciat actualem vel foueat potius ignem calefacientem aquas perpendant alij: sed sufficiat mihi αὐτοψίᾳ *deprehendisse ipsâ, fontem nostrum Admirabilem per bituminosos canales & per gagaten etiam lapidem siue succinum nigrum trãsire, vt & infrà subiectis patebit historijs. Nam & fossores altiùs scaturiginem fontis Admirabilis perquirentes, lapidem quem vocant* Schvvartz augstein *vel* agstein *repererunt: huius generis habeo repertum & collectum in scrobe lapidis scißilis, non ita longè à fonte distante. Sunt autẽ hi tenuium laminarum instar, lapidem fißilem referentes, duri, nigri, reperti inter lapidem fißilem ad altitudinem sex cubitorum: hos qui reperit, mihiq́ue dedit lapides fossor, idem fodiendo puteum & in alijs vicinis huic locis circumcirca obseruauit: inter eos verò aliquos, qui trium quatuórve digitorum spißitudinem adæquabant, expolitioni & operi alicui idonei: quorum nonnunquam vna vice tantam effodit quantitatem, vt ciuibus vrbis imperialis* Schvvebisch Gmind *pluribus vendiderit florenis, à quibus & summè expetuntur & perquiruntur huiusmodi lapides, imaginibus sculpendis & globulis precarijs similibusq́ue conficiendis conuenientes. In varijs locis versus* Kirchen *reperitur. Dn. D. Gadnerus maximum mihi donauit lapidem Gagatem ex loco aliquo, Bollensi agro vicino, quod lignum nigrum lapidescens quis poßit existimare ob similitudinem fibrarũ. Aiunt Bollenses intellexisse se ab auis & proauis suis toreutas commercatos fuisse in Boll, & torno lapides hosce artificiosè elaborasse. Hunc autem lapidem esse gagaten siue succinum nigrum, satis apparet ex odore bituminoso quem frictione concalefactus exspirat, quòd item paleas attrahat, pilos, festucas, & similia: & igni admotus, flammam facilè concipiat, quæ succino propriè adscribũtur: nec ita multum differt à bitumine, cui varijs in locis vicinis iungitur, præterquã soliditate. Atque hactenus quidem de plærisque iis, quæ in fontis mineris, & circa eundem reperiuntur. Iam verò ad ipsius aquæ examen propius accedendum. Cuius naturam, vt rectius perquirerem, eam primum per filtrum destillaui, more & ratione ab artificibus præscripta, in qua tamen filtratione nihil quod admodum sit notatu dignum, deprehendere licuit. At sub finem Augusti, cum aquam in vitro Soli exponerem, sequenti die aliquid in ea subcærulei innatans apparebat: hæc cum mihi ex insperato postea & per incuriam fuisset profusa, aliam mense Septembri exponere oportunum duxi: atque in hac apparebat aliquid albidi: reliqui ad solem per dies octo circiter: tandem consumpta euaporataq́ue aquæ portione maiore, internè ad vitri latera circulus substantiæ craßioris & terrestris, colorisq́ue albi adhærebat, cuius portiones gustatæ salem omnino repræsentabant, quod etiam alijs visum quibus degustandum obtuli. Albida etiam quædam ad tactum*

Gagates siue succinum nigrũ.

Destil. per filtrum.

Consũptio aquæ ad solem.

Sal.

subaspera deprehensa, innatabant. Simili etiam ratione procedendo aspera innatantia & florem salis deprehendi in fonte aquæ acidæ S. Petri in valle Grisbachiana. Septemb. 9. cum pluuiæ ingruerent, obseruaui ab his hunc fontem neutiquam turbari, limpidissimumq; remansisse, licet totum triduum continuò pluisset: odor tamen eius maior interdum, interdum verò minor sentiebatur. Subinde interim quædam albida innatantia, modò subcærulea, idq; aliàs parcius, aliàs copiosius obseruabantur. Aquæ putei altitudinem 8. Septemb. quadraginta pedum esse ipse deprehendi. Septemb. 14. sub vesperam cœpit puteus euacuari, & decima septima mane cum ad nouem pedum altitudinem aqua exhausta esset, ea mihi visa est magis, quam anteà, sulphur redolere, saporq; nonnihil diuersus à priore.

Non turbatur.

Puteus cœptus exhauriri.

Cerui.

Sept. 20 cum in educenda aqua pergeretur, narrabant operarij sub crepusculum ingruente nocte ceruum aquæ fortè medicatæ desiderio accurrisse. Octobris etiam 5. cominus in planicie visos ceruos. Ipse quoque 14. Octob. duos in eadem planitie vidi balneo vicina: & licet ducentæ circiter circumcirca laborarent personæ, non tamen exterritos aufugisse, fortè æstu quodam eius hauriendæ gratia percitos. Ita etiam animaduerti, dum hauriretur hic fons, boues gregatim & quasi vi compulsos ad fontem hunc Admirabilem accurrisse: quod non sine insigni aliqua ratione à brutis alioqui factum, nemo profectò est, qui non suspicari possit. Similem historiam recenset Fallopius, quam infrà adscribemus, quæ docet, boues affectos renibus vtiliter aquam quandam hausisse. Septemb. 19. gobios fluuiatiles quos vocat Hadrianus, Germani Grundelin, *in aquam nostram medicatam Bollensem inieci, in eaq; superstites mansêre vsque ad 23. aliter sanè quam in Griesbachianis aquis, in quas & pisces & ranæ iniectæ, ilicò velut moribundæ inuertebantur, vt primum autem exempti in aquas coniecti sunt dulces, mox ad se redeuntes vires recipiebant, adeoq; quasi ex somno vel morte resuscitati videbantur, quos prius ebriorum more soporatos dixisses. In aquam medicatam oppidi Canstat, & fontem ad Nicarum è regione ferè versus molam, pisces iniecti planè moriuntur. Octob. 4. cum ad octo circiter pedum altitudinem fons fuisset exhaustus, aquæ huius, quam prius sæpe gustaueram, poculum hausi integrum. Sequenti die horâ quinta matutina cœpit audiri strepitus aquæ ex scaturiginibus, riuuli cuiusdam instar influentis: manè bibi cyathum plenum aquæ fontis Admirabilis non calefactæ. In mensa aliud nihil bibi præter aquam hanc Bollensem, cum tamē ab octo ferè septimanis nihil aliud quàm acidos hausissem fontes: Volui autem hoc maximè tum vti, vt & odor & sapor & vires eius meliùs mihi innotescerent. A prādio circa secundam, & euacuato penitus puteo memet in eundem demisi (aptata sub axillis zona è chorda, ne vel vertigo infestaret, vel ea obrepens deorsum præcipitaret) atque ex vtraq; scaturigine tria hausi pocula, & exactioris contēplationis ergò per quadrantem horæ permansi. Interim aqua copiosè decidens frequentibus & magnis excipiebatur ac educebatur situlis: odor mihi videbatur aquæ sulphureus, sapor & ineffabilis, nec gratus admodum, nec etiam vsque adeo ingratus: palatum tamen exsiccabat, quod & iam priùs animaduerteram. Ex cuius*

Boues ad fontem accurrentes.

Pisces non offendūtur.

Potus aquæ.

Descensus in puteum.

potu nullam insignem sensi mutationem, licet vesperi in cœna ad potum solius aquæ Yebenhausensis *acidæ redierim: ventriculus vtrasque sine molestia admisit. Insignis vir D. Daniel Moser, Consul Göppingensis, qui nobiscum aderat præsens, cum hortum admirabilem instruẽdum atque adornandum curarem, narrabat se odorẽ aquæ medicatæ Mirabilis ex pago Semingen sensisse. Sed auidiùs inquisitioni Admirabilis huius fontis inhians lagenam vnam hausi de scaturigine maiore profluente à meridie Gembingen versus, alteram de minore, quæ est versus Boll, in orientem procurrens, vtrasque destillandas. Hoc eodẽ die videlicet 20. Octob. aquam ex ipsis fontis Admirabilis scaturiginibus in poculis duobus argẽteis reposui & reliqui in ijs ad Octob. 23. tunc deprehendi poculũ paulò maius ex argento minus puro subuiride & ferè croceum redditũ, innatabat verò quiddam quasi oleagniosi: aqua autem ipsa videbatur putrescere. Alterum poculum minus ex puriore argento nõ erat immutatum nec aqua corrupta & residentiæ expers, supernatabat tantum aliquid albicans. In scutella stannea siue è plumbo albo, albuminis quiddã etiam supernatabat: in fundo arenulæ aliquæ, (quæ tamẽ fortè aliunde) in partibus quibusdam scutellæ maculæ aliquæ nigricantes & albicantes conspiciebantur, & in superiore aquæ margine erodi scutellam deprehendimus. Octob. 7. aquas ex vtroq; latice fõtis Admirabilis antè exceptas,* in Kirchen *delatas, cum Ioh. Lutz Pharmacopœo destillaui, eademq; simul opera aquas acidas propè Hathouen: ac primum quidem in Balneo Mariæ, deinde in cineribus, ponderatis ijs priùs in eadem phiala vitrea: sed aqua scaturiginis maioris tantillo ponderosior videbatur. In destillatione liquor prodiens primò, secundò, & tertiò, non admodum gratus erat: quippe loturæ boli saporem referebat, desumptũ fortè vel à scissili lapide, vel ab argilla, vel ab vtrisque. Ambas etiam aquas destillauimus in cineribus, idemq; aderat sapor. At is quem ex acido fonte deprehendimus, magis displicuit: de quo suo loco. Residentia pauca fuit, eaq; alba & insipida: in omnibus destillationibus, immissis nihil adhæsit bacillis. Octob. 21. eandem fontis Admirabilis aquam in ædibus D. Lutz Pharmocopœi Kirchensis decoximus, idq; in patella ærea: cuius vnciæ 40. reddiderunt salis albissimi ℈j gr. iij. at superiora quidem magis salsa erant, quàm quæ in fundo. Idemq; planè euenit eâ ad solem consumpta, materia quædam alba admixta videbatur. Octob. 22. eiusdem vncias 50. decoximus: resultauit salis albissimi & leuissimi, neutiquam tamen acris, 3. ß. In cacabis verò, quibus aqua balnei huius nostri incoquitur, accrescit lapis crustosus, spissus, durus, &, quâ cacabo adhæret parte, cinereus: reliqua albus, puluere albo sparsus, quem ægroti balneantes, balneo egressi salubriter suis inspergunt vlceribus. Circa fontem hunc Mirabilem, viciníque locis abundat argilla, partim cærulea, partim albicans, luteóque etiam conspersa colore. Ea saporis est haud ingrati, subadstringens & emplastica admodum tenaxq; est, exsiccata durissima redditur instar lapidis scissilis cui succumbit. Hac argilla vtuntur figuli in pago Ebersbach, elegantiaq; ex ea parant pocula. In locis quoque vicinis terra quædam rubicunda obseruatur, quæ argillæ quoddam genus,*

Probatio in poculis argenteis & scutella.

Destillatio.

Cõsumptio per coctionem.

Lapis in cacabis crustosus.

Argilla.

Lapides vitrei.

fornacum vsui inseruiens. Allati mihi à quodam ex sylua versus Gruibingen quidam quasi lapides, eorumq; plurimos obseruasse aiebat in sylua quæ olim fagorum, nunc autem diuersarum arborum. Hi veluti lapides nigri sunt, vt succinum nigrum, splendidi, solidi, porosi subinde, fragiles, & qui igni admoti dissiliunt, similesq; scoriæ fodinarum in S. Maria in Leberthal *vel in Gerard Mengni, videntur aliquid cum vitro habere commune: Quid si olim in sylua prædicta paratum fuerit vitrum? Lapis hic contusus & in vase terreo igni appositus & in multas horas relictus fumum de se non reddidit, nec vllatenus colorem mutauit. Integer in ignem iniectus incanduit & in particulas dissiliit, eiusque pars liquefacta coaluit rursus vitreæq; materiæ instar apparuit, vt ipse expertus sum in Kirchen Octob. 23. Clariss. vir D. Georgius Gadner I.V.D. & in metallis separandis & probandis experientissimus atque peritissimus, cum ab Illust. E.C. quem probaret pyrites 3. Nouemb. offerretur, post exactam examinis trutinam deprehendit* Argentum. *in 50. libris eius contineri drachmas duas argenti, nullum autem cuprum in eo reperiri, sed tantum esse* ein Vvasserkiss *vt vocant: splendorem verò eius esse à sulphure.* Chymici probationes. *Pantaleon* Keller *Illust. E.C Chymicus, qui & aquam destillauit & metallica fudit, deprehendit, vt scripto annotauit, in aqua Admirabilis huius fontis contineri sal, alumen & vitriolum: marchasitam autem & carbonem nigrum* Sulphur. *(ita enim vocat succinum & bitumen) resolui in sulphur: ex marmore (ita vocat fluores albos) & lapide scissili emergere alumen immaturum, addebat præterea se* Alumen. *in marchasita inuenire omnis generis metallica, sulphur, sal, vitriolum, alumen, antimonium, ferrum, plumbum, argentum, cuprum, & lapides lazuli colore: verùm separari non posse, quòd sulphur & antimonium illa consumant & in fumū resoluāt, marmoris mercurium siue aquam, sal, & sulphur igne consumpta fuisse: succini nigri mercurium in oleum resolutum esse, sal & sulphur combustum, in oleo eius tamen remansisse adhuc sulphuris partem: belemniten habere perfectum sal, vnà cum materia ad vitriolum accedente & sulphure: lapidem scissilem reliquisse olei modo sulphur & mercurium, nec non argenti parum. Sanè obseruatione hoc dignum est: cùm Pantaleon lapidem scissilem per descensum, vt vocant, destillatione experiretur, ceu oleum nigrum in subiectam aquam affatim defluxit, quod copiosè innatās postea ab aqua separatum: cùm autem aquā aliquot die-* Vitriolum rubrum. *bus in vase reliquisset, ex improuiso apparuit vitrioli rubri, instar sacchari candi tessellatim concreti, copia, quod planè vitrioli communis saporem referebat.*

Aqua autem prædicta, in qua vitriolum repertum, iniecta gallarum decoctione, nigra reddita est.



De puteo

De puteo fontis Admirabilis, domo, cacabis ac alijs.

Cap. II.

PVteum admirabilem aquæ medicatæ Bollensis (in quo fodiendo prædicta metallica reperta sunt) accepi ad 217. pedes geometricos effossum in altitudinem, ad latus acto cuniculo ad 32. pedes. Fossores & aquileges dum fodiunt, tandē ad scaturigines fontis medicati binas magnas peruenerunt, è lapide scissili, vt aiebant, erumpentes, qui in monte vicino & proximis locis plurimus conspicitur. Scaturiginum verò (vt suprà meminimus) altera in meridiem, altera in orientem profluebat. At altius fodiendo progressis, tertia etiam se offert parua, nonnullis salsa credita, cuius cursus præcedentibus duabus oppositus, in aduersam planitiē pertendit. Cæterùm fossores pulchre lapidibus munito puteo, relicta parua hac scatebra & altitudine 135. pedum per transuersum structo tabulato ex materia querna, superinductaq; argilla plurima, cauerunt egregiè ne duæ illæ aquæ medicatæ scatebræ, quæ tabulato sex pedes altiores sunt, in inferiorem possint defluere cauitatē. Deniq; & puteum ipsum magnis lapidibus, cæsis, duris, albis, & valdè asperis, ex Eberssa (vnde abest locus hic duarum horarum itinere) aduectis muniuerunt. Porrò à fornice tabulata supradicta in puteo, ad supremam terræ faciem pedes sunt 76. Supra terram paries putei è dictis lapidibus ad pedes duodecim extat diameter putei est pedum 9. Septemb. die 8. aqua puteum ad pedes 40. replêrat, sic vt ad supremam terræ superficiem vacui superessent, pedes 36. adeoq; quò aqua posset effluere in locū effluxui consuetū priusquam effoderetur puteus, ad pedes 27. opus esset accrescere. Septemb. 24. vesperi nunciabatur, aquā 42. pedes cum semisse altam deprehensam. Porrò cochlides scalæ puteo adædificatæ sunt, vt crateri prospiciatur excipiēdæ aquæ, quæ in putei supremū rotis subuecta eleuabitur, inde in solia balneorū deriuāda. Domus autē ipsa magnifica est & splendida, quā magnis sumptibus Ill. E. C. curauit ædificandā. Multis instructa hypocaustis, & cubiculis, denique & hospitio. Balneo ea capacitas, vt magno personarum numero lauando satis sit futurum. Quin eâdem in domo etiam, ne quid languentes desiderent, erit officina pharmaceutica insignis Pharmacopœi Domini Ioh. Lutz. Me consulente cacabi ac coopercula ita parabuntur, vt aqua stillatitia poßit excipi ad potum, & vapores ascendere per canales adaptatos foraminibus in medijs cooperculis (vt pro arbitrio occludi recludiq; poßint) in cubiculum, quod cacabis imminebit: canalibus autem siue tubulis imponetur domuncula, in qua sedebit æger super cathedram ligneam vel asserem magnis foraminibus peruium. Porrò domuncula seu cibotion ita apparabitur, vt caput extet solum, ita circumquaque munito collo ne ad caput poßint ferri vapores. Quòd si calor nimius obfuturus fortè videbitur alicui, tubulo obliquo sellæ

Scaturigines fontis.

Domus.

Pharmacopolium.

Cacabi.

Vaporatia.

apposito deriuatus calor temperabitur. Si quis autem crure solo aut brachio vaporem volet excipere, in eum quoq; vsum suæ erunt capsulæ tubuliq; accommodati. Pro administrandis quoque stillicidijs seu embrochis necessaria instituentur. Hortus ante domum & balneum. Quæ omnia vt benè & citò expediantur, Illust. E.C Octob 15. solertem architectum Georgium Stegele ad me misit. Eâ etiam imperante, hortum curauimus magnificum parandum operâ Ioh. Lutz hortulani Göppingensis & Ioh. Iacobi Alb Stuccardiani, adiunctis operis ducentis sexaginta tribus. Cæptum est autem opus Octob. 4 atque ita institutum, vt in aream vndique circa domum pedes centum & tredecim cedant. Fossa lata pedes 11. alta sex, quæ totum atrium ambit, ac puteum fontis Admirabilis includit. In quatuor angulis longiùs excurrunt areæ rotundæ, in singulis singulæ, pedes 26. latæ fossa etiam prædicta extrinsecus cinctæ. Angulares areas quatuor intercedunt totidem in longum protensæ, magnæ, fossâ, vt priores, eâdem cinctæ. Adeoq; hortus hîc latè patet, quàm latè & domus & atrium, putà ad pedes 347. in externis horti duobus angulis duæ similes areæ rotundæ, locis autem intermedijs triangulares, fossâ, etiam cinctæ. In atrio aditus tres, quorum vnus in hortũ: in vnam fossæ partem deductus riuus, ita tamen vt ad eam partem, vbi fons, nequaquam perueniat, à quo curaui diuertendum quantum potui: reliquæ quæ circa hortum, fossæ aliunde deriuatas excipiunt aquas extra hortum, priusquã riuus fossas ingrediatur duæ sunt piscinæ, quas reponendis enutriendisq; piscibus parandas curaui, vnam rotundam, alteram quadrangulam alterâ parte longiorem seu ἑτερομήκη. In atrio & horto ordo vnus consitus arborum fructiferarũ, pomorum, pyrorum iam satis adultarum & insitarum, Gæppingæ emptarum. Absunt à fossa singulæ pedes decem cum semisse, à se inuicem triginta vnum. Est in horto & alter ordo, sic vt liceat intus quoque circum hortum in vmbra obambulare, necnon in areis tum rotundis tum triquetris diuersorum generum conspiciuntur plantatæ arbores. Pari ratione & extra fossas tres arborum variarum ordines dispositi visuntur, quarum aliæ infœcundæ, aliæ insitæ, aliæ sui generis. Sed & campum sclopetario exercitio destinatum duo ambiunt ordines. Cæterùm per æquoris illius prata, quà à balneo Admirabili in Boll pagum itur, ad agrorũ margines, binos arborum ordines plantandos curaui. Sic vt earum, quæ iubente me consitæ sunt, numerus ad 550 ascendat. Ne autem incuriâ vlla hæc pereant decora, præfectus est horto Cepuros, qui plantas excolat & stirpes necessarias in eorum vsum, qui aqua hac medicata fruentur. Denique vt numero dicam, nihil Ill. E.C. eorum omittit, quæ ad exornandum hunc Admirabilem fontem, tum valetudinem ægrotorum, qui ad has Aquas venient, procurandam pertinent. Adsit porro Deus propitius heroïcis, omniq; memoria dignissimis cœptis. Iam ad situm veniamus. Balneum hoc cum suo fonte & domo magnifica, in prato positum est amœno, non valdè humido, cui vicinæ ædes nouæ ciuibus Bollensibus, qui bombardis ad scopum collimant, deseruientes: circa quas, præter recens plantatas arbores, sunt quercus antiquæ, quibus ad salubriorem vmbram æstiuos soles exclu-

Hortus.

Arbores plantatæ.

Hortulanus

Bombardis destinatus locus.

suram salices crebræ adsitæ. Quo loco non importunè varios instituunt lusus, quibus se recreant & quibus qui se lauant, honestæ recreationis & exercitationis gratia frui poterunt: nec desunt collusores, cùm tanta præsertim omnis generis hominum è vicinis locis frequentia eò confluat.

De pago Boll, incolis, ac aliis locis in quæ è domo balnei ab Ill. E.C. instituta, éque colle proximo Eichelberg patet prospectus.

Cap. III.

Tantillum à fonte nostro medicato abest pagus Boll, vt vno horæ quadrante facilè conficias, itinere iucundo per prata & agros. Is autem non minus amœnus quàm magnus, loco situs est partim plano, partim cliuoso: in quo domus circiter 160. satis commodè ædificatæ, lapide scißili tectæ. Sed præcipua, vt par est, templi amplitudo & structura, in quo mihi sequentia obseruata. Lapis olim portæ templi adpositus, cũ hac visitur inscriptione, (literis, Templum. *non illis quidem Romanis, sed ad Gotthicas dictas accedentibus:) II. Calend. August. dedicatum est hoc templum in honorem Domini nostri Iesu Christi & sanctæ Mariæ. In ipso templo scuta antiqua sunt renouata: vnum cum hac inscriptione* Der Graffen von Rawenstein alt wappen Fraw Berchten der ein mann, *h.e. Comitum à Rawenstein vetera insignia, vnde oriundus, Dominæ Berchtæ primus maritus. Anno 1531. alterum cum sequenti* Graff Heinrich von Irtzberg der dritte mann, *h.e. Comes Henricus ab Irtzberg tertius maritus. Propè templum est sacellum, cui adscriptus annus 1464. In sacello ad mortis effigiem legitur:*

Schawen an arm vnd reich
Ihr werdend all mir gleich, *id est,*
Contemplamini pauperes & diuites,
Similes olim mihi eritis.

Nec sua Bollensibus deest curia seu domus, vt hodie vocant, senatoria, neutiquam spernenda, &, vt locus fert, satis instructa, quæ me fontis Admirabilis historiam pertexentem ab Augusti mensis 23. ad Octob. 25. excepit. Puteos paßim est videre multos, maiores, minores: vnum etiam magnum extra pagum: atque hosce quidem non altos admodum, aqua tamen laudabiles. Medium verò pagum interluit riuulus. Incolis statura mediocris, quorum plures videas senes qui etiam ad centum perueniunt annos, id quod aquæ medicatæ beneficio fieri persuasum habent quidam, qui etiam malè affecti, ad eius haustum confugiunt: Domus senatoria. Putei. Riuulus. Incolæ.

opes non pœnitendæ, vestitus honestus : in agris colendis laboriosi, diligentes: erga aduenas officiosi, humani: in audiendis concionibus, quantum ego quidem animaduertere potui, seduli. Victus satis lautus & panis laudatus. Est & ijs Vaporariũ. *vaporarium satis commodum & amplum, in quo ipse & sudaui & laui: id valdè frequentant & sæpè scarificant : eoq; nomine balneatore & tonsore non destituuntur, (cui nomen Christophoro Guttenwirt) viro humano, in fracturis reparandis, luxationibus restituendis, aliisq; Chirurgicis operationibus administrandis exercitato. Est & pago sua moletrina.* Concionatores *Concionatorem habent doctum D. M. Erhardum Frischmannum, eique doctum συνεργὸν adiunctum D. M. Tobiam Cepariũ, vtrumque officio suo diligenter & fideliter perfungentem.* Hospitia. *Diuersoria tria, interdum plura:* Equi. *equorum non spernendorum, pecorum bonorum beneque habitorum copia.* Carnes. *Carnes in hoc pago & vicinis vt salubres existimem facit pascuorum bonitas, siquidem prata carum herba siue carui dicta, trifolia, aliæq; salubres plantæ, de quibus post, conuestiunt.* Pisces. *Non longè inde, præter riuulos, flumina vicina Niccarus, Filsa & Lautter, pisces quidem primæ notæ suppeditant:* Vina. *Vina verò vicinia tota, eaq; salubria, siticulosis balneatoribus & lauantibus expetita, oligophora, acerbitatis insignis nescia, si eligantur. Tenuioribus arentes fauces acidi fontes proximi, de quibus mox, colluerint : nec* Aues. Ligna. *aues & ligna desunt, quippe quæ vicini montes & syluæ subministrant.* Aer. *Aëre conijcio salubri & temperato vti, nec calore nec humiditate, nec frigore nimio (non enim altiores niuosi montes vlli in vicinia) infesto: aperto, libero, non vallibus concluso, non paludibus stagnisue nubilo, sed quem è riuulis & torrentibus aura lenis euentilet. Temperatioris autem aëris mihi fidem facit fructuum, vt pyrorum, pomorum, malorum cydoniorum, in hoc pago & viciniâ vber copia, cùm tamen hoc anno 1596. plærisque locis pluuiâ frigoreq; enecti, cum aliarum arborum tum vitium flores fructuum spem omnem præciderint. Nec inefficax aëris salubrioris argumentum præbent hîc senes vegeti & alacres : sic vt melancholicis commodiorem locum, tam propter loci amœnitatem, quàm vicinarum vrbium, proximorumq; castellorum & pagorum, de quibus post, vix queas reperire. Euntibus à Boll pago ad fontem medicatum & balneum, ad sinistram pulchri colles, culti agris, hortis, pratis, arboribus fructiferis mirâ voluptate ocu*- Feræ. *los mentemq; perfundunt: nec minore montes proximi non admodum elati (in quibus apri, capreoli, cerui (qui hinc, vt suprà meminimus, progreßi ad fontem aquæ huius desiderio confluebant frequentes) vsque ad pagum Eichelberg, horæ circiter semißis à balneo itinere: inter quem & fontem medicatum Bollensem* Vvelden. *est ad colles pagus inter arbores fructiferas ferè latitans,* welden im Hunerlaw *dictus, à fonte vix horæ quadrantem remotus, in quo Septemb. 17. multa obseruaui pomorum & pyrorum genera. Atque ex istis quidem montibus torrens se præcipitat, fontem medicatum præterfluens, quem vbi præterijt, alteri ex ijsdem montibus orto miscetur, per fißiles lapides delapsus, id quod de altero* Riuulus. *quoque inaudiendum. Posset in hoc riuulo piscina vna pluresue præter iam pa*-

ratas asseruandæ propagandæq; piscium soboli parari: non longè autem à Bollensi balneo ponticulo iungitur riuulus ad pagum Pleinspach *tendens. Ante balneum & fontem medicatum circumq; est planities amæna, magna, fertilis, in qua prata optima salutaribus herbis donata. In agris serunt zeam dicoccam, & zeæ genus vernum, quod* Immer *vocant (de quo postea) auenam, pisa, fabam, viciam, linum, canabim, braßicam capitatam albam &c.* Fons Planities.

Eichelberg autem, de quo paulò antè, pagus est pulcherrimè situs ad montem, in quo variæ stirpes, in planitie mihi minimè obseruatæ. In hoc monte agri quò minùs arentur faciunt cliuorum præcipitia: quare ligone fodiuntur. Habet & salientis aquæ, bonæ, frigidæ scatebram. Cum à pago ad castellum ascenderem, cochlitæ lapidis magni fragmentum inueni, vt in fine libri ex figura apparebit. Supra pagum in montis non admodum alti cacumine erat olim castellum, satis laxum (cuius etiamnum apparent rudera) situ & prospectu amœnißimo, fastigio rotundo, liberum etiã circumquaque, & à monte maiore, qui retro est. Hinc audio pro paranda calce ad nostrum balneum ædificandum multos auectos lapides: quando non admodum longè à monte Eichelberg Illust. E.C. fornaces calcarias tres magnas (apud quas fui Sept. 22.) extruendas curauit, ad Mompelgardensium instar (vnde operas euocauit) è vimine plexo in turris modum fastigiatas, argilla intrinsecus oblitas. Cæterùm ex colle Eichelberg (qui horæ circiter semissem à fonte abest) & balneo medicato Bollẽsi eiusq; domo, & planitie, conspiciuntur vrbes, castella, pagi, montesq; excelsi crebri, quorum partem annotabimus, vt de fontis huius medicati amœnitate cõstet. Sicuti ex tabella chorographica quam à Philippo Gretter Ill. E.C. pictore diligentißimo, depictam sculpendam curauimus, manifestè apparebit. Porrò autem retro castellum hoc, ad sinistram, est mons syluosus, mediocriter altus. Inde aspicientibus offert se pagus (nisi prospectum eriperet interiecta sylua) Hepschaw, *ita demonstrante rustico, horæ vnius itinere ab Eichelberg distãs, quem montes spectandæ magnitudinis parte postica claudũt. Indidem & Willa vrbs (horæ semissem ab Eichelberg abest) conspicitur: (quod iter & ipse ab Ill. E.C. Vracũ euocatus secutus sum, per Eichelberg nimirũ & Willam, quam subiectum* προάστειον *amplum, & vineæ frequentes decorant: accedit & vrbi dignitas à præterlabente fluuio ex* Lautter *deducto (duo enim fluuij eodem gaudent nomine) ex* Neidlingen *pago & castello descendente, quod à Boll quidem duas circiter horas cum semisse: à Willa autem horæ semissem abest. Hîc libet obiter luctuosam intexere historiam: Octob. 20. cùm Kirchen contenderem, circa horam nonam in suburbio Willensi incendium obseruaui: nam animaduerso hominum concursu, auditoq; campanarum sonitu, in collem ad sinistram prope Vmbden subuehor, syluaq; eluctatus, fumum percipio densißima caligine horridum, quo loco horreum & stabulum vaccis Illust. E. C. destinatum, amplum, in quo cordi fœni vis magna. Feliciter autem in tanto infortunio ceßit, quòd, licet violento impetu debaccharentur venti, in plures domos contagij ignei*

Eichelberg pagus & castellum.

Lapis cochlites.

Fornaces calcariæ.

Hebschavv.

Vvilla vrbs.

Lautter fluuij duo.

Incendium à cordo fœno.

vis vlteriùs, non serpserit. Incendij caussam referunt multi ad fœnum autumnale nondum satis resiccatum repositum. Eandem etiam caussam existimant concremati horrei & bubilis Illust. E. C. in Babenhausen 5. Octob. noctu. Vidi aliquando & Mompelgardi incendium, quod à cordo fœno quoque excitatum dicebatur. Id putant euenire, fœno cordo per imprudentiam humido & putrescēti reposito. Sed ad rem. Vltra Vuillam ad sinistram est mons rotundus, ab alijs seiunctus, in quo agri: in cuius cacumine fontem esse perhibent. Talem etiam habet Illust. E. C. in vitifero suo monte Montbelgardensi, Eiusmodi etiam in Sungouia Lotharingiam versùs in cacumine præcelsi montis ab alijs semoti, in castello Vvildstein, Abbatum Maurbachēsium, obseruaui. Vltra prædictū montem Willensem ingentes sunt montes alij, in quorum fine ad sinistrā ex castello Eichelberg ostendebatur Hanenkam arx diruta, in monte syluoso, ab vrbe Vvilla horæ semissem distans. Retrò excipiunt valles, & has montes alij. Inter Hanenkam & pagum sequentem Bysingen interiacet syluula: Est autem Bysingen pagus magnus & templo insignis, horam à Vvilla submotus, quem Vracum contendens pertransij. Sequitur magnus mons & excelsus, in cuius fastigio, satis illo quidem amplo, arx est Teck dicta, ante annos multos diruta, longè lateque per Ducatum Vvirtembergicum conspicua. In itinere Vracensi ex Bysingen, semitæ insistens montem ascendi, flante vsque adeo violenti vēto, vt verendum esset, ne cum equis præcipitaremur. Octob. 23 iterum ex Kirchen contend ad montem Teccensem, locum visurus vnde bolus rubra eruitur, qui est iuxta viam, de qua fusius capite de Bolo. Inde autem, locum priùs contēplati, progredimur ad arcem vsque, cuius muri pulchrè extructi, vndeque insignis lōgè lateque prospectus. Suprà est planities pluriū passuum, &, quod notabile, insignis fons passus plures ab arce è rupe promanans. Montē hunc ambiunt cōualles circumquaque spatiosæ, quibus ab alijs dirimitur montibus, neque verò planities tanta vt delapsâ eò aqua inundet. Paulò supra fontem patula est Tilia montana siue minore folio, satis hîc tamen magno, quæ Septemb. 2. diluculo antè solis exortum de cœlo tacta nouem Helueticas vaccas, eximias, sub ea recubantes, ex ijs quas multas ibi curat alendas Illust. E. C. obruit. Ibidem etiam bubile ab arce passibus aliquot abest. Sed vt eò, vnde sumus digressi, redeamus, Teckham prætergressi, cacumen montis ad sinistram reliquimus, in quo, præcipiti situ, arx cōspicitur, à Bysingen horæ semissem seiuncta. In eodem itinere Vracensi in oppidum Auwen deuenimus, cui adnexum suburbium, interluente fluuio Lauter alio à supradicto cognomine: siquidem hic per Lemmingen & Guttenberg arce & pago à Boll quidem tribus horis distante, sub aspectum tamen minimè cadente, transit: Quod autem soli inter Auwen & Teck interiacet, hora ferè mediâ: ad fontem verò Boilensem duabus horis cum semisse confeceris: Vineas habet multas & pomaria pulchra, planitiem versus quæ Kirchen respicit. Propter Auwen ad horæ quadrantem, per prata vallem versus & montes euntibus, fons occurrit & balneum, cui Sauwbad nomen. Vbi supra fontis exa-

Fontes notatu digni.

Hanenkam arx.

Bysingen.

Teck arx.

Bolus rubra.

Tilia fulmine tacta & boues suffocati.

Auvven oppidum.

Sevvbad.

ortū collis est vitibus consitus. Gemina fonti scaturigo, altera occlusa, quæ degustata frigida quidē, sed ineffabilem saporē relinquit: altera in piscinā diffusa degenerat paruam, in qua iunci magni, & ranæ mihi obseruatæ. Ex hac piscina inferiùs paulò altera quoq; deriuata est. Qui adhæret cacabis lapis crustatus subcinereo & luteo colore pallet. Scribit doctus vir Georgius Marius Vvirtēbergensis, olim Ill. Electoris Ludouici Palatini Medicus, fontem hunc constare cupro, vitriolo & Erythria terra (intelligo rubricam) est hoc loco balneum duntaxat & hospes vnicus, quò quidam lauādi caussa concurrunt, sic vt pluribus interim balneare volentibus satis sit loci. Sed progrediamur. Ex Eichelberg, vltra syluulā in planitie in conspectū se dat Nabern pagus cum templo, non longè à Nabern fons est ad dysenteriam commēdatus (apud quem fui Octob. 23 cum Domino D. Rentzio) de quo copiosiùs capite de dysenteria. Sequitur Dettingen in planitie horæ semissem à Nabern, ab Auwen autem & fonte Bollensi duas horas cum semisse dißitus pagus vastus, templo insignis, & amænis pomarijs, quem interluit fluuius Lautter, ex Auwen progressus: hâc mihi transitus fuit Vraco per Auwen, indeque vrbem Kirchen non longè inde dißitam venienti. Propè Eichelberg ad horæ quadrantem est piscina, inde pagus Holtzmaden, à balneo Bollensi horam ferè vnam. Nec longè inde ab itinere Bollensi, Kirchen versus, ad sinistram, sese alius offert pagus Iesingen, magnus ille & templo auctus ad fluuium Lautter à weilheim delapsum. Abest hic à Balneo & fonte Bollensi horam vnam & semissem: à Kirchen vrbe, horæ semissem, propter viam ex Boll. Kirchen versus ad sinistram. Sub Eichelberg ad horæ quadrantem est Zell pagus (in quo fui) satis magnus, à balneo horæ semissem dißitus, Tēplo, Concionatore, & Ludimagistro: puteis insuper bonis, & salientis aquæ fonte laudato, arboribus fructiferis multis (quarum fructus plærosque annotaui) donatus. Domos tegit lapis scißilis, (cuius fodinæ ad balneum venienti mihi obseruatæ) varias limacum figuras, & ex ijs aliquas nitella cupri fulgentes, pyritenq; exhibens. Horæ quadrantem vltra Zell per agros & prata euntibus, ad syluulam rusticorum, est riuulus, quem per lapidem scißilem delabentem gemini colliculi vtrinque coërcent. Iuxtaq; illum fons, cui Rappenzagel nomen fecerūt. Is per scißilis lapidis crepidines olim fluebat: postquam autem Illust. E. C. ad pedes aliquot peruestigandum curauit vltra riuulum, in restagnantem paruam paludem abijt. Cuius mihi aqua Septemb. 19. contemplanti, cœrulea visa, odore sulphuris graui: metæ veluti nebulæ albicantes innatabant, cùm tamen subtus pura esset. Referebant rustici, nisi præcedente die pluisset, superficiem albam futuram fuisse, haud secus ac si flore lactis esset obducta. Addebant hâc æstate senes & pueros scabiosos in eo lotos sanitatem recuperasse. Aqua est non admodum frigida, sapore ineffabili, subadstringente. In ea vidi pisciculos, quos fundulos esse dictitabant, & à pueris capi. Vtrinque imminent colliculi è lapide scißili limacibus figurato. Variæ salutares herbæ, inter quas & Asarum, propè proueniunt. Exonerat se autem in riuulum. Verùm non eam suppeditat aquæ co-

Nabern.

Dettingen.

Holtzmadē.

Iesingen.

Zell.

Fons medicatus Rappenzagel.

piam, vt potuerit ibi balneum institui · ita tamen adornari posset, vt è proximo balneo eò se transferre queant ægroti, seu animi recreandi seu bibendi ergô, si fortè, quàm Bollensis, magis esset medicata. Octob. 20. reuersus ad fontem Rappenzagel, *aquam deprehendi subcæruleam, odore & sapore bituminis vehementi, euidenti. Narrabat qui deducebat, multos ex* Zell *&* Eichelberg *de hoc fonte bibere, ac qui primus detexisset (huic Petro Hanne nomen) rusticum Aichelbergensem esse senem, venationi valdè addictum, qui & olim obseruauit ceruos sæpius eò venire & de eo bibere: illum autē nullam ferè aliam aquam bibere. Huius aquam* Kirchen *vrbem 21. Octob. delatam in sartagine decoxi, cuius vnciæ 40. sedimenti ℈ ß. reddiderunt, sed diuersi à fonte Mirabili: siquidem & quantitas minor relicta, & color diuersus, cinereus, salsedinem vixdum resipiens. Sartaginem diuersæ maculæ infecerant rubentes, subluteæ, quod ab aqua Admirabili non euenit. Eadem in sartagine ferrea decocta, flauescens quid in margine fundoq́ reliquit. Gallas in patella ænea ex aqua communi decoximus, quarum colamen cum aqua* Rappenzagel *remistum gallarum colorem retulit. Quæ autē in sartagine ferrea erat, tota nigra reddita est aqua. Verum remista decoctio cum aqua in fictili & æneo vase colorem minimè mutauit. Decoctio etiam gallarum ex aqua communi in ferro, nigra reddita est : in alijs vasis, non item: vnde apparet Fallopij argumentum in discernenda aqua aluminosa & chalcantho delibuta incertum esse, vt iam dictum. Iam ad alia pergamus. Qui ex Boll pago* Kirchen *contendunt,* Zell *pagum proximè relinquunt ad sinistram ac transeunt iuxta fodinas lapidis fissilis, quem figurarum varietate ludere animaduerti. Hoc iter etiam conficiens veni in* Ombden *pagum egregium templo donatum & hospite, à quo per noctem satis lautè exceptus sum: pagus autem hic à fonte Admirabili abest horæ vnius itinere Ex fodinis mox dictis rusticus in ijsdem dum prætereo laborans,* Agstein *nomine dedit Bitumen Gagatæ remistum. Ex hoc genere quædam partes sunt friabiles, sed non ita vt in bitumine Bollensi: adsunt aliæ partes similes succino nigro vel lapidi Gagatæ. Igni si admoueas, flammam concipit, odor, qui bitumini. Primio obtutu titionem dicas, nec enim abludit similitudo germana Inter* Eichelberg *&* Ombdē *interiacet syluula. Post* Ombden *sequitur* Kirchen *vrbs, vnius horæ itinere, vbi & torrens superandus. Infra* Kirchen *iunguntur vtrique* Lautter *fluuij. Ex* Eichelberg *deinde monstrabat rusticus pagum exiguum* Lindtdorff *ad Niccarum, & alium* Reydern *vicinum vrbi* Nürttingæ, *quæ est ad Niccarum: (quam, quò minùs videamus impedimēto est sylua) ab* Eichelberg *horas duas cum semisse, à balneo tres dissitum. Ostendebat idem & pagum* Dailfingen, *quem magnum esse dictitabat, ad Niccarum situm, horam vnā vltra* Nürttingen. *Post* Kirchen *item ad dextram pagum* Ottlingen *ad horæ quadrantem: inde arcem* Poderizhoffen *cum pago. Hinc* windlingen, *in quo arces duæ, vbi antè annos 12 fui. Proximè* Boyhingen *pagum cum templo. Horam vnam vltra* Kirchen, Kungen *pagum cum arce nobilium à* Thum. *Demonstrabat*

Ombden.
Bitumen & Succinum.
Kirchē vrbs & arx.
Nurttinga vrbs.
Dailfingen.
Poderzhoffen arx.
Kungen cum arce.

strabat & Bercken *in monte vltra syluam, pagum magnum cum templo, horam vnam à* Kungen, *ab* Esslingen *horæ semissem, à balneo Bollensi horas quatuor cum semisse dissitum, monti autem aiebat subiectum Niccarum. Ex* Eichelberg *non longè à pago* Zell *conspicitur* Pliensspach *pagus, amœnus (à balneo horæ semissem abest) fructiferarum arborum frequentia fœcundus: eò per prata, agros, collem, peruenitur. Hunc alluit riuus, qui fontem Bollensem proximè præterlapsus,* Hattenhouen *&* Rewenstat *versus pergit, vbi funduli & pisciculi* Pfellen *Germanis dicti capiuntur. Non longè à* Pleinspach, *horæ ferè semissem à fonte medicato, quà Bollâ Eslingam itur, est pagus exiguus* (weyler *vocant*) *quem &* Reuwenstat *indigitant, in quo fons acidus laudatus, 13. Septemb. ex scatebris mihi degustatus, probabatur, sapore acido, qualis est fonti S. Petri in valle Griesbachiana Episcoporum Argentinensium, à rusticis sapor ei adscribitur æris h. e. vt ipsi loquuntur,* Es Kupfert. *Mihi verò ferruginem sapit, aut atramentum scriptorium. Non est vsque adeo tamen ingratus, nam & pleno haustu horâ vnâ ante cœnam sine noxa me proluit: ipsiq; adeo rustici, licet alium habeant fontem, ex hoc tamen ad potum, ex altero ad cibos coquendos aquam hauriunt. Positus autem est, ad moletrinam, in putei formam lapide cæso extructus, quem circùm Lichen seu hepatica coronat. Proximè autem inferiùs inundat riuulus ex* Pleinsbach *promanans, quà à fonte medicato Bollam itur: vbi & in sylua vicina ceruas tres vidimus, quæ conspectum nostrū neutiquam refugerūt, tanquam cicures, & hominibus assuetæ. Cæterùm aquam prædictam acidam, quam Hathouensem voco, Octob. 7. in balneo Mariæ destillaui: quæ primò, secundò, tertioq; prodijt, sapore erat ingrato, instar loturæ boli argilloso: residentia subflaua, argillosa. Octob. 22. in patella orichalcea cocta, sedimentum reliquit subluteum, leue. Verum pergamus. Iuxta* Rewstat *est* Hattenhouwen, *pagus magnus, templo donatus, horam ferè à Boll distans. Inde* Schlierbach, *pagus item magnus cum suo templo, horam circiter ab* Hattenhauwen: *sequitur* Hochdorff *cum templo: inde* Blochingen *pagus cum templo, horam inde remotus, non tamen conspicuus: vitibus multis excultus, quarum vuas Bollam vidi translatas, albas, bonas, dulces, benè maturas: rubras non item. Præcedente die, fuit Septemb. 21. cæperant vindemiare: abest à Boll trium horarum itinere cum semisse. Vnam inde horam est pagus nequaquam conspicuus Alppach, postea Zell templo donatus, horam dimidiam ab Alppach, subsequitur. Pòst* Ober Esslingen *cum templo horæ abest semissem, ab vrbe autem Eslinga quadrantem: iter verò à Balneo Eslingam est horarum sex. Ab Eslinga duarum horarum itinere, ad sinistram est Stuccardia, nec ea conspicua. Vltra* Hattenhouen *ad horam cum semisse est* Crapffenreutten *pagus paruus: inde* Burthenbron *paruus quoque, ab Hattenhouen horam cum semisse: à balneo duas dissitus: mox ad horæ quadrantem exiguus occurrit pagus,* Dietzberg: *pòst in monte pagus laxus cum templo,* Hohengern, *tribus à balneo horis: hinc* Palmarsweyler *pagus templo donatus tribus à fonte medicato*

Esslingen. Pliensspach. Hattēhouē. Revvēstat. Fōs acidus. Schlierbach. Blochingē. Eslinga vrbs. Hohēgern.

Adelberg Abbatia. *horis abest.* Adelberg *Abbatia eiq; adiacens pagus* Hundsholtz *tribus à balneo abest horis:* Aschenbeyern *autem pagus magnus templo decoratus, duabus cum semisse à fonte medicato Bollensi: atq; ab eodem tribus arx* Rechenbergerhausen *in monte, oppidumq; ad montẽ vltra Göppingam. Supra Göppingã verò horã cum semisse abest ad sinistrã* Hohenstauffen *pagus magnus cum templo. In monte est* Stauffeneck *arx collapsa. Inq; alio monte præcelso arx conspicitur* Ramsperg. *Mox* Hohenrechberg *pagus Baronum, medij dici itinere à Göppinga.* Gemind *vrbs Imperij, minùs conspicua tribus à Boll miliaribus seu horarum sex itinere disparata Medicum habet & Pharmacopœum. Redeuntibus à fonte & balneo ad pagum Boll, est ad sinistram non longè à Boll pagus* Sehningen, *in quo domus egregiæ, hospitia duo, fons aquæ salientis & putei. Ibi quoq; multos videas lapides scißiles limacibus varijs picturatos. Eò loci etiã copiosè prouenit hepatica siue lichen petræus. Proximè supra Boll, itinere Göppingensi, habet Ill. E. C. qui metalla fodiant, iamq; exeunte Augusto ad 33. orgyias in altum progreßi reperiunt lapides fißiles, pyritas varios, & cochlitas. Paulò pòst ad dextram montes versus videre est pagum Durnaw, cum castello Nobilis viri, Vvolffgangi Nicolai à Zillort: cuius pagi horologium in Boll exauditur: ad sinistram verò,* Batzgerirt *pagus magnus, templo ornatus, horam dimidiam à Boll abest. Pòst etiam ad dextram, tantundem abest* Heyningen *pagus magnus, cum templo. Ad dextrã quoq; est* Hamelshausen *pagus, tẽplo insignis, horã vnam à Boll dißitus. Longiusq; ad dextram* Eichenbach *pagus magnus, & is quoq; tẽplo donatus, horã vnam à Boll &* Durnaw. *Iã ad sinistram, propter viam regiã est pagus* Vhingen *insignis magnitudinis, cũ tẽplo, vbi & teloniũ. Hinc* Yrbinhausen, *pagus magnus, fonte acido & balneo splẽdido celebris, horã vnã à Boll remotus. Ad sinistrã item* Liengbron *fontẽ habet acidũ, balneum & hospitiũ. Sequuntur inde ad sinistrã,* Fulseck *castellũ in colle:* Fawendaw *pagus cũ moletrina ad fluuiũ* Füls. *Propterq; eundẽ hunc fluuium ad sinistrã fons acidus Göppingensis, & balneorũ & pandochiorum splendore nominatißimus. Proximè autẽ cis fluuiũ* Füls *ipsa sita est Göppinga, minimè tamen conspicua ex locis Boll vicinis, vtraq; verò à Boll horã vnam cũ semisse abest. At Göppingam versus horæ semissem progreßis occurrit pagus,* Voltzn *templo donatus, cui in sacris præest M. Ioh. Schles, vir doctus, & poëta Germanicus insignis, ex promptæ felicitatis, qui & historiã hanc meã de fonte medicato Bollensi carmine prosecutus est. Atq; hic quidem pagus minimè est conspicuus sed proximi* Eysling & klein Eisling. *Göppingæ ad dextram approximat* Dondesdorff, *nobilium castellũ & pagus magnus, à Boll quatuor, vt aiunt, horas remotus. Inde est* Scharpffberg *monti præcelso arx imposita. Octob. 15. inuisimus fontem, quem* Reechberg *appellitant, ego & Vdalricus Gantz, in quo itinere sequentia loca nobis vel adita, vel visa. Primùm quidem* Stelen *in prato haud irriguo seu sicco (quod genus* Vvasen *Germani vocãt) hinc accliui via* Brand *dicto ascenso, syluam & montem* Horn *transiuimus:*

Marginalia: Adelberg Abbatia. / Rechenbergerhausen arx. / Hohẽstauffen arx. / Stauffeneck arx. / Gemind vrbs. / Sehningẽ. / Fodinæ metallorum. / Durnavv. / Heyningen / Vhingen. / Fõs acidus. / Geppingen vrbs. / Ioh. Schles. / Horn.

Ad dextram autem relictâ ſyluâ Kaltban, Steingrub *venimus, vnde effoſſus lapis ſabuloſus bonitatis laudatæ, quo vſi ſunt ad Admirabilis balnei ſubſtructiones. Inde ſuperato monte in planitiem* (auff Buch *vocant*) *venimus, ex qua demonſtratus mihi mons & pagus* Richenbach, *vbi Ill. E. C. argenti fodinæ trium horarũ à Boll itinere diſſitæ, quò cõtendenti, per* Hatlenhouen *&* Roſwelden *pagos erat tranſeundum: demonſtratum quoq; ſtagnũ cum pago* Sparwiſen: *per quam etiã planitiẽ iuimus, eius ſolũ multis locis inuerſum erat, quod ab apris dicebant factum, Carlinam quærẽtibus. Hinc paulùm progreſſi ad fontem* Rehenbrun *deſcendimus, ad potum incolis celebratum, quem ad balneum Admirabilis fõtis facilè deriuari poſſe affirmabãt: quod quidẽ fieri poſſe nõ diffiteor, ſed non ſine ſumptibus, & quidem, vt mihi videtur, non neceſſarijs: quandoquidem & ipſius fontis Admirabilis aqua potu ſalubris eſt, & in vicinia non deſunt tum fontes tum putei laudati, aliosq; ipſi aſſerunt dari, qui cùm à fonte Admirabili propiùs abſint, faciliùs, ſi opus ſit, etiam deriuari poſſint. Porrò autẽ fontem hunc ex montis ſupercilio exortum, & per iugum quoq; ipſum excurrentem, æſtus ſolis ſecurum venâ perenni neutiquam areſcere perhibent: cuius alueum rupes conſtituit ex lapide arenoſo quali ad ædium ſtructuras vſi ſunt: propter hunc fontẽ eſt videre terram duriuſculam, nigram ferè, quã* Schwartz lebern kiſs *vocant, cuiuſmodi etiã circa Boll pago & fonti Admirabili finitima loca inuenitur. Sub fonte eſt ſylua* Eſpenhew *& riuus; pòſt ſylua* Nerle, *per quam tranſitus euntibus* Gruibingen. *A fonte volentibus in Boll venire, iterum per ſemitã aſcendendẽdum fuit eandem, per quam paulùm deſcenderamus: vnde nonnihil progreſſi in aduerſum collem tendimus, vnde fortè fonti origo prima in montis ſupercilio & planitiei inde excurrentis parte, quo loco aqua conſpiciebatur, & in ea junci & ranunculus adhuc florens. Proxima eſt foſſa, ex qua figulus Grübingenſis argillam effodit luteam, pinguem. Ab hac ſcrobe iter capeſſimus decliue leniter & iucũdum, per ſyluam* im Horn, *de qua ſuprà, pulchris arboribus vmbroſam: fraxino lanceis materiam ſuppeditatura, vlmo ſurrecta, ceraſo fructu rubro & nigro &c. Hinc ad dextram reliquimus ſyluam* Vvaldkumle *&* Kalckofen *&* Burckhaldert, *olim* Hohenlandsehrn *vocatum: in media ſylua monti impoſitum caſtellum eorum, qui templum Bollenſe fundarũt, cuius ſola ſupereſſe perhibent rudera, & rara quædam ibi interdum inueniri. Sequitur ad dextram quoque ſylua* Heydenhawen, *& alia* Stuckenhauwen. *Demum* Holtzwaſſer *traiecto Bollam appulimus vnius vix horæ itinere deſcendendo à fonte* Rechenbron. *Vltra Boll eſt & locus* auff der Heyd *dictus ad dextram euntibus* Durnaw.

Richẽbach.

Sparvviſen.

Rehenbrũ.

Nerle ſylua.

Hohẽlãdsehrn arx.

De commodis, quæ in nouo mirabili fonte balneantibus vicinæ vrbes & loca ſubminiſtrare poterunt.

Cap. IIII.

NON parum certè fonti & balneo Bollenſi accedit ex vrbium, quas multas habet vicinas, celebritate, propinquitateq́. Inter quas Gôppinga doctos alit Medicos, quos ægri vel ante balneum, vel ſi quid inter lauandum ſiniſtri accidat, conſulere poßint. In ea medicinam factitarunt inſignes Medici, D. D. Oſwaldus Gabelhouer, ſtudiorum meorum ſocius, nunc Illuſt. E. C. Medicus aulicus: D. D. Daniel Möglinus, nunc Profeſſor Tubingenſis, Göppingæ 1581. mihi viſus cũ quo amicitia renouata Tubingæ hoc anno. Iã verò D. D. Adamus Iunius, & D. D. Iohã. Ochſlin, vir ſanè omni laude dignus ob doctrinã, medicinæ peritiam & in ea facienda felicitatem, ſine fuco & iactantia modeſtiam humanitatemq́. Habet & ea vrbs Pharmacopæos duos, Medicis in præparandis pharmacis qui ſubſeruiant. Amplitudo ea, vt multa tum ad victum, tum ad alia neceſſaria abunde ſuppeditare poßit: quò accedit & propinquitas, ſiquidem ſeſquihoræ, ſummùm horarum duarum, abeſt itinere, via iucunda, facili: arce Illuſt. E. C. magnificâ, horto varijs ſtirpibus exculto, fonte acido ſuburbano potu vtili, & balneo nobili donata: circa quẽ reperiri audio lapidẽ ſciſsilem, & belemniten frequentem. Eſt inter Göppingam & Yebenhauſen fons acidus laudatus Lingenbron. In Yebenhauſen celebri balneo eſt fons optimus, de quo fœliciter multas ſeptimanas, ab Augusti putà 23. ad Octobris 21. bibi. Octob. 22. acidulæ Yebenhauſanæ in patella orichalcea decoctæ ſpumam albam edebant: quod autem lateribus adhærens & fundo ſubſederat, album, leue, inſipidum: coſlamini addita gallarum decoctione in patella orichalcea & ſcutella terrea, nulla inde ſecuta nigredo: in ferrea verò, color factus niger, nigerrimus tantillo vitrioli iniecto, in quocumque tandem vaſe, in quo eſſet decoctum gallarum, idq́ ſubitò. In arena deſtillatæ liquor ſtillatitius non ingratus. Sed præter hanc, & aliæ vrbes non admodum dißitæ neceſſaria multa ſubminiſtrauerint, vt Kirchen, arce Illuſt. E. C. ſplendida, quam duarum circiter horarum iter duntaxat ſemouet. In ea mihi notus egregius & eruditus Medicus Georgius Rentzius, qui in celeberrimis Germaniæ & Italiæ Academijs artem ſumma diligentia edoctus, tandem dignum ſtudiorum ſuorum præmium in celebri Academia Tubingenſi, Apollinea laurea decoratus recepit, magnaq́ iam & dexteritate & fœlicitate medicinam facit. Quò etiam Illuſt. E. C. ex Calb, Iohan. Lutz euocauit, pharmacopœicæ peritiæ, fidei, & ſobrietatis nomine commendatißimum, cui pharmacopo-

Gôppinga.

Fôs acidus Gôpping.

Fôs acidus Lingẽbrũ.

Fôs acidus Yebenhauſenſis eiuſque examẽ.

Kirchen vrbs.

lium lautè instructum, oleis, extractis, alijsq; raris magna industria & religione præparatis exornatū. Sunt & alij duo Medici, sed mihi non benè noti. Vltra Kirchen horam progreßis est Nürtinga vrbs, vbi arx & Ducis viduæ sedes. Vuilla vrbs, vbi vineæ proximè, sesquihoram à Boll abest. Vracum indidem quinque horarum itinere, vbi antiqua Principum & Ducum domus, & in summo mōte arx munitißima Hoch vrach *in quo fui hoc anno ex singulari permißione Illust. E. C. Eo in loco & vicinis salutarium plantarum est prouentus. Pisces bonos & magnos suppeditat fluuius* Ermst *inter quos & troctam seu trutam, vt nominat Hadr. Iunius. Vraci est doctus & fœlix Medicus ac insignis poëta D. Doct. Laurentius Homemus, cum quo contigit amicitiam contrahere gratißimam anno 1596. Aug. 6. cùm eò ab Illust. Principe vocarer. Schorndorffium vrbs cum arce munitißima sex circiter horarum itinere distat; vbi mihi innotuerunt egregius Medicus D. Philippus Brauch, & Pharmacopæus Leonhardus Hageloch, cuius hortum pulchris plantis excultum vidi. Eßlinga vrbs sex circiter horarum itinere distat, vbi antiquus & summus amicus Dn. Sebastianus Volmarius celebris & doctus Pharmacopœus, excellentis & magni nominis Pharmacopœi stirpiumq; peritißimi Dn. Iohan. Volmarij filius: in cuius horto, anno 1560. raras vidi plantas, sicuti aliquoties in Dn. Sebastiani F. cui gener doctus vir D. Martinus Solfleisch artis Pæoniæ consultißimus, Medicus Eßlingensis. Non omittenda hîc Rœtlinga quatuor horarum itinere dißita, in qua celebrari audio D. D. Alexandrum Camererium: habet & Pharmacopœum. Tubinga doctißimis in omni facultate Professoribus celeberrima, non longiùs, quàm octo horarum itinere dißita, præclaros habet Medicos D. D. Hambergerum, Mœglinum, Philippum Grawer, & Pappium: nec deest Pharmacopœus. Stuccardia populosa & magna, Ducatus Vuirtembergici metropolis, Principum nostrorum & Ducum sedes, vnius diei itinere non distat, vbi socij mei, mecumq; Ill. Ducis Vuirtembergici, Medici aulici, D. D. Paulus Constantinus Phrygio, Oswaldus Gabelchouerus, & Christophorus Schwartz: quò & alij commeant subinde aut etiam commorantur Medici docti, in quibus est Gilbertus Vay. Pharmacopæi plures: diligens est Casparus Gebhardus Marchius aulicus in medicamentorum præparatione mistioneq;. Hîc mihi non silendus hortus Ill. Ducis, splendidißimus, cultißimus, multis plantis peregrinis vernaculisq; refertißimus. Vuisensteig, Illust. Comitis Rudolphi ab Helffstein vrbs duas duntaxat horas distat, itinere satis commodo accliui ad collem syluosum prope Boll, inde autem per conuallem amœnis conclusam montibus quibus gratiam addunt prata & agri syluis quoque obsiti in Gruibingen vsque pagum satis magnum Illust. E. C. & Comitis, quò duo perueniunt riuuli, qui in fluuium Filtz se exonerant: Sequitur deinde alius pagus Comitis, cui Milhause nomen: pauloq; pòst templum Totzburg, colli, qui monti obiacet, impositum: mox Vuisensteig inter montes, vbi pandochia varia, bona: vbi cùm Septemb. 13. essem, magnus spectabatur hominum ex longinquis locis ob nundinas concursus. Eò vænum equo-*

Nürtinga vrbs. Vuilla vrbs. Vracum arx & vrbs. Schorndorf vrbs & arx. Eslinga vrbs. Rœtlinga vrbs. Tubinga. Stuccardia. Vvisensteig vrbs & arx. Gruibingē. Milhause.

rum armenta, pecudumq; greges numerosi adducuntur. Splendidas hic habet Comes ædes, qui hoc anno hortum quoque magnum, & amœnissimum instruxit quem medium interluit Filtz fluuius, trutis diues, in quo fons aquæ salientis & piscina magna. In eo & Admirabilis fons tribus in locis aquam in altum eiaculatus, piscinam paruam efficit, inq; maioris scaturiginis medio patet foramen, per quod magnæ trutæ susq; deq; feruntur, iuxtaq; est ex aqua effluente alia efformata piscina, in qua trutæ magnæ hepatibus, quæ ter dantur in septimana, aluntur. Aquæ frigiditas insignis, quam carpiones non diu ferant. Supra vrbem quoque est piscina magna ex fluuio Filtz deducta, in qua genus anatum syluestrium Vuisensteigensibus potus vinum plurium generum, & in his
Vlma. *Alsaticum, quod Vlma mittit: nec immeritò Vlmam vrbem amplissimam ad Danubium inter vicinas vrbes numerem, (siquidem vno die iter satis facilè expediri potest) in qua non desunt magni Medici, & in his Leonhardi Fuchsij Medici celeberrimi, filij, quorum vnus mihi in studijs apud parentem fuit socius. Sed nec sui huic vrbi desunt Pharmocopæi.*

De viribus mineralium & metallorum, per quæ transit aqua medicata fontis Mirabilis Bollensis, olim dicti Zitteren. Et primùm

De facultatibus bituminis, & Gagatæ lapidis, siue Succini nigri. CAP. V.

ABsoluta fontis balneiq; Bollensis descriptione, quantaq; sit loci opportunitas ob vicinas vrbes, pagos, acidos fontes, flumina, aliaq; multa necessaria, instituti nostri ratio postulat, vt inuestigemus vires aquarum fontis Admirabilis, quas duobus Medicæ artis cruribus, Ratione & Experientia innixi, perquiremus. Et quidem Rationis firmamenta venabimur ex mixturæ examine, mixtorumq; mineralium & metallorum viribus. Experientiæ verò fidem facient historiæ subiungendæ, effectuum indices. Quæ vbi expedierimus, verum harum aquarum vsum libro secundo ob oculos ponemus. Aquæ simplicis hîc vires tradere non est necesse: eorum autem vires per quæ transit acquirere, nulli dubium esse puto. Ordiamur igitur à mineralibus & primò à bi-
Bituminis examen. *tumine, cuius admisti Admirabilis aqua, manifesta habet vestigia. De quo quidem, vt & succino nigro, ea hoc loco lubet annotare quæ nobis obseruata sunt, antequam vires pertractemus. Octob. 20. impositum bitumen in cochlear ferreum subiectis prunis minimè liquefactum est, sed excandescens duntaxat fumo & fuligine copiosa eructata sublutea, odore graui, qualis esse solet bituminis, paulatim consumptum in cineres paucos luteolos redactum est, neque in operculo, quo tegebatur, quicquam reliquit sulphuris. Octob. 22. coctum in aqua bitumen, neque mutatum ipsum est, neque odore saporeuè aquam admodum imbuit.*
Succinum nigrum. *Huic congener, ac penè idem, Succinum nigrum, durum, nec ita*

friabile: quodq; ex vicinis scrobibus (vndè lapis fißilis eruitur) igni luculento iniectum, in flammam magnam odore bituminis aut trifolij asphaltij exarsit, sic vt inter vrendum partes quædam ignis vi coagulatæ cohærerent, tandem in cineres abijt, qui nonnihil salsi mihi habere videntur. Meminit Leuinus Lemnius de occult. nat. mirac. bituminis, quod aliquid huic affine habet: Terra, inquit, argillacea, lenta, tenax, glutinosa, quæ contrectata manibus adhærescit: Cley *nostri vocant, Brabanti* Leem : *banc sequitur bituminosa quædam concretio Darri vocata, ex qua glebas eruunt indigenæ nigras ac pinguedine imbutas, quæ accensæ vt aridi cespites, vehementißimos calores excitant, atq; in cineres redactæ, saloq; perfusæ materiam ac fomentum olim nostratibus præbuerunt conficiendo sali: Hæc ille. Bitumini subiungo succinum nigrum seu gagaten (qui Italis ambra nera, Germanis* Schwartzer agstein) *ceu bituminis speciẽ: idem enim mihi vtrumq;: quam opinionem non excutiet Matthioli cõtra Fuchsium censura, maximè cùm censuræ suæ rationem nullam adferat. Reinerus Solinander de caussa caloris fontium cap. 10. Bitumen, ait, quæq; eius naturam referunt, in triplici sunt differentia: aut enim liquidum est vt oleum: aut crassum & quasi limi speciem referens, aut durum & solidum &c. Durum autem bitumen concrescit vel extra vel intra terram aut extractum ex aqua, & asphalti nomine apud Pharmacopæos venit &c. Iac. Dalechampius Lugdunensis Medicus doctiß. mihi retulit sibi visum Succinum siue Arabum ambram gagatæ cõnatum in Gallia Narbonensi effossum &c. Asphalto, succino & ambræ Arabiæ, bitumini cognata videtur camphora. Admirandam vim, quàm Aët. lib. 2. cap. 24. gagatæ bituminoso lapidi adscribit, eandem ego in eo genere remedij in camphora experimento cognoui: Si aquæ cyathus, in qua camphora, quãta nux auellana est, accensa cõflagrarit, exhibeatur qui cardiaco simili symptomate & maximè fœminis quæ vteri suffocatione laborant, statim liberari mihi constat &c. Bitumen in terræ venis minùs durum, quod non potest poliri, alij terræ adscribunt, alij lapidibus: rei rusticæ scriptoribus ampelitis terra dicitur, quòd olim vsui esset necandis & abigendis bruchis, qui teneras vitium gemmas infestant: Theophrastus carbones terreos videtur nũcupasse, Germ.* Steinkolẽ: *eius vsus frequens in Germania & Lugduni. Huius genus quoddam est mollius & friabile, vt potius ad naturam terræ accedat, quale id quod in superiore Germania effoditur: aliud durius, quod Galenus rectè lapidem appellat: quod durũ adeo est, vt sculpi & poliri poßit, varia sortitur nomina apud Auctores, idq; omnes inter lapides referunt, nec non gemmis adscribunt quasdam ipsorum species. Huius generis est Gangites lapis apud Strabonẽ, quem cæteri Gagaten (ni fallor) vocãt: Thracius Nicandro: Samothracia gemma Plinio & Obsidianus lapis: Hispanis Ambra &c. Cùm in balneis Lucensibus Hetruriæ medicinam facerem, Gagaten inueni deuolutum ex vicinis montibus, quem ostendi prudenti viro Gerardo Vallutello, qui summum magistratum Reipub. Lucensium nomine ge-*

Terra Brabantina ex qua cremata sal.

Gagates idẽ cũ succino.

Ambra cum Gagate.

Camphora.

Bituminis genera. Ampelitis terra.

Gagates.

rebat, qui inuestigare cœpit huius lapidis metallum, inuenitq; natiuum ipsius solum diuersis in locis: iam fundendo ferro quidam, & alij coquendis cibis lignorum vice ad nutriendum ignem sunt vsi: vocant ibidem Pilignum, quia accensus picem redolere videtur: quod quidem commune est omnibus his, quæ ex bitumine suam originem ducunt &c. Quæ diximus hactenus, omnia bituminata aut bitumen sunt, easdemq; proportione maioris & minoris habita, facultatem possident, & quemadmodum ipsum bitumen facilè inflammatur &c. Plura qui velit, legat ipsam Reinerum Solinandrum: qui etiam Cap. 19. addit: in agro Treuirensi apud Vvestphales, vbi ampelitis terra copiosè eruitur, in modulo per funem ad aliquot orgyias in terram descendi, & reperiri copiosissimā aquam odore, sapore, colore bituminis, attamen frigidam. Si aquæ calent in eo loco, qui eas effundit, aut ipsi vicino, sulphur esse vel bitumen aut aliquam ipsius speciem est necessarium. Tempestiuum iam est vt ad bituminis vires deueniamus: Hipp. lib. 2. de morb. mulieb. vtitur ad dolores vterorum suffitu ex bitumine. Fustùs autem à Dioscor. lib. 1. cap. 85. explicantur: Bitumen, inquit, discutit, glutinat, emollit, ab inflammatione tuetur, vuluarum procidentias, strangulationésque olfactu, suffitu, impositu, emendat: comitiales morbos suffitum deprehendit, Gagatæ lapidis more: purgationes mulierum cum vino & castorio potum elicit: tussim veterem & anhelitum adiuuat: serpentum morsibus, coxendicum laterumq; doloribus auxiliatur: datur cœliacis in catapotio deuorandum: cum aceto potum discutit sanguinem concretum: dysentericis cum ptisana liquatum, infunditur: destillationibus suffitione medetur: mitigat dentium dolores oblitum. Ceterùm pilos incommodos siccum replicat specillo impositum: concalfactum autem & cum farina hordeacea, nitro, & cera illitum, podagris articulorum doloribus, lethargicisq; prodest. Pissasphaltus, eadem, quæ pix & bitumen, si misceantur, potest: Galenus lib. 10. simpl. Bituminis, inquit, vis est tum resiccatoria, tum excalfactoria in secundo ordine: meritò itaque eo vtuntur & ad glutinationes vulnerum cruentorum, & ad alia omnia quæ exsiccari debent cum modica excalfactione. Plinius lib. 35. cap. 15. Et bituminis, ait, vicina est natura, (sulphuri) alibi limus, alibi terra: limus à Iudææ lacu emergens: terra in Syria, circa Sidonem oppidum maritimum: spissantur hæc vtraque, & in densitatem coëunt. Est verò liquidum bitumen, sicuti hyacinthium (Zazinthium fortasse) & quod à Babylone inuehitur: ibi & candidum gignitur: siquidem est & Apolloniaticum, quæ omnia Græci pissasphalton appellant, ex argumento picis & bituminis. Gignitur & pingue, liquorisq; oleacei, in Sicilia Agrigentino fonte, inficiens riuum: incolæ id harundinum panicu'is colligunt, citissimè sic adhærescēs. Vtuntur & ad lucernarum lumina, olei vice: item ad scabiem iumentorum. Sunt qui & naphthan, de qua in secundo diximus volumine, bituminis generi adscribant: verùm ardens eius vis ignium naturæ cognata procul abest ab omni vsu. Bituminis probatio, vt quàm maximè splendeat, sitq; ponderosum ac graue, leue autem modicè cùm adulteratur pice. Vis bituminis, quæ sulphuris: sistit,

Pilignum.

Ampelitis terra.

Bituminis vires. Ex Hippocr. Dioscoride.

Galeno.

Plinio.

discutit,

discutit, attrahit, glutinat: serpentes nidore fugat accensum: ad suffusiones oculorum & albugines Babylonicum efficax traditur: item ad lepras, lichenas, pruritusq́ corporum: illinitur & podagris. Omnia autem eius genera incommodos oculorum pilos replicant: dentiū doloribus medentur, simul cum nitro illita: tussim veterem & anhelationes cum vino potum emendat: dysentericis etiam datur eodem modo, sistitq́ aluum. Cum aceto verò potum discutit cōcretum sanguinem, & detrahit: mitigat lumborum dolores, item articulorum: cum farina hordeacea impositum, emplastrum peculiare facit sui nominis: sanguinem sistit, vulnera colligat, glutinat neruos. Vtuntur etiam ad quartanas bituminis drachma & hedyosmi pari pondere, cum myrrhæ obolo subacti: comitiales morbos vstum deprehendit: vuluarum strangulationes olfactum discutit, cum vino & castorio: procidentiam sedis suffitu reprimit: purgationes fœminarum in vino potum elicit. In reliquo vsu æramentis illinitur, seruatq́ ea contra ignes. Diximus & tingi solidas ex eo statuas, & illini. Calcis quoque vsum præbuit, ita ferruminatis Babylonis muris. Placet in ferrarijs fabrorum officinis tingēdo ferro, clauorumq́ capitibus, & multis alijs vsibus. Item lib. 36. cap. 19. Gagates lapis nomē loci & amnis habet Gagis Lyciæ: aiunt & in Leucothea expelli mari, atque infra 12. stadia colligi. Niger est, planus, pumicosus, non multum à ligno differens, leuis, fragilis, odore, si teratur, grauis. Fictilia ex eo inscripta non delentur. Cùm vritur, odorem sulphureum reddit: mirumq́, accenditur aqua, oleo restinguitur: fugat serpentes, recreatq́ vuluæ strangulationes: deprehendit sonticum morbum & virginitatem suffitus: item ex vino decoctus, dentibus medetur, strumisq́ ceræ permixtus. Marbodæus in Dactylothecæ Cap. 28.

Gagatæ vires ex Plin.

Marbodæo.

Nascitur in Lycia lapis & prope gemma Gagates,
Sed genus eximium fœcunda Britannia mittit.
Lucidus & niger est, leuis & læuissimus idem,
Vicinas paleas trahit attritu calefactus,
Ardet aqua lotus, restinguitur vnctus oliuo,
Prodest gestatus tumidis intercute lympha,
Et dilutus aqua dentes firmat labefactos.
Per suffumigium mulieri menstrua reddit,
Accensus prodit fumi nidore caducos,
Effugat immites simili ratione chelydros,
Euersos ventres iuuat & præcordia tensa.
Inde & demonibus contrarius esse putatur.
Vincit præstigias & carmina dira resoluit,
Et solet, vt perhibent, deprendere virginitatem.
Prægnans potet aquam, triduo qua mersus habetur,
Quo vexabatur partum citò libera fundit.

Lubet hîc aquarum bituminosarum vires subijcere ex Iac. Theodori Tabernæmontani Thesauro aquario Germanico, Cap. 40. part. 2. Aqua quæ non solùm

Aquarū bituminosarum vires ex Tabern.

d

spiritales subtilitates admistas habet, sed etiam substantiam ipsam corpoream deszErdbechsz Erdtwachsz, oder Schweffelkreidē, *id est, bituminis vim habet calefaciendi, exsiccādi, emolliendi, abstergendi, discutiēdi, glutinandi: morbis internis omnibus à frigore ortis confert potu & baneo: hepar, splenē obstructione liberat: calculos renum & vreteribus hærentes pellit: dorsi & lumborum dolores sedat: colicam & iliacam paßionem curat: vterum refrigeratum calfacit viscidisque humoribus farctum & contortum emendat: vtilis aduersus sterilitatem: matricem tumore affectam restituit: confert apostematibus vesicæ: ventriculum frigidam calefacit. Frigidam hydropem exsiccat: omnia interna membra & viscera calefacit, aluum adstrictam lubricat. Externo vsu, confert resolutis & contractis: neruos emollit & tendines retractos breuioresq́ redditos: tumores duros & tubercula resoluit. Dolores vagos & humorum frigidorum discursus per artus, tollit:* (das schmertzlich lauffen vnd reissen in glidern vnd das kalte gesucht. *Aqua bituminosa pota, aut balneo vsurpata sanguinem concretum retentum, ab ictu, saltu, casu, dissoluit & euacuat. Balneum vibicum liuidas strias, tumoresq́ à flagris, casu, verberibus ortos dißipat: artuum tremorem, podagram, chiragram, artritidem à causa frigida, tollit: imprimis autem ostocopō articulorumq́ intolerabiles cruciatus, quibus à lue Venerea est origo, percurat: iuncturarum tumores discutit à quacunq́ tandem causa profectos. perniones sanat, & hyberno frigore stupentes debilitatasq́ partes restituit in integrum: vulnera curat: omnibus frigidis neruorum morbis subuenit: scabiei, papulis omne genus nec non inueteratis, sordidis fluxionibusq́ obnoxijs vlceribus medetur. Porrò autem aqua bituminosa interdum secum deducit visibile bitumen, qualis extrinsecus, quàm intrinsecus vtilior: quæ autē bituminis spiritu tantùm est imbuta intrò rectiùs sumitur. Multas autem aquas bituminosas habemus in Germania.*

Succinum nigrum. *Idem Cap. 42 succinum nigrum (*Berg campffer*) species est bituminis (*Berg wachsz*) aut Succini (*Bornsteins*) impurius minusq́ delicatum quàm succinum, tenuiorum tamen partium & efficacius quàm bitumen, ita vt nec verum sit succinum nec verum bitumen, sed inter vtrumq́ ambigens medium teneat, sicuti & mixtum habet succini bituminisq́ odorem, non secùs ac pissasphaltos, cui etiam anceps temperamentum inter bitumen & picem: præsertim autem notandum hoc esse discriminis inter bitumen durius (* Erdtpech*) & liquidum (*Erdtwachs*) quòd licèt eiusdem sint naturæ & generis, bitumē tamen durius (*Erdtpech*) impurius sit & odore minus grato, quàm liquidum (*Erdtwachs:*) contrà hoc illo purius, odore gratius, efficacius. Quoniam autem bituminis tum durioris (*Erdtpech*) tum liquidi (* Erdtwachs*) promiscua ferè est vsurpatio: ideo aquam bituminosam hoc libro indifferenter eam omnem appellaui, quæ vtrolibet sit imbuta. Quæ ergo aqua subtilitatum spiritualium aut corporeæ etiam substantiæ succini nigri (* Bergkampffers*) particeps est, vim habet calefaciendi, siccandi, dissoluendi, emolliendi, renouādi,*

Vires aquarum infectarum succino nigro ex Tabern.

intrò assumpta forisue adhibita siccat, calefacit, omniáque membra tam interna quàm externa reficit, tumores duros & tubercula dissoluit, induratos & contractos neruos tendinésque emollit, vagos brachiorum, crurum dolores mitigat: contractos restituit: omnes frigidas fluxiones discutit exsiccátque: refrigerato thoraci & pulmonibus confert: obstructionésque eorum aperit: dyspnœicos & asthmaticos iuuat: thoracem & pulmones ab omni viscida pituita, dyspnœæ caussa, repurgat: œdemata crurum qualiacunque exsiccat consumitque, nec non hydropem aliósque superfluos humores. Soluit obstructiones hepatis, lienis, renum, vreterum: vrinam arenas, calculos pellit: dorsi & lumborum dolorem tollit: sanguinem concretum dissoluit: purgat & corroborat caput & cerebrum refrigeratum. catarrhum exsiccat: chiragricis & podagricis vtilis: iuncturas & artus mirabiliter roborat: aduersus omne genus sanguinis profluuij idonea: sanat achores, (Grindt) *serpiginem,* (Haarwurm) *maculas, fistulas, membrorum tremores, tum potu, tum balneo, modò debitè vsurpetur. Montagnana de Balneis Patauinis Cap. 5. Balnei. S.* Mõtagnana *Bartholomæi aquæ tempore verno valdè remissè calent: æstate & autumno valdè calidæ, pingues, crassæ, molles & tactui gratæ, constant potissimùm sulphure, vt animaduertere potui: destillatio etiam demonstrauit habere multum bituminis siue asphalti. Facultates aquarum huius balnei sunt mediocriter calefacientes & insigniter emollientes omnes durities in quacunque corporis parte fuerint: neruos diu induratos & immobiles insigniter extensibiles reddit. Ego in balneum olim præscripsi Cardinali, cui contracti erant omnino pedes, genua & brachia: quem vidi in ijs aquis, & tetigi stantem rectum & artus extendentem, quasi esset adolescens: extra aquas tamen illæ vires non diu durabant. Vidi Nobilem quendam eò deductum insigniter conualuisse. Fallop. de thermarum aquis & metallis, pag. 260. aquæ illæ quæ transeunt per venam bituminis sicci possunt in potu exhiberi. Nam & antiquitus exhibebantur euacuandorum corporum gratia, vt refert Galenus ex Archigene, & confirmat Paulus & Vitruuius. Si quis putet cum Matthiolo nos destitui bitumine,* Bitumẽ etiã hodie notũ non ex Palæstina petendum. *nisi ex Palæstina habeamus, &, quod vocamus bitumen, esse lapidem Gagatem, per me licet. Nicolaus etiam Dortomannus Professor Monspessulensis, lib. 1. de Thermis Belilucanis cap. 8. vbi dixit, in Belilucanis thermis caloris pabulum potissimum bitumini in venis, & extra contento tribuendum, subdit: extra venas solidiores, Gagaten, ampelitem, fossilem referentes lapides eruti, quibus etiã succino quid simile sæpe adnatũ reperitur & ipsum bituminosi genus genuinũ existẽs. Gagates quoq; lapis siue succinũ nigrum & est & reperitur in puteo fõtis Bollensis Admirabilis, vt dictũ, & locis vicinis, vbi bitumen quoq;. Cæterum lapidi Gagatæ vires easdem ferè quas bitumini esse, subiecta hîc Dioscoridis verba ex libro 5. cap. 105. facilè euincunt: in Gagatarum genere præferendus qui celeriter accenditur, & odorem bituminis reddit. Niger est plerunq; & squalidus, crustosus, perquam leuis. Vis ei molliendi, & discutiendi.* Gagatæ vires ex Dioscorid.

Deprehendit fonticum morbum suffitus: recreatque vuluæ strangulationes: fugat serpentes nidore. Podagricis medicaminibus & acopis additur. Gal. lib. 9. de simpl. med. facult. Est & alius lapis, colore atro qui vbi igni admotus fuerit, persimilem bitumini odorem exhibet, quem Dioscorides nonnullique alij in Lycia inueniri prodiderunt, ad fluuium nomine Gagam, vnde & ipsi lapidi nomenclaturam inditam dicunt. Ego tamen eum fluuium non vidi, tametsi parua nauicula totius Lyciæ litora legerim, quò videlicet, quæ in ea sunt, inspicerem: Crustaceos verò lapides nigros, & qui in ignem additi exilem flammam ederent, cõplures Cœlosyria asportare, natos in colle, mari mortuo, quod vocant, circundato, qua orientem spectat, vbi & bitumen est: eratque lapidum odor similis bitumini, vtebarque eis ad flatuosos tumores in genu diuturnos, & ægrè curabiles, mistis videlicet facultatibus, quæ ad hoc symptoma, probatæ fuerant, planeq; visum est mihi euidentiorem earum facultatem reddidisse. Miscui verò ipsum & barbaro quod vocant, & palàm medicamentum effectum est exiccantius adeò vt & sinus contraheret, nedum cruenta vulnera glutinaret, ad quæ competere maximè creditur.

Galeno.

Aëtio.

Vim gagatæ admirãdam esse AEtius testis est lib. 11. cap. 22. quippe si igne inflammetur, meroq; restinguatur, exhibeaturq; id vinum cardiacis potandum, confestim leuantur represso sudore, excitatoque arteriarum pulsu. Nonnulli Gagaten ad pollinis tenuitatem terunt, septemque continuis diebus colicis è vino propinant, drachmæ vnius pondere, & integram restituunt valetudinem: poculum interim, quo laborantes bibunt, eiusdem vapore suffientes. Reinerus Solinander lib. 2. cap. 6. de calore fontium: In Galliæ Aruernis prato quodam inter Claromontem veterum Gergobiam & Monferratum oppida vicina, fons copiosissimum profundit bitumen nigrum, terebinthinæ consistentia. Accolæ loci consueuerunt hoc bitumine arborum stolones & teneriores ramos illinere, atque ita eos tutos reddere, ne à capris, quæ mirum in modum auersantur hoc bitumẽ, carpantur. In agro Mutinensi Meiani & Saßoli & propius Parmam salsæ: item in radice Vesuuij montis iuxta Herculanum, atque in his omnibus locis goßipio vel pannis aquæ innatans colligitur ipsum bitumen. Hæc ille. Bitumine Aruerniaco Lugduni, Geneuæ, & Montpelgardi sæpius feliciter vsus sum ad excitandas hystericas. Non dubito bitumen & Gagaten Admirabilis fontis, vicinorúmque locorum vtile etiam futurum. Illud autem facto periculo examinandum venit, an visci, terebinthinæ, & pulueris bituminis illitu tutæ reddi poßint arbores à caprarum ceruorumq; morsu, quanquam non minus damni ab affrictu cornuum, quàm morsu ceruino arboribus impendet. Est mihi bituminis genus Solinandro descriptum, (quod petroleum vocant) ex agro Mutinensi ante annos triginta quinque allatum.

Bitumen liquidum in Arueinis, eiusq; vsus.

De viribus lapidis scissilis, ac aquarum per lapidem scissilem transeuntium. CAP. VI.

NEque verò bitumine solùm abundat fons Admirabilis Bollensis, sed & lapide scißili, partim duro, partim admodum molli, vt antè dictum : cuius nobis vires erunt inuestigandæ. Hunc igitur, & quidem eum qui pictos limaces serpentésque exhibet, in vrbem Kirchen delatum, catillo imposui, priùs tritum : exarsit in flammam odore graui bituminoso, fumo denso remisto : nec nisi post horas multas, lithanthracum instar, decanduit: vasis, in quo tecto ardebat, operculo nihil sulphuris adhærescebat, nec etiam, ceu sulphur, ardentis flammam cœruleus color tingebat. Idem prunis impositus, conceptâ flammâ in crustas dißiliit: aquæ immersus odorem & saporem bituminosum imprimit, nihilo q; secius interim denuo igni impositus ardet: lapisq; etiam craßiusculus in tenues se resoluit laminas. Nec non & fißilis ille Kirchensium vulgaris in ignem iniectus flammam luculentam fecit (de vitriolo rubro & oleo bituminoso ex eo extracto antè diximus). Porrò vires aquarum per lapidem scißilem decurrentium, Iacobus Theod. Tabernæm. in Thesauro aquario Cap. 108. lib. 2. proponit: aqua per lapidem scißilem delabens tumores tibiarum & pudendorum balneo tollit, dolores per artus vagos profligat: humores vitiosos subcutaneos consumit: scabiem, psoram, & pruritum omne genus persanat. Vires aquarum transeuntiũ per lapidem scissilem.

De viribus pyritæ, & aquarum per pyriten transeuntium.

CAP. VII.

PYrites, qui copiosè repertus inter fontis Admirabilis lapides scißiles, in puluerem tritus, catillo iniectus , aurifabrorum Octob. 20. in Kirchen, *in flammam exarsit sanè quàm luculentam, sulphuris modo cœruleam, odore sulphureo graui. Idem in ignem coniectus, non secus flammam concepit fumidã, odore sulphuris graui, nares feriente. Aquæ iniectus, odore ei bituminoso conciliato, in partes multas nigras solutus est. Puluis prædictus fictili tecto igni admotus, auctus est multum, & nigredinem acquisiuit : nulla in operculo sulphuris vestigia Idem horas multas in igne relictus, flammam exhibuit sulphur redolentem, naresq; vehementer ferientem : quem quidem cum nigredine odorẽ, etiam igni exemptus reseruauit. Pyritæ autem à Diosc. lib. 5. cap. 143. hæ tribuũtur vires. Tam crudi quàm vsti vis est, excalfacere, abstergere, offusam oculis caliginem expurgare, durities concoquere, & concoctas discutere. Resina exceptus excrescentias in carne cohibet, sed calorem quendam, & adstrictionem parit.* Pyritæ vires ex Dioscor.

Matthiolus addit, lapidem, quem Græci Pyriten dicunt, officinæ cum Mauritanis Marchasitam vocant. Foditur hæc omnium metallorum ferè fodinis, genere & colore diuersa, plerunq; tamen, (vt Plinius inquit lib. 36. cap. 19.) aureis Matthiolo.

ſcintillis, vel argẽteis reſperſa. Sterilis hæc magna ex parte, quòd (vt Chymiſtæ existimant) ex impuriſſimo ſulphure, aliisq; inconcoctis partibus metallorum ſit conflata. Veruntamen quandoq; pyriten inueniunt, qui aurum, argentum, vel æs intra ſe continet. Nos pyritẽ habemus beryllo, armenio, cœruleo, chalcanthо, miſy, chalciti, minio, auripigmento, & aliis lapidibus adnatum adeò, vt cum foßilibus omnibus lapidem hunc cognationem habere crediderim. Galenus lib. 9 ſimp. med Vnus eorum, qui validã facultatem poßident, eſt & pyrites, quem vocant, quo vtimur digerenti emplaſtro admiſto: adiicitur ei & ſchiſtos. Ab hoc medicamine & pus ſæpenumero, & conſiſtentia grumoſa in ſpaciis intermediis muſculorum nata, per halitum digeſta ſunt. Cæterùm vbi in vſum vocantur, lapides omnes admodum vehementer contuſi, atq; ad læuorem redacti ſint oportet, ſimiliter atque ea, quæ in ophthalmicas facultates admiſcentur. Baccius lib. 6. cap. 15. à pyrite & marmore ob duritiem, paucam impreßionem recipere aquas ſcribit: ab illo tamen interdum acrimoniam & adſtrictionẽ vt in Ilua inſula: ab hoc frigiditatem duntaxat inſignem.

Galeno.

Vires aquarum quę pyritem admixtum habent.

Iacobus Theod. Tab. in ſuo aquario theſauro copioſè tradit vires aquarum quæ pyriten admixtum habent cap. 93. Aqua inquit, quæ habet ſpirituales ſubtilitates pyritæ, (Kiſs oder fewerſteins) *admixtas, facultatem habet calfaciendi, conſtringendi, molliendi, coquendi, maturandi, & diſcutiendi, vtilis potu, ablutione, balneo. Potu coroborat intellectum, memoriam, & cor, mundat ſanguinem, aperit obſtructiones hepatis, lienis, renum, vreterum. Fluxiones abſumit, arthriditem artuumq; dolores pertinaces alios curat & præcauet: Omnes ſuperfluos humores in capite, ventriculo, vtero, conſumit. Menſes retentos euocat, nimiùm fluentes reprimit: mulieres frigidiores, ſteriles ad concipiendum aptas reddit: dolores ſedat ventriculi, abdominis, vteri: ardorem vrinæ,* (Kaltſeich) *gonorrhæam percurat. Balneo quoque extrinſecus adhibita prædictis morbis confert: neruos & tendines induratos emollit, paralyticis & contractis vtilis: ſanat omnem malignam ſcabiem,* (Grindt) *elephantiaſin incipientem &* Muſſelſucht. *Item cap. 94. aqua, quæ ſubtiles pyritæ aquei* (Vvaſſerkiſs) *ſpiritus admiſtos habet, facultate prædicta eſt calfaciendi, ſiccandi, aperiendi, molliendi, purgandi, ſanandi. Saluber eius vſus tam internè, potu: quàm externè, balneo & ablutione. Soluit potu obſtructiones hepatis, lienis, renum, veſicæ: colores vitioſos, icterum tollit: vrinam mouet: renes & veſicam mundat: vrinæ ſtillicidio, dyſuriæ, omnibus lumborum, renum, veſicæ morbis ſalutaris: aluum emollit, flatus diſsipat, ad omnes frigidos & humidos affectus vtilis. Vterum pituita farctum, refrigeratumque calefacit: menſes immodicos & fluorem muliebrem ſiſtit. Extrà fotu, balneo contractos reſtituit: induratos neruos tendinéſque emollit: fracturis malè curatis auxilio eſt: ſcirrhos, tophos mollit: ſanat achores, ſcabiem, furfures, maculas, ſerpiginem,* (Haarwurm) *herpetes: omnes tumores vlceráque corrodentia, rheumatica, lupos, cancros, fiſtulas, ſcorbutum, aphtas malignas, ani vterique abſceſſus fœtiꝫ*

dos & rhagades expurgat. Item Cap. 95. Aqua pyritæ argentei (Silberkiſs) *ſubtili ſpiritu imbuta, vim habet aperiendi, conſtringendi, reprimendi, emolliendi, abſtergendi, conſolidandi, tam intrà quàm extrà vſurpata. Pota obſtructiones omnes ſoluit iecoris, ſplenis, renum, veſicæ: vrinam ciet: arenulas & calculos pellit tum renum tum veſicæ: dolores colicos, iliacos compeſcit: hæmorrhagiam locorum muliebrium & fluores albos reprimit: ſimiliter & dyſenteriam, diarrhæam, hæmaptyſin, hæmorrhoïdas nimium fluentes: dolores ex alui profluuio ortos profligat: omnem fluxum immoderatum redundantéſque humores conſumit, aduerſus hydropem vtilis: vteri pituitam expurgat: abortum prohibet. Externè fotu, balneo fætidos, ſuperuacuos, ſudores compeſcit: confert podagræ, arthritidi: induratos neruos & tendines* (Krampffadern) *emollit: putrida vulnera exterget, glutinat: omnia vulnera, vlcera cacoëthe, fiſtulas, lupos, cancros, aliáque ſerpentia vlcera & phagedænica curat. Aphtas malignas, ſtomacacen frequenti oris collutione perſanat. Item Cap. 96. Aqua pyritæ aurei* (Goldkiſs) *ſubtili imbuta ſpiritu, facultate prædita eſt calfaciendi, adſtringendi, emolliendi, concoquendi, maturandi, diſcutiendi, perinde vt cui pyrites æroſus eſt admiſtus.*

De viribus aquarum, quæ per belemniten tranſeunt.

CAP. VIII.

FOdiendo *Admirabilis aquæ puteum repertus cum pyrite & fluore albo, vt ſuprà dictum, belemnites. Octob. 20. in Kirchen in puluerem contritus album, in catillum ſubiectus prunis candentibus impoſitus, nec colore mutato, nec fumo emiſſo, crepitauit ſolùm: at cum contunderetur, bituminoſi nonnihil redolebat. Idem integer in vaſculum coniectus, paulatim cum crepitu conſumptus eſt & in puluerem redactus, odore tantillum ad bitumen accedente. Aquis autem, quæ belemniten habent, vires ſequentes adſcripſit Iac. Theod. Tabern. libro ſuo de aquis Cap. 100. Aqua, quæ belemnitæ* (des Alpſchoſs) *ſpiritum habet admiſtum, facultatem habet ſiccandi, conſolidandi, glutinandiue, vrinam mouet, obſtructiones aperit, renum, veſicæ, vreterum: frangit (ſi fas eſt credere) calculum renum & veſicæ, quem & educit: omnia interna vlcera ſanat. Extrà verò vulnera qualiacunque curat.* Vires aquarum per Belemniten trāſeuntiū.

De viribus salis & aquarum salsarum.

CAP. IX.

FOntem Bollensem sale etiam non vacare, ex eo suspicetur quispiam, quòd ita fuerit gratus etiam pecori, dein, quòd sal bitumini sæpius iungatur, vt Iudaïco, & terræ bituminosæ Zelandiæ, teste Leuino Lemnio. Nos autẽ, id quod suprà indicauimus, tum insolatu, tum decoctione obseruauimus fontem medicatum Bollensem sale non destitui: propter quem tantum abest, vt deterior sit, aut si verè etiam aqua salsa adesset, minùs aptam medicinæ putemus, vt contrà potiùs efficaciorem existimemus certoq; nobis persuadeamus. Reperiuntur enim celebres fontes & thermæ salis & nitri participes. Fallop aute n tractatu de Thermis Cap. 9 ait in hunc sensum: Aqua quæ habet in se succos salis, si assumatur in potum, detergit roboratque valdè ventriculum, & euacuat abundantiam humoris pituitosi, discutit etiam, nec lædit aliquod viscus. Item cap. 11. Aquæ medicatæ aptæ ad potum sunt præcipuè nitrosæ atque salsæ: quia præterquam quòd calefaciunt, expurgant etiam, siccant & roborant: & laudantur etiam ab antiquis. Nam Antyllus & Aëtius exhibebant in affectibus corporis interioribus: Immo dicunt quod applicatæ etiam extrinsecus, faciant ad fugandos morbos intrinsecus. Dicit Georgius Morellus lib. de aquis medicatis agri Patauini. Prima aqua virginis est temperata, quia modica salsedo attemperat frigiditatem & humiditatem aquæ. Iccirco vtimur illa in potu tantùm vt attemperemus iecoris, ventriculi, cæterarumq; corporis partium feruorem. Ex viribus quas Dioscorides tribuit sali lib. 5. cap. 126. satis constat aquas salsas non existimãdas ineptas medicinæ: verba Dioscoridis sunt. Salis natura incõmune perquã vtilis est: adstringit, absterget, expurgat, dißipat, reprimit, extenuat, & crustas inducit, sed hoc interest, quod alius alio sit præstantior. Quin & à putredine vindicat. Admiscetur medicamentis psoras abstergentibus, excrescentia in oculis reprimit, & pterygia consumit, cæterasque carnis extuberationes tollit: Clysteribus infunditur: discutit laßitudines ex oleo illitus. Contra hydropicorum tumores auxiliatur: dolores in saccis fotu mitigat: & pruritus sedat, ex oleo & aceto infrictus ad ignem, donec sudent: item lichenas, lepras, psorasque. Anginam ex melle, aceto, & oleo illitus leuat: tonsillis, vuæque cum melle tostus, Vlceribus in ore manantibus, gingiuis, quas humor vexat, & phagædenis vlcerũ, cum polenta crematus illinitur. Aduersus scorpionum ictus cum lini semine: contra serpentium morsus, cum origano, melle, hyssopo: aduersus cerasten cum pice aut cedria, aut melle auxiliatur: contra scolopendræ morsus, cum melle, & aceto: aduersus vesparum ictus, & teredines, albidásque capitis pustulas, thymos, & tubercula cum seuo vitulino: furunculos cum vua passa, aut suillo adipe, aut melle discutit: testium tumores, origano, & fermento maturius concoquit, crocodilorum morsibus auxiliatur, tritus in linteolo, & intinctus aceto, ita vt vinculis loca constringantur: Prodest ad bestiarum morsus, & ad sugillationes in facie ex melle. Contra haustum opium, & fungos. Cum aceto mulso bibitur,

Vires aquarum salsarũ ex Fallop.

Morello.

Salis vires ex Dioscor.

luxatis

luxatis imponitur cum farina & melle, ambustis igni cum oleo impositus, pustulas erumpere non patitur. Podagricis itidem imponitur, & aurium doloribus, cum aceto: ignes sacros & vlcera, quæ serpunt cum aceto aut hyssopo illitus sistit. Quandoquidem autem fons medicatus Bollensis non multum habere videtur salis in substantia, sed potius, vt Iacobi Theod. Tabern. verbis vtar, spiritualem salem, subijciemus hîc quæ lib. 2. c. 1. Thesauri aquarij de viribus aquarum quæ eiusmodi salē habent, scribit: Salsæ, inquit, quæ tantum spiritualem habet salem h. e. animā & spirituam, internus quàm externus vsus salubrior efficatiorq́, calefacit, discutit, aperit, cōsumit, siccat, absterget, roborat: refrigerato & pituitoso ventriculo subuenit: concoctionē adiuuat. Vterum frigidum calefacit, roborat: menses mouet, fluorem muliebrē sistit: obstructiones tollit renū, vesicæ: vrinam cit: calculos, arenas pellit: tenue, aqueum, frigidumq́ semen virile corrigit: flatus ventris discutit: tollit ventris dolores, colicum, iliacum: non bibenda inter cibos, aut ad sitim sedandam, sed mane & vesperi pro medicato potu, & frigidè quidem, ne coctione spiritus exhalent. Bibitur à libra vna ciuili ad tres: qua ratione alvum potest mouere, & crassam, viscidam, contumacem pituitam incidere & per aluū educere. Borboniæ thermæ in finibus Burgundiæ in quibus Ill. E. C. & ego balneauimus redeuntes è Gallia 1586. calidæ sunt & salsæ quarum experimentum insignè vidi Consiliario Dolano ab hemiplexia curato.

Vires salsarum aquarum ex Tabern.

Borboniæ thermæ.

De viribus Sulphuris, & aquarum sulphurearum.

CAP. X.

NOn immeritò dubitet quispiam an aqua medicata fontis Bollensis Admirabilis sulphur in se contineat. Nicolaus enim Dortomanus lib. 1. cap. 10, asserit bitumen odore sulphur quandoq́ æmulari, quandoq́ picem, vnde pisasphalto nomen teste Diosc. tametsi Plinius secus sentiat, nonnunquam peculiarem habere odorem admodum grauem, &c. Idem etiam de sua aqua Belilucana, quæ bituminosa & salsa, addit: toti aquæ mixtum esse sulphur vix adducor vt credam, eò quòd argenteus scyphus, baltheus, numus in Thermarum harum aquam demersus, ex ea post biduum triduumve splendidior candidiorq́ retrahitur: si sulphuris non modica portione perfusa foret, flauior euaderet, vt in thermis Cantabricis pluribusq́ alijs. Fallopius quoq́ de thermarum aquis scribit pag. 225. Falsissimum est quod omnes aquæ thermarū habeant saporem sulphuris: id tamen est verū, quod vbicunq́ sunt aquæ thermarum, sunt quidam vapores fuliginosi & exusti habentes odorem sulphuris. Sed hoc non indicat in aquis illis contineri sulphur: at ille odor prouenit, quia vapores illi sunt exusti, cuius rei signum illud est quod arbores ictæ à fulmine sapiunt odorem sulphuris: Non ob id tamen dicendum quòd in ipsis sit sulphur. Ita etiam dico de aquis thermarum. Licet enim habeant vaporem sulphureum:

Aqua Belilucana.

non ob id tamen est inferendum, quòd in ipsis contineatur sulphur, &c. Plinio vt dicit Hadrianus Iunius, Gagatis lapidis odor grauis vstus sulphureum vel Orpheo & Dioscoridi bituminosum odorem remittit. Præterea verò scyphi argentei probatissimi, vt antè dictum, in quo diis Admirabilis fontis Bollensis aqua diu asseruata fuit, color neutiquam mutatus est: contrà verò, facto in impurioris argenti patera periculo, vt suprà annotauimus. Verùm, vt quod sentio, dicam: odor sulphureus, & quæ de pyrite diximus, faciunt vt facilè credam fontis Admirabilis aquam nonnihil sulphureorum spirituum posse habere: quam suspicionem confirmant Fallopiana hæc ex libro de metallis cap. 11. ex Chymistarum (vt ait) opinione: Non est, inquit, negandum quod argentum viuum sit materia metallorum: de sulphure quoque non est dubitandum, inquiunt, quoniam in omnibus venis metallorum reperitur excrementum metallorum, quod sapit sulphur. Et tale excrementum vocatur lapis pyrites, vel marchasita, qui lapis reperitur in superficie fodinarum, seu venarum ipsorum metallorum: & siue comburatur, siue eliquetur, siue contundatur emittit odorem sulphuris. Ergo metalla constant ex sulphure &c. Ad argumentum autem de Marchasita, dico falsum esse quod sit excrementum metallorum: sed est veluti sulphur lapidosum, fitque ex vapore sicco, sicut & sulphur. Et quia in omni metallo est vapor siccus, idcirco in superficie cuiuscunque metalli reperitur Marchasita, non autem concrescit inibi, quia sit excrementum metallorum: quinimo concrescit etiam in superficie metalli ipsius argenti viui &c. Dicunt Chymistæ, inquit Mathiolus, Pyritem constare ex impurissimo sulphure. Apud Gesnerum de fossilibus ex Kentmanno apparet ex Pyrite excoqui species sulphuris diuersas. Memini videre me Montpelgardi Illustriss. E. C. ex pyrite, (qui in carbone fossili abundat quem ad aquam salsam excoquendam erui mandabat in salinis suis quæ sunt in Sanau, vbi carbones fossiles non longè ab aquis salsis reperiuntur,) sulphur extrahendum curasse. Leuis etiam fontis Admirabilis tepor adesse sulphur fortè demonstrârit, si sulphuri calor fontium adscribendus, non autem bitumini, vt sentit Andreas Baccius, qui lib. 1. de Thermis Cap. 19. & 20. eorum opinionem refutat, qui bitumen fomitem caloris aquarum, & non sulphur existimant. Præterea etiam ad demonstrandum spiritus sulphureos Admirabilem fontem habere, facere videntur, quæ scribit Georgius Agricola lib. 5. de natura subterraneorum: dum ait: Pyrites siue lapis fissilis, ex quibus excoquitur sulphur. Huc quoque quæ sequuntur ex Baccii libro de Therm: 1. cap. 21. non ineptè faciunt: (Certum enim atramento siue vitriolo infectas Bollenses nostras.) Habent & atramenta illius pinguitudinis partem (sulphuris) quanquam non ita crebrò in eis fiunt calores, ac minùs incendia: resistente multa eius generis terreitate cinericia: Quare perfusa hæc aquis, acri eas vredine, & veluti ex calce incendunt. Alumen quoque etsi quadam naturaliter vnctuositate participet, potiores tamen partes obtinet

Sulphur ex Pyrite.

salis, quare vbi syncerum nascitur, nullum habet illius feruescentiæ signum, imò igne admoto retundit flammas. Et si calent alicubi insigniter aluminatæ, accessoriam indicant sulphurosæ naturæ copiam, præterquam aluminis essentiæ conueniat. Hæc ille: Si igitur fons Admirabilis sulphureos habet spiritus, (vt suspicamur habere) nihil de eius bonitate hoc nomine decedit: siquidem insignibus præditum est, Dioscoride attestante libro 5. cap. 83. dotibus: calfacit enim, discutit, & celeriter concoquit. Prodest tußibus, suspiriosis, purulenta extußientibus in ouo sumptum, aut suffitum: præterea partus vsti nidore extrahit. Lepras, lichenas, scabros vngues, cum resina terebinthina mistum aufert. Cum aceto autem illitum, ad lepras efficax est: vitiligines tollit. Scorpionis ictibus, addita resina medetur: cum aceto verò, draconis marini, scorpionisque plagas sanat. Pruritus toto corpore erumpentes cum nitro detersum sedat: regium morbum emendat, inspersum fronti cochlearis mensurâ; aut in sorbili ouo sumptum. Facit ad grauedinem & destillationes: sudores quoque conspersum inhibet. Podagricis cum aqua & nitro illitum, conducit. Grauitatem auditus, suffiti nidore raptim per fistulam hausto, sanat. Lethargicos suffitu excitat: erumpentem vndecunque sanguinem sistit. Contusis auribus cum vino & melle illitum, medetur.

Placet hic subnectere quæ Tabern. scribit lib. 2. cap. 39. Thesauri aquarij his verbis: aqua sulphurea spirituali sulphuris subtilitate imbuta, vim habet extenuandi, attrahendi, emolliendi, calefaciendi, exsiccandi, estq; eius vsus in multis morbis vtilis tã internis quã externus. Potu & balneo prauos in cerebro redundantes humores, omnésq; totius corporis frigidas fluxiones exsiccat: refrigeratos neruos & tendines emollit, calfacit, dolores sedat, frigidósque eorum affectus insigniter iuuat: vtilis paralyticis, trementibus, & quibus membra tensa, contracta, ad motum inepta: omnium artuum dolores mitigat: podagram, chiragram, arthritidem omnem à frigidis fluxionibus, intolerabilem ischiadem, dolorem frigidum per artus discurrentem, dorsi, lumborúmque cruciatus tollit: tumores & tubercula dura artuum & iuncturarum discutit: articularij auxilio est: hepar, splenem, renes, vesicam obstructione & dolore liberat: arenas & calculos pellit: frigidos omnium prædictorum membrorum tumores emollit, discutit: cordis palpitationem à frigidis humoribus curat: dolores colicos, iliacos, frigidos, pituitosos & crassos flatus resoluit. Cachexiam emendat: hydropem frigidum exsiccat, nec segniùs fluxiones in oculos: visum roborat: refrigeratum ventriculum & caput calefacit, dolore liberat: vtero frigidiori, humidiori, peruerso opem fert, eiúsque prauos humores omnes & fluorem muliebrem consumit: steriles mulieres fœcundat: vtilis ad artuum & iuncturarum dolores à lue venerea profectos: membra tam externa quam interna refrigerata calefacit: spasmo flatulento (Krampff*) conuulsis partibus & frigore torpentibus imprimis confert nec non matrici tumenti & induratæ: sanat omnem scabiem humidam: absterget lichenas, aliasq; maculas cutis: omnia* **Sulphurearum aquarũ vires ex Tabern.**

vlcera humida ſiccat, ad cicatricem perducit: vagos per artus & diſcurrentes dolores tollit, lienis ſcirrhum emollit.

De atramenti ſutorij ſiue vitrioli viribus, ac aquarum eo infectarum. CAP. XI.

ADmirabilem fontem Bollenſem in ſe continere atramentum ſutorium ſiue vitriolum, idq; rubrum. quoq; modo & ratione deſtillando per deſcenſum, vt vocant, lapide fiſsili, ſit depræhenſum, ante diximus. Dicit Baccius lib. 1. cap. 14. Virides (aquas) ac etiam cæruleas & nigras reddit atramentum. Nam vt minerarum huiuſmodi promiſcua quædam eſt origo, ita hi colores congenei ferè ſunt prout caloris gradu temperãtur. Eo nunc loco eſt vt vires eius perſequamur nec non aquarum per id tranſeuntium. Dioſcoridi lib. 5. cap. 7. Chalcanthum valet aſtringere, calefacere & cruſtas inducere, latas ventris tineas necat drachmæ pondere deuoratum, aut cum melle linctum, vomitum ciet aduerſus hauſta fungorum venena ex aqua potum auxiliatur, purgat caput aquâ dilutum & in vellere naribus inſtillatum. Matthiolus in Dioſc. Nihil miri nobis adfert quòd commendarit Dioſc. Chalcanthum potum ac deuoratum ad latas alui tineas, & ad fungorum venena, etſi medicamentum erodens & ſepticæ facultatis habeatur. Siquidem ad eoſdem & alios vſus hoc tempore non modò Chalcãthum ipſum quidam potui exhibent in peſtilẽtia, ſed etiam eius oleum, quod Chymiſtæ vitreis organis magna ignium vi ab ipſo Chalcantho eliciunt, nullo ſanè incommodo. Qui illud in peſte propinãt quod vulgò vocant Copparoſa, in aqua roſarum diſſoluunt & iterum cogunt, reiteratis tribus aut quatuor vicibus dantq;. Bacc. lib. 5. cap. 11. acidus ſapor haud proprius atramentoſæ aquæ eſt: nam multæ ſunt acidæ ex alia aliqua miſtura, ſicut albulæ, quæ aluminoſæ ſunt, ac multæ acidæ in Puteolano nitroſæ. Prima & quodammodo propria attramenti impreſsio videtur eſſe Galeno teſte vehemens adſtrictio cum inſigni calefaciendi virtute. Quamobrem veræ ſynceræq; attramentoſæ aquæ potentia calefaciunt ſiquæ aliæ minerales aquæ & quædam actu in altum penetrant. Nec minùs exſiccant, conſtipant, contrahunt. Quæ verò aquæ mediocriter attramentoſæ ab exacta illa miſtione deſciſcunt eadem per omnia poſſunt, quæ aluminatæ atq; acidæ: penetrant verè promptiùs, abſterguntq;, ac epotæ per vrinam ac per aluum egregiè purgant, arenulas pellunt, &c. Tabern. in Theſauro aquario part. 2. cap. 33. aquæ tenuioribus partibus & ſpirituali ſubtilitate vitrioli perfuſa vim habet adſtringendi, contrahendi, obſtruendi, extergendi, glutinandi, iiſdem ferè cum alumine prædita facultatibus ſed efficacioribus: linguam enim magis contrahit, maioremq; habet accrimoniam ea ſi bibatur vel in balneo adminiſtretur prodeſt ad ſuffuſionem vertiginem, epilepſiam, paralyſin, ſputum ſanguinis, hæmorrhagiã vteri & hæmorrhoidum: nauſeam & vomitũ compeſcit: Vtilis me-

Chalcanthi vires ex Dioſcor.

Chalcanthi oleum.

Copparoſa

Acidus ſapor in attramentoſis aluminoſis & nitroſis aquis.

Acidæ Puteolocere.

Aquarum q̃ vitriolũ cõtinẽt facultates ex Tab.

lancholicis, mente captis, insanis: tollit cachecticorum & ictericorum fœdos colores: hepaticis opitulatur, & quibus sudores fœtidi molesti sunt: hircum alarum emendat. Ex ea balneum confert vlceribus depascentibus, cancris, fistulis: mundat, exterget, glutinat. Scabiem malignam elephantiasi similem, omnémque adeò psoram, scabiem ac pruritum balneo & potu: maculas, serpiginem, (Haarwurm) *partium obscenarum pruritum & putrida vlcera lotione frequenti curat.*

De aluminis & aquarum aluminosarum facultatibus. CAP. XII.

SVnt qui fontem Admirabilem in se alumen quoque continere velint: id quod certò nondum potui deprehendere. Fallopius quidem de Thermis cap. 9. non satisfacit: verba eius sunt, l. c. Ego reperi artem quandam, quam sum expertus in balneis Aponitanis & Lucensibus, & solum in aqua balnei Vvillensis successit. Quando igitur vultis experiri an aqua aliqua habeat Chalcanthum vel alumen, vel aliud simile, coquatis primò non in vase vitreo, sed in stanneo vel ferreo, postea cum aqua fuerit parum decocta, quiescat: deinde iterum coquatur parum, mox in ipsam injciatis succum vel decoctum gallarum, pauca tamen in quantitate, & si cum aqua aderit mixtum alumen album vel chalcanthum, videbitis aquam fieri illico nigram. Hæc ille: quem imitatus est Gallus Eschenreuterus libro de Balneis, suppresso tamen eius, vnde hæc mutuatus est, nomine. Ego quidem & Ioh. Lutzius Pharmacopœus insignis Kirchensis, ex fonte Admirabili haustam aquam coximus primùm in vase terreo, cui additum decoctum gallarum, neque nigrefecit neque omnino colorem mutauit. Idem fecimus in aheno. Idem tentatum in aqua Rappenzagellana & cum aqua simplice & in qua alumen incoctum: ex his nulla nigredinem acquisiuit: at vnaquæque in ferro cocta, adiecta dein gallarum decoctione, non tantùm ipsa denigrata est, sed & eodem colore ferrum ipsum imbuit mutuò. Ex quo apparet nec nigredinem illam alumini, vt vult Fallopius, deberi, neque ex nigredinis argumento aluminis mistionem posse demonstrari. Nam nec vitriolum ipsum per se, aquæ, cui incoquitur, nigredinem vllam conciliat, nisi decoctione gallarum affusa, cuius vel guttulæ aliquot, iucundo spectaculo, nigrorem commistæ proferunt: id quod etiam, si parum vitrioli decocto gallarum inieceris, assequêris. Idem experimentum in acidulis Yebenhausensibus factum. Quæ quanquam ita, vt diximus, habeant, Admirabili tamen aquæ admixtum alumen fortè à simili quis non ineptè collegerit, qui sequentia verba Andreæ Baccij de Thermis lib. 1. cap. 21. accuratiùs expenderit: Alumen etsi quadam naturaliter vnctuositate participet, potiores tamen partes obtinet salis. Quare vbi sincerum nascitur, nullum habet illius feruescentiæ signum, imò igne admoto retundit flammam. Et si calent alicubi insigniter aluminatæ, accessoriam indicant sul-

Examen aluminis per gallas incertum.

phurosæ naturæ copiam, præter quàm aluminis essentiæ conueniat. Quod visum est in nouiter repertis mineris in Senensi agro supra Clauem Paludem: quas cum diuersis tentassent per initia experimentis, inuenerunt eas in confectione aluminis pinguissimas, ac conuerso exinde opere, in atramentis, & sequestrata pinguedine, vitriolum fundunt electissimum. Hæc ille. Nec non eorum opinionem, qui fontem Admirabilem non expertem aluminis existimant, confirmauerint sequentia verba ex Georgij Agricolæ lib. 3. de natura fossilium. Alumen magis atramento sutorio cognatum, quàm etiam Nitri sal. Vt enim horum vtrumque abstergat, tamen sal præterea parum astringit: illorum verò vtrumque astringit multum. Sed differunt in hoc, quòd atramentum magis sit terrenum, minùs alumen. Id autem vel ex eo potest intelligi quòd ex Atramento sutorio fiat alumen. Cum enim oleum ex eo conficitur expirat Alumen: quod lutum quo vitrum vitro iungitur, concipit. Atque eiusmodi lutum cum opere perfecto aquâ pura maceratur, in eam Alumen deponit: quod paulatim vitri instar concrescit, Item lib. 3. de ortu & causis subterraneorum. Ex succo astringente non tantum fit Alumen & Atramentum sutorium verùm etiam Sory, Chalcitis, misy: quod flos esse videtur Atramenti Sutorij vt Soreis melanteria quædam. Cum autem humor corraserit Pyritem ærosum & friabilem, fit talis succus astringens: id quod experimentum docet. Nam atramentum sutorium viride, in capilli figurã formatum sæpenumerò ab eiusmodi Pyrite procedit per Melanteriam quæ eam vndiq; complectitur: & ex tali pyrite non atramentũ modò sutorium, sed etiã Alumen excoquunt artifices: magnam enim cognationẽ inter se habent. Apud Gesnerum de lapidibus ex Kentmanno Vena dura pyritis colore argentea (vulgò aquaticam vocant) similis Dibanæ, ex qua si in locum apricum ponatur, atramentum album tenuo & alumen efflorescunt.

Alumẽ salsugo quænam.

Aitrum & alnitrum.

Baccius lib. 5. cap. 8. Alumen quoque ipsum quædam terræ salsugo intelligitur, simile admodum naturali nitro, vt commune videmus alumen album, splendidum, roseo foris colore, & spongiosum: quibus item notis à Dioscoride nitrum describitur. Simile & artificio, quo diximus salnitrum nostrum hodie confici: foditur enim lapis aluminis scabrosus, candicánsque ærugineis intercursantibus venis, exciditurque in rudes glebas, mox in fornacibus aliquot horis coquitur, exinde insolatur vltra mensem, aquis immaceratur, quamdiu in leuorem argillæ modo solutus sit, tum in feruentis aquæ alueo per ministros in albissimum liquamen ducitur, hócque corriuato in magna capisteria lignea tenacior pars addensatur ligno, excutitúrque vbi siccatum fuerit alumen. Et paulò pòst de impressionibus acturus, quas alumen aquis conciliat, primo quidem gustu aluminis salsitatem offerri ait, quæ suctu quodam linguam carpat, sensorio ipsi tandem perquam adstringentem, vnde à Græcis στυπτηρία dicta sit. Mox, ex tribus aluminis generibus liquidum aptissimum esse, vt aquis vim suam imprimat, adeóque nullas esse aquas aluminosas, quin

typteria.

Slumen liquidum.

de hoc genere plus minus participent: primò, quòd, cùm liquidum sit, facilè soluatur: dein, cùm limpidum lacteúmque, aquas exquisitè albidas reddat (is enim aluminosarum color) & quod omnes auctores ex Dioscoride notant, cùm sit cum quodam igniculo caloris, idcirco lactei eas teporis ac temperamenti efficiat, quales merè aluminosas nos videmus Albulas, testatúrque esse Aët. ex Galeno, lib. 11. cap. 33. Tandem colligit alumen & aquas aluminatas qualitatibus constare contrarijs: calidis scilicet mediocriter, ac siccis admodum: frigidis præterea, ac valenter adstringentibus eáque propter aluminosas primo gustu subdulcem adferre saporem ac tenuem, pungentem linguam: siccas propterea qualitates atque aridas, vnde sapor in amarulentiam desinat, atque insigniter adstringentem. Nibil oberit hîc subijcere ex Dioscorid. lib. 5. cap. 123. Aluminis vires. Alumina vim habent excalfaciendi, stringendi, & expurgandi, quæ caliginem pupillis oculorum offundunt, genarum carnem, cæteráſque excrescentias extenuant. Scißile rotundo efficacius intelligitur. Vri, & torreri chalcitidis modo debent: Putrescentia vlcera compescunt, sanguinis fluxiones inhibent: gingiuas humore prægnantes comprimunt, motus dentium cum aceto & melle firmant, prosunt cum melle vlceribus oris, eruptionibus papillarum, & fluxionibus aurium cum sanguinalis herbæ succo. Lepris conueniunt cum braßicæ folijs, aut melle cocta, item pruritui & vnguium scabritijs, pterygijs, & pernionibus, aspersa cum aqua. Valent cum aceti fæce, & galla, pari pondere cremata, ad phagedænas vlcerum: & cum salis duabus partibus, ad vitia quæ pascunt. Furfures, cum eruo, & pice illita abstergunt: ad lendes, pediculos, ambusta, cum aqua illita auxilio sunt. Contra tumores, & graue alarum, inguinumque virus illinuntur.

Vires aluminis ex Dioscor.

Iac. Theod. Tabern. Aqua cui subtilitates & spirituales vires aluminis insunt, facultatem habet calefaciendi, aperiendi, exsiccandi, abstergendi, glutinandi: potu & balneo prodest sanguinem spuentibus, vterinæ hæmorrhagiæ, hæmorrhoïdibus: sterilibus mulieribus & quæ concipere non possunt ob nimiam vteri humiditatem aut fluores albos subuenit: vomitum compescit: ventriculo relaxato, sanguinem meientibus, aut naribus aliáue parte corporis reijcientibus præsenti auxilio est: dolorem sedat colicum, iliacum: obstructiones aperit hepatis, splenis, renum, vesicæ: vrinam ciet: arenas & lapillos pellit: matricem ab omni pituita & sordibus repurgat: prodest cachecticis, œdematosis, hydropicis: menses nullo ordine fluentes emendat: salutaris admodum abortui obnoxijs, laxiores enim vteros constringit, & humiditates consumit: vtero gerentium hæmorrhagias balneo sistit. Sanat vlcera vesicæ: nauseam tollit: ijs cõfert, qui vrinã continere nõ possunt: pingues extenuat: defluxiones exsiccat: iuuat arthriticos, podagricos, chiragricos, resolutos, cõtractos, tremulos: immobiles tẽdines remollit, & ad motum ineptos. Ostocopõ luis venerea tollit: omnia vlcera putrida & serpentia sanat: vtilis in varicibus. Curat sinuosa

Vires aquarum aluminosarum ex Tabern.

vlcera, cancros, vlcera, Luis Venereæ, omnis generis scabiem, maculas, serpiginē, (Haarwurn) *& inprimis obscænarum partium vlcera & pruritum intolerabilem: lotione capitis interimit pediculos & lendes: oris crebra collutione firmat gingiuas, epulidas, parulidas, stomacacen sanat, dolorem dentium compescit.*

De argillæ viribus, aquarúmque quibus admiscetur. Cap. XIII.

ARgillam quoque vulgarem medicatis aquis misceri subinde, patet ex balneo montis Orthoni, cuius aqua tota argillosa. Commisceri & rubricam docent aquæ Caldarianæ. Terra etiam lutea, vt in balneo S. Petri, commiscetur, quæ ochram æmulatur quidem, ochra tamen non est. Fallop. de Thermis cap. 8. Item cap. 16. Materia luti thermarum est argillosa vel cœnosa: itaque quodlibet lutum thermarum est argilla vel fimus vel spurcities quædam.

Aquæ Caldarinæ. Bal. S. Petri.

Thermæ S. Petri. *Item cap. 19. In thermis S. Petri lutum continetur luteum argillosum habetque vim digerentem ac roborantem. Et propterea vtile est ad remouendum imbecillitatem artuum, & neruorum refrigerationem. Iac. Theod. Tabern. Thesaur. lib. 2. cap. 74. Recipe argillæ rubræ fornacum, optimè vstæ lib. 4. (plus minùs pro quantitate aquæ præparandæ, ea tamen proportione, vt pro vna terræ parte, sedecim aquæ fluuialis sumantur) puluerisatæ affunde aquæ profluentis mensur. 16. coquantur ad quartas. Eiusmodi aqua vtilis est ad omnes hæmorrhagias, vt aqua boli. Balneo tollit dolores Podagricos & resoluta membra corroborat: lassitudinem pedum crurumque ex itinere saltúve immodico discutit: Potio ad dysenterias & profluuij omne genus vtilis, recipe argillæ rubræ fornacum combustæ lib. 1. contusæ optimè affunde mēsuras 4. aquæ fontanæ. Bulliant parum. Deinde extingue chalybem candentem quater vel quinquies. Postquam subsedit, cola per telam rudem aut manicam Hippocr. Bibat æger ad sitim restinguendam pro arbitrio. Hæc ille: Aquæ argillosæ insignes vires ad dysenteriam videre erit capite de dysenteria vbi recensetur hist. fontis Nabrensis qui vix vnum miliare Germanicum ab Admirabili fonte distat.*

Vires aquarum argillosarum ex Tabern. Potio ex argilla. Ad dysenteriam.

Lutū aquæ Virginis. *Morellus de aquis medicatis agri Patauini dicit: lutum aquæ Virginis argillosum & pingue existit, habetque salsedinem & aliquantulum vaporis sulphurei: Et ideo ratione horum vim habet siccandi, digerendi, roborandi, & aliquam vim adstringendi: molliendi autem vim obtinet paruam, quam consequitur ab ipsa argilla. Baccius lib. 1. cap. 12. Dulces quidem aquas facit Argilla: sed errant quidam hodie scriptores, qui hoc nomine lacteas quoque huic misturæ attribuant. Facit enim Argilla dulces, hoc est synceras ac potabiles, veluti exemplo ac ratione paulò antè probauimus: Lacteæ verò, id est, quæ suaues sunt, ac lactis sapore dulces, alterius succi substantiam ducunt: momentum videlicet aut aluminis, aut bituminis, quas in sua origine potiùs taliter affici putandum, quàm ex itinere. Quandoquidem magna est affinitas Margæ siue adipis terræ*

Aquas dulces facit argilla.

cum Ar-

cum Argilla & bolis, subijciemus quæ de aquis Margæ scribit Baccius lib. 6. cap. 19. Calcarariam porrò quandam, seu cineream putamus materiam, quam Margam dicunt, quam describit Plinius, ac terræ adipem vocat, multæque esse vbertatis asseuerat, vbi in campis spargitur stercorandis. Quod dißimile veri non sit: nam & cinerum globi qui iugiter ex Aetnæ faucibus eructantur, vbi pluuias senserint, agros vndiq; regionis, ac vineta impinguant. Natiua hæc per se certis locis, vt quas species eius notant Germani authores apud Saxones reperiri ad lætificandos agros, discolores, albas, cinereas. Scatet quoque è lapidum fibris metallisq; varijs, vnde & cum aquis commista, stypticæ eas qualitatis reddit, ac sanguini sistendo efficaces. Hæc ille. In Sundgouia Alsatiæ vicina consuetum marga agros fœcundare, cuius efficaciam eam prædicant, vt multos annos lætaminis nullius indigi, restibili fertililate agricolas beent. atqui in ijs locis, ne vestigium quidem calidarum aquarum vspiam inuenias.

Aqua ex marga.

Adeps terræ.

Ciceribus Aetnæ stercorātur agri.

Margæ vires

Lætamen in Sundgouia.

De Bolo, terra sigillata, earumque viribus, necnon de nostro sanguine Herculis & axungia Lunæ.

CAP. XIIII.

SEptembris 23. *ad fontēm Boll proficiscens incidi in quendam Bolo onustum, qui aiebat se ex* Bysſingē *venire & ex proximo monte præcelso (cui imposita arx* Teck *) non longe ab arce adferre, Augustam Vindelicorum auehendam: inde autem Noribergam delatam batzione medio in libras singulas æstimari. Bolus est mollis instar argillæ, rubra. quam gestabat, eam verò in massulas coëgerat quadratas, etiamnum, cùm viderem, molles & quæ digitis pro arbitrio possent subigi diduciq;. exsiccata indurescit, & firmiter linguæ adhæret. Octob. 23. placuit locum ex quo prædicta bolus erueretur, videre, quò cum D. D. Rentzio profectus, scrobes comperi secus viam, qua ex* Bisſingen in Aw *itur, in monte, à quo tamen ascensus satis longus ad arcem. scrobium altitudo superficiaria, bolus insigniter rubet, & penè ruffescit, admixtis subinde luteis vnguibus. Ego quidem persuasum habeo, quodsi altiùs & accuratiùs fodiantur scrobes, fore vt multò pulchrior inueniretur: ipsi lapides proximi rubent. Ex hac ego & Ioh. Lutzius Pharmacopœus terram sigillatam effinximus, quam sanguinem Herculis vocamus (liceat in nostris rebus libertate nominum vti) cuius non minores esse vires arbitramur, quàm axungiæ Solis vel vnicornu mineralis quorundam. Cæterùm bolo, terris sigillatis & ex ijs factis sequentes tribuuntur facultates: Dioscor. lib 5. cap. 73. Lemnia terra, quam sigillum capræ appellant, vim antidoti habet contra perniciosa venena singularem: potu cum vino & præsumpta euomi venena cogit: contra ictus morsusq; animalium, quæ exitiale virus eiaculantur prodest: antidotis familiaris: est & dysenteriæ vtilis. Non dubitamus etiam nostram bolum seu sanguinem Herculeum congenerem esse rubricæ Sinopicæ Dioscoridis lib. 5. cap. 72. de qua ait: vim habet exsiccatoriam, quasi indurando obstruentem, & adstrictoriam: qua-*

Bolus circa Teck.

Sanguis Herculis.

Lemniæ terræ vires ex Dioscor.

Rubricæ Sinopicæ vires ex Dioscorid.

propter vulnerarijs emplastris & pastillis exsiccantibus & astrictorijs commisceri solet. Aluum sistit in ouo sumpta aut clystere infusa: datur iocinoris vitio laborantibus. De hac Matthiolus: Quantum conijcere potui Sinopicam rubricam nobis representat vulgarißimus Bolus Armenus vocatus, is nimirum qui in quadratas defertur massas, quique maximè vulnerarijs medicis expetitur ad sanguinis profluuium cohibendum & fracta ossa ferruminanda.

Terræ Lemniæ vires ex Galen. *Galenus lib. 9. simpl. Librũ accepi, qui omnem Lemniæ terræ vsum edocebat, is à quo dono accepi vtebatur ad vulnera tum vetera, tum cicatrici inducendæ cõtumacia: ad hæc ad morsus viperæ, atque adeò omnes ferarum morsus, nec non aduersus medicamenta lethalia: non antè modò exhibere, sed & pòst sphragide*

Diacomthis. *vti consueuerat. Addebat porrò sese periculum fecisse medicamenti, quod quia fructum iuniperi accipit, διὰ τῶν ἀρκευθίδων nuncupatur, cui vtique addebatur & terra Lemnia: vomitúmque ciere aiebat, si quis, cum etiamnum in ventre le-*

Ad venena. *thale venenum hæreret, alexiterium siue amuletum ebibisset. Et sanè nos quoque huius fecimus periculum in lepore marino & cantharidibus, cùm sese tale*

Vomitus excitabat. *quippiam accepisse homines suspicarẽtur: verùm hausto, quod Lemniam sphragida habebat medicamenta protinus omne euomuerunt, nec postea vllum illis accidit symptoma eorum, quæ ad leporem & cantharides comitari consueuerũt, tametsi conuicta esset perniciosorum medicanimum exhibito. Cæterùm an ad alia mortifera medicamenta, hæc inquam, quæ vocant deleteria, eãdem vim habeat medicamentum, quod ex fructu iuniperi & terra Lemnia conficitur, mihi*

Ad rabientis canis morsum. *vtique ignotum est, at ille ab Hephestiade profectò asserebat adeo vt & rabientis canis morsum eam sanare diceret in vino diluto epotam, & vlceri ex aceto impensè acri impositam. Sed & aliarum ferarum ictus, ex aceto sanare referebat extrinsecus, folijs herbarum insuper impositis quæ putredini resistere didicimus. In primis verò prædicabat scordium, deinde centaurium exile, inde marru-*

Ad vlcera. *bium. Porro si quando nec sane ad vlcera cacoëthe, & putrida terram Lemniam adhibuimus, magnifice profuit: Vsus autem est, pro prauitatis vlceris magnitudine, quippe id quod grauiter olet impendióque laxum molléque est ac sordidum, sustinet vt vel per acerrimum acetum Lemnia terra in lutosam soluatur consistentiam, aliorum more pastillorum, quorum alius alio vtitur: dico autem palyidæ, & Pasionis, & Andronis, & qui nunc dictus est quem Betinum vocant. Siquidem hi omnes valenter desiccantes prosunt vlceribus contumacibus soluti, interim quidem in vino dulci, interim sapa, interim œnomelitæ, nonnunquam etiam alborum vinorum quopiam aut fuluorum aut flauorum, prout nimirum vsus postulat. Nam de talibus alibi definietur. Similiter verò quandoque soluuntur aut ex aceto aut vino aut aqua aut oxymelite aut exycrato aut melicrato. Porro Lemnia terra ex aliquo comprehensorum soluta, medicamentum fit idoneum tum recentibus glutinandis vulneribus tum medandis inueteratis ægre ad cicatricem venientibus & contumacibus.*

Item eodem lib. Armenia terra, quod summè desiccet ad dysenterias & ventris profluuia, tum sanguinis expuitiones & catarrhos, ad hæc ad putrescentia oris vlcera in primis competit. Quin & eos magnificè iuuat, quibus ex capite in thoracem fluxio decumbit: quamobrem illis, quibus ex tali occasione assiduè difficilis est anhelitus validè prodest. Sed & eos, qui phthoë laborant adiuuat: vlcus enim eorum desiccat, vt haud etiam tussiant nisi in victu peccetur non leuiter, aut ambiens derepente ad intemperiem recidat. Ac mihi videtur, quòd sicut in fistulis sæpè conspeximus, non in alijs partibus duntaxat, sed in ipso etiam ano, vt citra collyrij immissionem quod sordem, aut callum auferret, ipso duntaxat exiccante medicamine clauderentur, ac contraherentur: ita quoque in pulmonis eueniat vlcere. Siquidem & ipsum ab exiccantibus iuuari medicamentis perinde conspicitur, vtique cum mediocre est, non admodum magnum. Itaque visi sunt quidam, eorum qui talia habebant, prorsum esse liberati. Ac quidam qui Roma in Libyam talem ob causam profecti sunt, planè se sanos esse credidere: & sane vsque ad annos aliquot inculpatè transigebant: postea verò cùm non pari degerent cura & cautione, reditus morbi apparuit. Hos ergo, vt dixi, bolus Armenia euidenter adiuuat. Quin & eos qui Romæ agunt, qui assiduò difficultate spirandi discrutiantur, magis etiam. Porro in magna hac peste cuius eadem facies fuit, atque eius quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot hoc medicamen bibêre, celeriter curati sunt. At quibus non profuit, omnes interiêre, scilicet cùm nec alio quouis iuuarentur. Vnde colligitur quod ijs duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles. Cæterum bibitur ex vino consistentia tenui modicè diluto, si aut planè febri careat aut leniter ea teneatur: sin grauius febriat, admodum aqueo. Non tamen calore vehementes sunt febres pestilentiales. Porrò de vlceribus resiccari postulantibus quid attinet dicere quantam vim habeat bolus hæc Armeniaca? Liberum est autem vtcunque appellare velis, siue lapidem vt is qui mihi donauit, siue terram, vt ego, quandoquidem humidis rigari patitur. MATTHIOLVS. Eorum sententiam minimè improbandam censemus qui nil aliud esse Lemniam terram putant, quam bolum Armeniam: quæ officinis seplasiariorum Orientalis cognominatur: præsertim quod certò compererim, bolum hanc non aliunde ex Armenia vbi legitimum synceríssimúmque Armenium lutum nascitur, sed tantùm ex insula Lemnio, ex eodem tamen colle, cuius meminit Galenus. Siquidem Armenium lutum, quod bolum quidam vocant, præterquam quòd ex Armenia adferri debeat, si Galeno medicorum principi credimus, colore ex pallido ochræ instar, non autem impensè rubro. Id quod ipse Galenus libro nono simplicium medicamentorum in Samiæ terræ mentione testatur his verbis: Cæterùm durante hac immani, & graui pestilentia, ex Armenia ea, quæ Cappadociæ finitima est, data nobis est terra etiam siccantior, colore pallido. Atqui vt fraus & impostura detegatur atque palam fiat, non est silentio dissimulandum quod qui Lemnum incolunt mercatores, cum sciant, Armeniam ter-

Terræ Armeniæ vires ex Galen.

Ad difficilē anhelitū & pthoen.

Ad pestem.

Sumendi modus.

Ad Vlcera.

De bolo Armena Matthioli opinio.

Ex vna terra duas faciunt.

ram ad nos non adueh i, lucri proin dulcedine allecti ex vna tantùm terra duas conficiunt. Quippe syncerißimam terram Lemniam extra insulam Constantinopolim comportant, & pro Armenia vendunt emptoribus, suadentes eãdem eò ex Armenia comportari. Quam verò in Lemno pro Lemnia exhibent, vt colore ab altera differat, eam cuidam albæ terræ inibi nascenti admiscent: quò fit, vt longè minùs quàm syncera rufescat. Hanc itaque legitimæ sphragidis loco supponunt, hisce adulterijs permista quam etiam sigillis obsignant, vt inde imposturæ maius lucrum accedat signo magis, quam medicamẽto fidentes.

Terræ Silesiacæ vires ex Berthol.

Andreas Bertholdus Oschacensis de terra Sigillata quam Axungiam Solis vocat. Primùm (quod in natura rerum maxima cum veneratione admirandum & celebrandum) in primis aduersatur toxicis, philtris ac venenis crudelißimis ac robustißimis, aut cuiuscunque generis per os assumptis, eáque per vomitum expedißimè ac felicißimè reijcit, si vel ante, vel statim post hausta venena sumatur, sin aliquantò tardiùs, per sudorem eadem expellit.

Ad venena.

Ad pestem.

Secundò, eadem naturæ admiranda facultate crudelißimo & horrendo pestis contagio resistit, nõ solùm ab hoc præseruando tutos reddens eos qui hac vtuntur, sed iam infectos & semimortuos, ab Orci faucibus & præsentißima morte, miraculosa celeritate reuocando.

Ad morsus animalium.

Tertiò, non dißimili virtute ac ratione omnium ferè venenatorũ animalium, & insectorum morsibus, ictibus aut punctionibus, itidem vulneribus ab infectis ac venenatis armis quocunque modo illatis, si quid aliud, promptißimè medetur.

Roborat partes omnes.

Quartò, singularem & suauem quandam amicitiam, & admirabilem sanè sympathiam, cum vitalibus humani corporis partibus habere cõpertum est: ita vt mirum in modum cor ipsum confortet, cerebrum reficiat, & alijs quibuscunque viscerum malis strenuè aduersetur. Hinc omnem ferè cephalalgiam demulcet, cardialgiam remouet, palpitationem cordis sedat, oculorum vulnera & læsiones, inflammationes, lippitudines, ac fluxiones curat. Itidem in testium & cerebri vulneribus, inflammationibus, ea remedia præstare hanc nobilißimam terram experientia docuit, quæ vix vlla alterius generis medicina vel promittere, vel exercere poßit.

Ad hæmorrhagiam.

Ad defluxiones.

Quintò, cõtra omnẽ hæmorrhagiã, siue ex venis, siue ex arterijs ipsis, vel ex quacunque tandem corporis parte sanguis effluat, nullum præstantius aut fortius remedium hac ipsa inueniri potest. Sextò, simili quoque ratione catarrho rheumati, coryzæ, ac grauedini medetur.

Ad alui fluxus.

Septimo dysenteriam, lienteriam, diarrhœam, atque omne ventris molestum profluuium non minùs feliciter quàm commodè curat, & omnem hypercatharsin sistit.

Ad ambusta.

Octauò, ambustis, vel ab igne, vel aqua feruente, vel liquefactis metallis, per optimè succurrit, tum prohibendo ne ascendant pustulæ, tum partes oblæsas citißimè restituendo.

Ad vulnera & vlcera.

Nonò, vulnera recentia, & vlcera inueterata, ac maligna pulcherrimè sanè ac maturè curat.

Ad inflãmationes & anginam.

Decimò, contra anginam, & aliarum partium internarum inflammationes præsentißimum est remedium.

Ad vitia cutis.

Vndecimò, contra pruritum, scabiem fœdam, ac curatu difficillimam, commodißimè hæc terra vsurpatur.

Ad sudores mouendos.

Duodecimo, omnibus morbis qui per sudores expelli queant,

propulsandis, vt vno verbo dicatur, conuenientißima existit. Decimotertiò, contra phthisin exsiccando vlcus pulmonum, hæmoptoicis, mirum in modum prodest. Si terra Silesiaca omnia præstat quæ promittit Andreas Bertholdus, licèt experiri mihi videtur non potuisse, non dubitarim idem præstare posse sanguinem Herculis & Axungiam Lunæ: Verum imitatus Galeni modestiam, nihil certi pronuntiare volo de non expertis, docebo tantum quibusdam locis, quibus modis poßint exhiberi cum aqua admirabili & alijs, tum quomodo & quando sperandum ea posse impetrari quæ Bertholdus pollicetur de sua Axungia. Ad Phthisin. Sãguis Herculis & Axungia Lunæ.

De marmore, lapide calcario, & fluoribus albis, ac eorum viribus. CAP. XV.

PVteum fontis Admirabilis fodientibus multi fluores albi quibusdam dicti, (spatum vocat D. Ioh. Conradus Gerhardus in suis Thesibus, Agricola autem marmor metallicum) reperti sunt, adnati pyritæ, belemnitæ & lapidi cinereo, pulchri, albi, lucidi: crystallum aut marmor diceres si durities adesset. Cum aqua nostra de eo aliquid fortè commistum est, quandoquidem residentia non solo constat sale, nisi dicamus fontem Mirabilem alicubi per tophum album transire, qualis habetur prope pagum Bisingen *Vvillam versus sesquihoræ itinere à fonte mirabili. Octob. 21. Lapis fluoris albi in puluerem redactus, in fictile subiectis prunis impositus, totus ignitus redditus est. Lapis itidem in ignem iniectus, nec vaporem, nec odorem, nec crepitum, quantum quidem animaduertere potui, edidit: sed candens redditus, combustúsque cinereum colorem acquisiuit, digitorum attritu fragilis, non tamen, aquæ immersus, calcis modo resoluebatur. Iac. Theod. Tabern. lib 2. cap. 84. Marmor, alabastrites, & ophites, eiusdem generis sunt & naturæ ijsdem viribus prædita: quorum spiritu perfusa aqua facultatem habet refrigerandi, incidendi, mundandi: potu vtilis ad tußim siccam, ad ardentem & hecticam febrem: pectus dilatat: dyspnϾ à caussa calida auxilio est: punctiones laterum aliorúmque membrorum mitigat: omnes malignos calidos humores in corpore discutit: cutem à calida scabie & papulis repurgat: vlceribus biliosis & ab erysipelate ortis subuenit: denique tollit omnes tumores calidos & pustulas tibiarum ardentes: calidas exulcerationes ani & pudendorum curat. Item cap. 88. Aqua quæ spirituales subtilitates habet lapidis dicti* spath, *refrigerat, incidit, absterget: potu & balneo vtilis ad omnes affectus tam internos quàm externos, ad quos aqua alabastri, marmoris & ophitæ. Fallopius tract. de metallis cap. 11. Aquæ marmoreæ aptæ sunt ad potum, nisi habeant etiam gypsum vel aliud consimile. Item cap. 6. Calcarij lapides, atque illud immensum genus lapidis quod marmor vel marmoreum vocant, nullum ex his lapidibus, vt experientia ostendit, & vt fuit sententia Theoph. in lib. de lapidibus, fuit vnquam repertus qui aut ab humido, aut a calido fuerit emollitus vel eliquatus. Item cap. 8. Aqua Aponensis habet in se*

Spatum. Marmor metallicũ. Tophus albus. Vires marmoris, alabastri & ophitæ aquarúmq; quæ hos lapides lambunt, ex Tabern. Aquæ marmoreæ. Aqua Aponensis.

plura metalla, sed confusa potius quàm secum verè commixta, statim cum erupit euomit calcarium lapidem quem in se continet, vt videre est illo aquæ ductu, per quem aqua ducitur ad molẽdinum, & in omnibus illis locis circa ipsum fontem. Aqua balnei magni S. Petri quamprimum exsilit, excernit ramẽta cuiusdã rubricæ. Aqua Balnei de Corsina statim cum erupit, relinquit ramenta quædam lapidis marmorei: quæ ramenta tandem abeunt in stirias. Item de balneis cap. 8. Miscentur cum aquis lapides, sicut marmor: quod dupliciter cum aquis medicatis miscetur, vel sub forma ramentorum, vel sub forma succi. Ramẽta marmorea habent balneum in agro Corsenæ & balneum de Agnano vocatum. Lapis quoque calcarius reperitur in medicatis aquis, immò omnes cineres & calces qui reperiuntur in aquis reducuntur vel ad lapidem calcarium vel ad ramenta marmoris. Item cap. 25. Balneum Aquarium scaturiginem suam habet frigidam ex alto saxo, & in se continet aliquid marmoris vel calcis ex marmore candidiss. facti Item cap. 26. Corsinum balneum in quo aqua calidissima, dicit abundare calce, & in balneo de Ducijs marmor copiosum combustum. Item cap. 30. Balneum Agnanum est veluti fouea, & aqua est summè frigida: dicuntque ipsum continere succum marmoreum: quod & ego fateor. Vnde facit ad stipandum calorem natiuum optimè, ad laxationem vteri & ad impragnationem: si sterilitas ab vteri laxitate. Vtuntur præcipuè cum mulieres nequeunt retinere fœtum iam conceptum ob vteri relaxationem à caliditate & humiditate nimia: in quo affectu est remedium præsentissimum ac multiplici experientiâ valdè comprobatum. Hæc Fallopius quem non intelligo. Quomodo enim calx fieri potest in scaturigine frigida? Quomodo transeundo posset ex durissimo marmore aliquid secum auferre? cum neque humido neque calido emolliatur liquescatuè, nisi cum Baccio lib. 6. cap. 20. lapidis genus intelligat quod aquis dissolutum ad opera deseruit cæmentaria calcis vice, quem idem aquæ calidæ in Dacia tanquam caloris suscitabulum & fomitem subijcit. Qua in re idem recurrit dubium, an calx debeat dici, cum ignea violentia propriè dicta calx ex lapide cremato fiat. Quo fit, vt in eam deducar opinionem, vt laxiore significatione tum Baccium tum Fallopium vocabulum calcis, vsurpasse existimem: & de Baccio quidem nihil penitus dubito, quandoquidem paulò post iam dicta, synonymon calci huic naturali facit margam, Plinio terræ adipem dictam. Venit in mentem ophites lapis, mihi Rotemburgi ad Niccarum monstratus & laudatus ab honesto ac primario viro ad colicum dolorem: lapis planus ac nonnihil concauus, magnus: calefactum in aqua feruenti applicant abdomini: magno erat emptus lapis. De tali lapide, pulchro scypho, sicuti altero ex Alabastro donatus sum ab Illust. mea Principe. Verùm an Ophites profuerit occulta qualitate asserere non ausim: Existimarim vtilitatem pendere à calore adscititio aquæ calidæ diutius in solidiore corpore perdurante: sine molestia tamen propter aquæ contemperationem lenem.

Bal. S. Petri.
Bal. de Corsina.
Bal. de Agnano.
Bal. aquarum.
Bal. de Ducijs.
Bal. Agnanum.
Calx in terræ visceribus an gignatur, ab aquæ allapsu.
Calidæ aquæ in Dacia.
Marga Baccio calcis genus.
Ophites lapis.
Colicus dolor.

De argento & viribus aquarum quæ participant argento. CAP. XVI.

NOn mihi videntur hîc negligendæ vires quæ tribuuntur aquis quæ participes sunt argenti: quandoquidem antè indicatum pyritem quo abundāt scaturigines fontis admirabilis, ac etiam, vt quidem volunt, ipsos lapides fißiles continere argentum. An autem noster fons aliíq; qui dicuntur vires ab auro vel argento mutuari easdem habeant, alijs iudicandum relinquimus, ac indagandum quomodo & quibus signis aquas medicatas habere spiritales subtilitates argenti & auri inuestigari poßit. Dum hæc verisimiliter innotescant, vires adscribemus ex Iacobi Theodori, Thesauri par. 1. cap. 49. vbi scribit: Aqua subtili argenti perfusa spiritu, quoq; verè argentea est, facultatem habet refrigerandi, exsiccandi, constringendi, emolliendi, potu & insesione, vt quæ auri venam lambit, vtilis & salutaris. Acres & calidas in oculos, thoracem, pulmonesq; fluxiones exsiccat: pectori, pulmonibus supercalfactis robur addit, phthisin, atrophian prohibet. Vertiginem è calidis vaporibus natam profligat: surditatem & tinnitum aurium tollit: vtilis melancholicis, maniacis, phreniticis, vertiginosis. tußim, angustias pectoris à calore profectas aufert. Dolores dorsi, renum, lumborum ab intemperie calida curat, adeóq; & omnem calidam viscerum dyscrasian persanat. Cordi etiam & ventriculo calore nimio æstuantibus robur addit. Mēses immodicos sistit. Sanguinem retorridum depurat. Hæmorrhagias narium compescit, nec non dysenteriam, diarrhæam, hæmorrhoidum fluxum, tam potu quàm balneo. Extrinsecus autem omnem scabiem humidam, pustulas, furfures, psoram, vlceráque ab erysipelate orta persanat: vtilis contra podagram, chiragram, arthritidem, tum potu tum insessu: omni vlceri & tumori præter naturam calido subuenit. Idem cap. 51. aqua inquit, in qua probæ notæ argentum aliquoties fuerit restinctum, singularem vim nanciscitur corroborandi & confortandi: quamobrem non abs re in plærisque corporis affectibus in vsum venit. Potu autem quotidiano in imbecillitate cordis calida cōpetit: cordi enim robur addit: possetq; vtiliter in omni intemperie calida & humida vsurpari, nihilóq; secius in dysenteria alióq; omni alui profluuio, imprimis autem pestilenti & maligno. Agricola dicit: Aquas aurum argentumvé purum lambentes corrreficere quidam putarunt. Fallopius de thermis cap. 11. De aquis argenteis & aureis cum non habeantur nihil dico: credo tamen quòd si haberentur, essent aptæ ad potum: quoniam cum hæc duo metalla sint benigna, aquæ in quibus ipsa continerentur, non possent & ipsæ non nisi benignæ esse. Bacc. lib. 6. cap. 8. Aliud est considerare aurum vt aurum, & argentum vt argentum: & aliud in minera sua, quam in aquarum differentijs quærimus. De auro namque, vt aurum est, idemq; ens perfectißimum, hoc scire est operæ precium, quòd nedum quicquam suæ præstantiæ impertire potest aquis ipsum abluentibus, sed

An ab argēto & auro vires mutuentur aquæ.

Vires aquarū argētum lambētium ex Tab.

Aurum an vim imprimat in aquas.

ex vniformitate exactißima suarum partium, nullo neque accidente naturæ, neq; artis magisterio aliquam sui iacturam, aut transmutationem sustinet, nisi auri semper in aurum, non sale, non igne, non aceto, nullis succis, nulla rubigine absumitur, non ergo in aquas imprimit. atq; eodem iure post aurum nnucupandum venit argentum. Hactenus igitur de mineralibus metallicisq; fontis nostri eorumq; viribus, quamq; aquis, quas imbuunt, efficaciam imprimant, dictũ esto, deinceps altero crure medico tantisper insistamus, & veracibus experientiæ historijs demonstremus, quid quantunq; de Aquis nostris ad desperatißimos morbos quosdam curandos sit sperandum, quod genus argumenti norunt docti in vulgi quidem potißimum gratiam tractari, non obscura tamen documenta suppeditare ad penitiores rerum latentesque vires accuratius perscrutandas.

Historiæ eorum, quibus fontis Admirabilis Bollensis, olim dicti Zitteren, vsus tum potu tum balneo fœliciter cessit, anno 1595: & primùm annotatæ ab Vdalrico Gantz in Boll, à 25. Maij ad vltimam Iunij.

CAP. XVII.

Vlcus tibiæ. 1 *Petrus Braunaucher ex Vveilheim præfecturæ Kirchensis, ter aquam pro vlcere tibiæ accersiuit, & curatus est.*

Vlcera tibiarum. 2 *Michael Kugel ex Eichelberg præfecturæ Kirchensis quinquies aquam accersiuit pro curandis vlceribus tibiarum, quæ Chirurgorum remedijs minimè cedebant: eâ curatus est.*

Vlcus tibiæ. 3 *Ioh. Strobel ex Albershausensis præfecturæ Göppingensis, aquam ex fonte Bollensi pro vlcere tibiæ petijt, quod sanatum est: iuxta illud autem & alia vlcera suborta, quæ adempta carne putrida, quartò cùm aquam accersiuisset & in ea lauisset, penitus sanata hominem incolumen reddiderunt.*

Tibiarũ imbecillitas. 4 *Vxor Ioh. Mayer ex pago Bißingen præfecturæ Kirchensis, totos 35. annos nusquam rure suo egressa, quòd pedibus vti non posset, frustra quaternis balneis vsa, Iunij 7. accersita aqua pedes lauit, & curata est, sic vt lintea gramine plena domum ferre posset.*

Narium affectus. 5 *Ioh. Hecker ex* Schorndorff *petijt aquam pro filio Nicolao narium affectu laborante: secundò cùm accerseret, profuisse aiebat.*

Spirandi difficultas. 6 *Bartholomæus Springer orthopnoea laborans, sic vt in lecto decumbere non posset, quartò petitam aquam bibit, qua se curatum testatur.*

Vlcus tibiæ. 7 *Ioh. Draub ex* vnder Limingen *prefecturæ Kirchensis iam secundò aquã petijt ad vlcus tibiæ vxoris, quod pulchrè sanari dicit.*

Vlcera tibiarum. 8 *Andreas Klingebaur ex* Vvinterbach *semel petita aqua pro vlceribus tibiarum restitutus est.*

9 *Vdalri-*

9 *Vdalricus Leible ex* Heininge *Göppingensis præfecturæ, secundò aqua in scabie humida vsus, liberatus est.* Scabie humida.

10 *Iacobus Megauß ex Kirchen aquam secundò accersiuit pro filiola sua, capitis vlceribus manantibus laborante, quæ pulchrè, vt ait, curantur.* Achores.

11 *Petrus Schneeweiß ex Grübingen octies aquam petijt pro veteri tibiæ vlcere, & planè curatus est.* Vlcus tibiæ.

12 *Christophorus Puck ex Nellingen Vlmensium secundò accersiuit aquam pro vxore laborante vlcere tibiæ, quam ait pulchrè conualescere.* Vlcus tibiæ.

13 *Georgius Schedler ex Nellingen Vlmensium tertiò petita aqua pro puero achoribus laborante, ait penitus curatum.* Achores.

14 *Michael Ackerman ex Göppingen quinquies aqua accersita pro filio achoribus laborante & stillantibus oculis sic vt minus rectè videret, restitutus visus & exsiccati achores.* Achores. Oculi lachrymãtes cum visus imbecillitate.

15 *Martinus Brandthag Göppingensis aquam petijt pro puero laborante scabie humida genarum, à qua planè liberatus est.* Scabies genarum.

16 *Petrus Traub Kirchensis ter petijt aquam pro vxore ventris doloribus laborante: cuius potum valdè dicit conferre.* Ventris dolores.

17 *Martinus Rueff ex Gameltzhausen tanta brachiorum & crurum imbecillitate laborans vt operis non sufficeret penitus, quartò petita aqua lauit, quam ita dicit profuisse vt emolumentũ 100. florenis præferat.* Brachiorũ & crurũ imbecillitas.

18 *Ioh. Malin ex Heiningen ab insigni brachiorum & crurum laßitudine, vnica lotione curatus est.* Brachiorũ & crurum lassitudo.

19 *Martinus Dihz ex Eichelberg præfecturæ Kirchensis vlcere tibiæ contumaci, frustra multis vsus remedijs, tertiò petita aqua percuratus est.* Vlcus tibiæ.

20 *Melchior Daubenschmit ex Vveilhaim accersiuit aquam nouies pro filio laborante scabie capitis fluida, quam nulla medicamenta potuerant curare: cuius vsu in integrum restitutus est.* Achores.

21 *Io. Tröster Nürtingensis aduehẽdos sibi curauit aliquot congios aquæ, quòd ipse non posset venire ad fontem, propter pedum imbecillitatem: Tantopere profuit vsus eius, vt nunc ipsemet petat aquam.* Pedum imbecillitas.

22 *Ioh. Schnuderer Nürtingensis internis doloribus miserè diuexatus, bis petita aquâ lauit: vnde tantum sensit leuamen, vt centum aureis nollet redimere.* Dolores interni.

23 *Ioh. Reutter Nürtingensis œdematosum admodum crus aquâ accersita lauit, quod ad dimidium subsidit.* Crus œdematosum.

24 *Iac. Stielli ex Abern quinquies curauit sibi aduehendam aquam ad pedẽ balneandum, ita affectum vt ingredi non posset. Iam ita ait pulchrè opus procedere vt ipsemet aquam petat.* Dolor pedis.

25 *Georgius Krafft ex Geißlingen bis curauit sibi aduehi aquam propter antiquum vlcus.* Vlcus.

26 *Ioh. Schud ex Strauffen semel curauit sibi adferri aquam pro vlcere brachij.* Vlcus brachij.

Spirandi difficultas magna. 27 *Michael Schneider ex Riedrich Auracensis præfecturæ secundò accersiuit aquam, propter spirandi difficultatem tantam vt non posset ipse ad fontem venire: tertiò ipsemet ad eum venit & ei multum profuit.*

Fluxio in fauces. 28 *Ioh. Karbl ex Kirchen curauit adferendam aquam ad mensuras decem pro filia laborante fluxione in fauces: Illa aquâ abluit fauces, & curata est.*

Scabies humida. 29 *Margarita Ioh. Rhaders vidua ex Rechenstatt* 14. *Iunij secundò accersiuit aquam, balneauit in ea ob scabiem fluidam, à qua liberata est.*

Imbecillitas crurum. 30 *Thomas Harn ex Heiningen secundò curauit sibi aduehendam aquam ad balneum: non poterat ambulare propter crurum imbecillitatem: ab eius vsu restitutæ vires, & nunc incedere potest.*

Fluxiones in fauces cũ raucedine. 31 *Pastor in Schüpfloch decies curauit sibi adferendam aquam propter fluxiones in fauces tantas vt sæpe non posset loqui: ex quo aquam bibit, cessarunt, & curatus est.*

Scabies humida. 32 *Conradus Vvindeysi pastor in Albershausen secundò curauit aduehendam aquam pro filia scabiẽ humida laborante, quam Chirurgi non potuerant curare, ait conferre aquam & opus pulchrè moliri, se sperare curatum iri.*

Vlcera colli. 33 *Euecta est aqua iam quater pro filiola defuncti* Schweiner Vlrich *ex Schlatt laborante vlceribus malignis colli, quæ non potuerunt hactenus curari vsu quatuor aliorum balneorum: Huius autem aquæ balneo egregiè curata.*

Imbecillitas brachiorũ & crurũ cum ictero. 34 *Ioh.* Vvein vnd Brodt *ex Heiningen quater accersiuit aquam propter imbecillitatẽ brachiorũ & crurum, & icterũ, ait se curatum balneo huius aquæ.*

Scabies humida. 35 *Ioh. Güttlin ex Heiningen quinquies aquam sibi aduehendam curauit, in ea balneauit propter scabiem fluidam, quæ non cessit balneo aquæ acidæ Yebenhausianæ: Hac autem aqua penitus sanatus est.*

Vlcera fistulosa pedis. 36 *Ioh. Praun ex Auwe accersiuit aquam pro filio, qui non poterat ambulare ob magna vlcera fistulosa in pede, quem dicit in totum sanum redditum ex balneo prædictæ aquæ.*

Imbecillitas artuum magna. 37 *Petrus Leibli ex Heiningen curauit quater deuehendam aquam pro vxore, quæ per annum domo exire non potuit, licèt multis medicamentis esset vsa: Hac autem aquâ ita adiuta est, vt ipsa venerit ad fontẽ & dixerit fontemm mereri vt vnusquisque trã seundo caput aperiat.*

Impotentia artuum. 38 *D. Abbatissa in Adelberg curauit semel accersendam aquam propter impotentiam artuum.*

Tumor pedis cũ magno dolore. 39 *Nicolaus Esterlin Augustanus mercator secundò accersiuit aquam propter tumorem pedis cum magno dolore, nuncius narrabat ita iuuisse & profuisse hero, vt quingentorum aureorum iacturam mallet perpeti quàm aquam non vsurpasse.*

Vlcus tibiæ. 40 *Hieronymus Gerst ex Geißlingen petijt tertiò aquam pro vlceribus tibiæ, pro quorum curatione frustra multis medicamentis vsus, nunc egregiè curatur balneo huius aquæ.*

41 *Ioh. Baur ex Dirckheim curauit quartò aduehendam aquam pro curatione brachij, in quam sine fructu expendit Vlmæ, vltra 30. florenos: Is ait se vsu huius aquæ planè sanum redditum esse.*

42 *Ioh. Haylandt ex Eheinge secundò accersiuit pro vlcere tibiæ pro quo curando Bibraci multa se expendisse dicit idque sine iuuamento, nunc autem aquæ vsu egregiè sanari.* Vlcus tibiæ.

43 *Ioh. Finck ex Yebenhausen aquam quinquies curauit deferendam ac eam bibit ob dolores internos, qui non potuerunt tolli vsu aquarum Ferinarum thermarum: Verum, vt ait, huius vsu sanus redditus.* Dolores interni.

44 *Ioh. Fischer ex Vveilheim quinquies accersiuit aquam propter vlcera vtriusque tibiæ, in quibus curandis multa sine emolumento expendit: per hanc autem aquam sanatæ tibiæ.* Vlcera tibiæ.

45 *Ioh. Gogler ex Greubingen decies portandam aquam curauit pro vlcere & magno tumore tibiæ, pro quo curando frustra multa in Wisensheim expendit: verùm hac aquâ curatus.* Tumor tibiæ magnus cum vlcere.

46 *Georgius Tettinger ex Ombden dicit se fuisse in thermis ferinis & apud fontes acidos, ibi balneasse propter dolores ventris, manuum & pedum: verum non iuuisse. Ex balneo autem huius aquæ quam curarat deuehendam in pagum Ombden sanatum, eductos fuisse multos prauos humores per manus & pedes. Multæ pecuniæ pacto nollet se non vsum hoc balneo.* Dolor ventris manuũ & pedum.

47 *Nobilis in Vveissensteg dictus Peleckhofer quater curauit sibi aduehendã hanc aquam propter malignum vlcus in pede, pro quo sanando multa inutiliter expendit: Per hanc tamen aquam sanitati restitutus est.*

Historiæ aliæ eiusdem anni 1595. quas testimonij formâ scriptas, citra vllum ornatum, ne suspecta cuiquam ex ascititio fuco redderetur veritas, verbum de verbo expresſimus.

CAP. XVIII.

1 *Ego Elizabetha vxor Iosephi Hagen ex pago Hayningen præfecturæ Geppingensis testor, me iam ab aliquot annis neque potuisse bibere aquam communem neque acidam: Diu etiam ac continuè decubuiße. Cum autem bibo aquam Bollensem, cessant dolores ventris, nec ventriculus ita patitur vt solebat. Quò constet autem prædictum fontem hactenus profuisse prædictæ Elizabethæ, ego Barthol. Eytlin præfectus pagi Hayningen huic scripto apposui sigillum meum die 21 Iulij anno 1595.* Dolor ventris & ventriculi.

2 *Ego Agatha Fleming, Io. Mayer vxor in Bißingen præfecturæ Kirchensis testor me per 25. annos circiter habuisse vlcera in vtraque tibia, pro quibus curandis varijs in locis remedia quæsiui, sed frustra: Verùm ante mensem plus minus vsu aquæ fontis prope Boll Göppingensis perfecturæ, Deo sit laus, restituta sum pristinæ sanitati. Nullos penè dolores sensi dum ea vterer siue in* Vlcera tibiarum antiqua.

cibis, siue in potu, siue in balneis: vel quacunque alia ratione adhiberem. Vt constet hæc certa esse, ego Io. Ringler nunc Præfectus in Bißingen præsentibus Io. Schuppen seniore, Petro Mercklin, & Vdalrico Dieterreichen Iudicibus huius loci, apposui sigillum meum 1595. Iulij 22.

Scabies magna.

3 *Ego Io. Eytlin Pistor ciuis in pago Hayningen præfecturæ Göppingensis testor me per aliquot annos continuò laborasse maligna scabie, pro qua curanda aliquoties domi balneaui in aqua communi, sed sine vllo emolumẽto. Verùm ex aqua Bollensi balneum, multum mihi profuit. Vt constet hæc vera esse, ego Bartholo. Eitlin Præfectus in Hayningen apposui sigillum meum 20 Iulij anno 1595.*

Icterus.

4 *Ego Hieronymus Schmutterer Ciuis in Nirtigen testor hoc meo scripto esse quadriennium quòd grauiter decubui ex febre & ictero: Et me ad pellendum icterum frustra balneasse in aquâ communi in Nürtingen. Verum ex Balneo aquæ noui fontis in Boll, eiusdemque potu calide ebibito, bono haustu manè ieiuno ventriculo, & aliâs copiosè per vrinam eductam fuiße magnam copiam bilis. Si habuissem satis huius aquæ (sum enim coactus vti aqua ex fonte Flauden) fortè adhuc melius haberem & artus robustiores essent. Vt appareat prædicta vera apposui sigillum meum huic scripto 22. Iulij 1595.*

Scabies maligna.

5 *Ego Catharina Conradi Kuders vidua ex pago Hayningen præfecturæ Göppingensis, testor me ab aliquot annis laborare maligna scabie, & me frustra aliquoties vsum balneis aquæ acidæ & communis in proprijs ædibus. Balneum autem ex aqua fontis Bollensis quam curaui adferendam, mihi optimè in internis profuisse & potißimum ad scabiem. Hæc esse vera, vt constet ego Barthol. Eittlin Præfectus pagi Hayningẽ sigillũ huic scripto apposui 20. Iuly 1595.*

Vlcera pedum.

6 *Ego Io. Vvein vnd Brot Ciuis in Hayningen, præfecturæ Göppingensis, testor hoc scripto me habuisse in vtroque pede fluentia vlcera* (ein flusz) *& ante septem annos me vsum thermis Ferinis & aquis acidis, & domi balneis ex aqua communi diuersis temporibus: verum non profuisse. Aqua autem Bollensis profuit mihi: potißimũ verò ex ea vtilitatem sensi in vtroque pede, quãvis tantum per quatuor dies in ea balnearim, quam aduehendã curaram. Pauperies & defectus lignorum impediuêre ne diutius balneare potuerim. Ego Barthol. Eytlin nunc Præfectus pagi Hayningen addito meo sigillo supra dicta vera assero, Iulij 20. anno 1595.*

Dolor ventriculi.

7 *Ego Barbara vxor Petri Laiblin ciuis in pago Hayningen præfecturæ Göppingensis testor me per quartam partem anni domi quotidiè bibisse aquam Bollensem, & me non amplius sentire tantos dolores & angustiam ventriculi* (so wehe vnd so eng vmb mein hertz) *ex quo bibo: & hacten[illegible] me iuuisse Vera dicere pauperem hanc operariam, confirmo ego Barth[illegible]. Eitlin Præfectus pagi apposito meo sigillo 1595. Iulij 20.*

Paralysis cũ doloribus.

8 *Ego Georgius Döttinger ex pago Vmbden testor hoc scripto me in thermis Ferinis & fonte acido [illegible]ebenhausen antè aliquot ann[illegible]s [illegible]alneasse ob paralysim*

(lemen)

(Clemen) manuum & pedum: sed sine fructu: nec etiam erupisse maculas pustulasuè. Verùm hoc anno 1595. inter Pentecostem & primam Dominicam Trinitatis me lauisse in aqua fontis Bollensis, quem Clementiss. noster Princeps & Dominus curat adornandum: Eam autem me curauisse huc Vmbdem adferendam, quæ mediocriter mihi profuit. Eruperunt enim pustulæ, & multæ sordes effluxêre ex corpore & manibus. Quamuis non abstulerit paralysim, ademit tamen omnes dolores artuum, manuum & pedum: quod magnis pecunijs non redimerem. Anno 1595. Iunij 21. Testes subscripti Matheus Vveinlandt Parochus, & Blesin Rieckhen Præfectus pagi im Vmbdem.

9 Aqua Bollensi dicta Sittern ego subscriptus vtor in puero 5. annos totos laborante vlceribus in capite & facie copiosè fluentibus ex humore salso: quæ præ alijs medicamentis quibus vsus sum, meliùs confert, ita vt sperem, Deo fauente, ea aquâ curatum iri. Scriptũ Vveilheim 9. Iulij anno 1595. Subscripsi Melchior Taubenschmidt Chirurgus ibidem. Vlcera capitis & faciei.

10 Nos Præfectus & Iudices in Naberin pago Præfecturæ Kirchensis testamur examinatas à nobis sequentes personas, ac primò Iacobum Stielin, respondisse se à sex circiter annis in tibia fluens vlcus habuisse: se quater aquam Bollensem accersiuisse, bibisse, vlcus lauisse, apposuisse cum linteis & fascijs. Vndè multũ adiutus sit, fluorẽ vlceris iam cessasse: hanc insigniter exsiccare sperare se, cum Dei ope intòtum curatum iri. vlcus enim optimè disponi ad curationem. Vlcus tibiæ.

11 Michaël Roller dicit filiolam suam habere à longo satis tempore, vlcera in collo, quæ aliquoties occlusa fuerint, & sanata, sed non perstiterint sana. Audito autem rumore de fonte in Boll, eam illuc duxisse, dedisse in potu, apposuisse linteola madefacta in aqua illius fontis, priùs nonnihil calefacta, idq; fecisse per mensem circiter, ac inde curatam, se nescire an sana sit mansura: se tamen animaduertisse esse aquam insigniter exsiccantem, lintea & fascias in ea madefactas superpositas locis affectis, citò arrescere. Prædicta vt constet esse vera, ego Michael Schölplin Præfectus pagi in Nabern sigillũ meum apposui 22 Iulij mensis, anno 1595. Vlcera colli.

12 Puellæ, quæ has perfert, misera mater expetit aquam Bollensem, quia antehac fœliciter vsa & profuit, quod testor chirographo meo Iulij 29. anno 1595. Io. Fridericus Tueringen Præfectus pagi Dettingen Schleszberg vnder Teck,

13 Illustriss. & Clementiss. Princeps, &c. Nuper tuæ Ill. C. Medicus Io. Bauhinus D. me interpellauit vt secum irem in domum Elephanticorũ quia examinare & videre aliquas personas vellet, qua in re illi adfui. Inter alios fuit Ciuis Stuccardianus relegatus propter malignam scabiem, consuluit (quod mihi placuit) vt mitteretur in balneum. T. Ill. C. pro sua clementia, pauperi suppeditauit necessaria ad balneum, ea conditione vt experiretur nuper detectam aquã Bollensem, quod diligẽter executus est vt manifestè apparet Nam, Deo sit laus, indicauit se redijsse alacrem & sanum, & me rogauit vt eius corpus inspicerem, quod feci & vera dicere comperi. Si hic permaneat sanus, quod sperandum, hæc Maligna scabies ad lepram accedens,

aqua multa vtiliter præstare poterit. Rogauit me pauper ciuis vt hæc T. Ill C. indicarem, ac suo nomine humiliter gratias agerem, &c. Stuccardiæ 11. Aug. 1595. Il T. C. obediens seruus Vuolffgangus Bader Chirurgus.

Vlcus tibiæ cū tumore & dolore.

14 *Ego Althans Göckler in Gruibingen Præfecturæ Göppingensis testor hoc scripto me à quatuor annis circiter habuisse vlcus in tibia, vndè intumuit valdè pes & magnos sum perpessus dolores: quamuis vsus sim opera quorundam Chirurgorum, non potui iuuari. Nuper accersiui aquam ex fonte dicto Sittern, in qua pedem balneaui, egressus balneo linteum madefactum in aqua calefacta imposui tibiæ optimè mihi profuit, dolorem omninò sedauit, tumorem abstulit, si tibia sana maneat, magno non redimerem felicem curationem. Vt constet hæc vera esse, ego Præfectus pagi in Gruibingen Andreas Seyffer apposui meū sigillum Augusti 1. anno 1595.*

Ventriculi dolores, angustiæ & vomitus.

15 *Ego Michael Lausz ciuis pagi Betzgenriet præfecturæ Göppignensis testor me per quatuordecim annos magnos dolores & angustias ventriculi passum, & licèt biberim aquas acidas, non fuerunt mitigati dolores: quinimò sæpiùs per os aquam claram eijciebam & vomebam: ita vt non biberim amplius acidos fontes. Ex quo cœpit celebrari fons Sitteren in Boll, ex eo bibi, & benè habeo, Deo sit laus, cui gratias ago. Non enim sentio ampliùs angustiam, nec vomo, nec ex ore fluit aqua vt solebat. Faxit Deus vt permaneat sanitas: Quò constet vera esse præcedentia, rogaui M. Vvirich Pastorem hîc vt apprimeret suum sigillum: quod factum in Betzgenriet 24 Augusti mensis anno 1595.*

Vlcera maligna per corpus.

16 *Ego Vrbanus Kessler Pastor in Schlat testor hoc meo scripto puellam iuuenem huius pagi Margarethā nomine, demortui Vdalrici Ziegler filiolā, miserum habuisse corpus, & tale vt fuerit periculum ne relegaretur ad elephanticos: Vsa est decocto ligni Indici & thermis Badensibus in Marchionatu & in Auwen, verùm nihil profuerunt. Ex vsu autem aquæ Bollensis in potu & balneo, meliùs habet, nec dolores sentit, quales antè habebat, quamuis non sit adhuc in totum curata. Signatum Aug. mensis 22. anno 1595. De hac eadem aliud testimonium vide postea.*

Dolor ventriculi cum angustia & dolore pedum.

17 *Ego Petrus Schleweiss incola in Gruibingen Præfecturæ Göppingensis testor me aliquandiu angustiam ventriculi sensisse & magnos dolores pedum ac aliquoties bibisse aquam ex fonte Sitteren & balneasse pedes in ea, internè iuvit & angustiam minuit, in pedibus mitigatos dolores nondum sensi.*

18 *Ego Thomas Goltz Iudicis substitus in Vveilheim testor hoc meo scripto addito sigillo, quosdam huius loci & Io. Fischer Hesfthans habuisse in tibijs vlcera maligna: 19 & M. Michaelem Osvualdt tonsorem habuisse tibias vlceratas cum pruritu, sicuti etiam 20. Petri Brumwets vxorem 21. & Io. Schoffelt vlcera in tibijs: & 22. vxorem Stephani Fleischmans tibias laborantes mala scabie: & 23. puerum M. Melchioris Daubenschmits per corpus scabiem sanıosam malignam ab humore salso: Illorum quosdam vsos medicamentis conuenientibus: alios balneo Sewbad zu Auwen, sed non permansisse sanos. Verùm*

Scabies maligna.

posto

postquam curarunt adferendam aquam ex fonte Sitteren prope Boll, & in ea balnearunt affusa alia aqua, quia fuisset violentior sola, fatentur profuisse, suos morbos curasse in totum. Si non recurrant eorum morbi & perseueret sanitas, vt hactenus fecit, multum erit laudanda hæc aqua, vtilis in similibus futura morbis. Vxor tamen Petri Bramwers & Io. Schöffelten dicunt nihil sibi profuisse. Scriptum 1595. Sept. 22.

24 *Ego Maria Steinbechen ex Gundelfingen testor me ante quinquennium cœpisse laborare vlcere tibiæ & vsam operâ chirurgorum per quindecim septimanas: qui tamen non potuerunt me curare. Hoc anno magnos passa sum dolores, ita vt dies noctesque non quiescerem: Tibiam demonstraui Præfecto pagi in Boll & tribus Iudicibus, Marco Mayer, Adamo Heiden, & Georgio Fischer, qui viderunt quàm misera fuerim, exoriata erat mihi tibia vsq; ad genu, nec poteram ambulare. Sed Dei beneficio & vsu aquæ noui fontis Bollensis dicti Sitterē curata sum. Deum precabor dies noctésq; pro ijs qui mihi hoc Balneū consuluerunt & iuuerunt. Ad confirmationem iam dictorum, rogaui prædictū Præfectum vt apponeret suum sigillum Aug. 4. anno 1595.* Vlcus tibiæ detracta tota cute, dolores ingẽtes, ambulādi impotentia.

25 26 *Nos Michael Kugler ex Eichelberg & Georgius Kubler ex Zebl ambo ex præfectura Kirchensi testamur nos accersiuisse aquam ex nouo fonte Bollensi, & vsos ad vlcera. Ego Michael Kugler accersiui tantum quinque situlas pro balneanda tibia, in qua malum vlcus, quod Dei beneficio statim curatum. Ego Georgius Kubler habui antiquum vlcus in tibia, tibiam laui, quæ statim sanata, ita vt hanc curam meæ tibiæ præferam 50. florenis. ego Georgius Beiringer Præfectus in Zell vt hæc attester, addidi meū sigillū Iulij vltimo 1595.*

27 *Anno 95. sequentes personæ balnearunt in aqua fontis Bollensis asportata, nec fuerunt antè in vllo balneo. Primus Ioh. Bezing adolescens 18. circiter annorum qui à multis annis scabiosus vlceratis tibijs in antienimijs: in totum mundatus est & curatus, vt adhuc in eo videre est.* Vlcera tibię & scabies.

28 *Secunda est vetula 80. fortè annorum Ioh. Kremmers vidua quæ à lōgo tempore malè habuit & dolores magnos in ventre passa est: dum in ea aqua balnearet, maior pars dolorum cessauit & curata est: scire non possumus an sanitas duratura sit.* Ventris dolores.

29 *Vxor Georgij Iacobi Margaretha dicta quinquagenaria circiter, ab aliquot annis difficulter respirans, & cui alij interni defectus, cum balnearet & biberet de fonte Zitteren, & cum adhuc vtitur, meliùs habet, & è domo prodire potest. Supradicta ita se habere testor ego Andreas Bosch præfectus pagi: Iulij mensis 26. anno 1595.* Difficultas respirandi.

30 *Ego Georgius Ziener fusor ferri in Künigsbronn & Itzelbergen testor me ante sex annos ita fuisse combustum in ventre & pedibus vt penè mortuus sim. Verùm Martinus Baur ex Bussenstat adfert mihi aquam ex Boll præfecturæ Göppingensis, quam ab eo emo quatuor cruciferis in singulas mensuras: ea mihi optimè confert. Hoc testimonium dedi in Itzelberg 27. Nouemb. 1595.* Vstio.

Profluuiū ventris.

31 *Ego Martinus Vveinheimer præfectus in Vhingen præfecturæ Göppingensis testor iam nominandas personas indicasse sequentia de fonte Bollensi. Primam, vxorem Bernhardi Vvüsenbeutzen laborasse profluuio ventris per 18. septimanas, ac se existimare Deo ita fauente, curatam aquâ huius fontis.*

32 *Secundam, Margaretham viduam Cosmæ Heiben balneasse in aqua prædicti fontis, & statim profuisse: sed propter hiemen ingruentem non quādiu voluisset balneasse.*

Scabies.

33 *Tertiam, Iacobum Felger fabrum scrimiariū suo puero grauiter ægrotāti à scabie benè profuisse aquam. Hæc vera esse vt confirmentur, ego Præfectus prædictus apposui sigillum meum in Vhingen 2. Decembris mensis 1595.*

Achores.

34 *Ego Michael Vagner senior ciuis in Vvilheim præfecturæ Kirchensis testor filiolum meum habuisse vlceratum caput & fluens sanie, nesciens quomodo posset curari hic affectus, tandem consilio quorundam accersiui aquam ex fonte Sitteren qui est in planitie Bollensi & balneauit semel bisuè in die quotiescunque potuit perferre: quod balneum valdè ei profuit & in totum curauit. Ad prædictorum confirmationem Secretarius vrbis Vvilheim apposuit suū sigillum 28, mensis Nouembris 1595.*

Ventriculi angustia. Nausea. Spirādi difficultas.

35 36 *Ego Sebastianus Gesheidlin ciuis in Ebersbach præfecturæ Göppingensis testor me cū vxore aliquādiu vexatos fuisse angustiâ vētriculi* (des hertz) *& nausea & difficultate spirandi, sed facultates nostræ non erant tantæ vt medicamentis possemus vti. Quamobrem audito rumore de fonte, quem Illust. E. Cel. Vvirt. curabat adornare in planitie Boll, qui vtilis esset in multis affectibus, ego cum vxore adiimus & bibimus: quo facto, Deo sit laus, statim meliùs ambo habuimus. Habebam etiam à paucis annis vlcus in tibia quod crescebat: Verùm statim post vsum huius aquæ, cessauit crescere & partim curatum. Vt hæc confirmentur, rogaui Vitum Schnarenberger Præfectum vt apponeret huic scripto suum sigillum vltima mensis Nouembris 1595,*

Tibiæ vlcus

37 *Ego Georgius Nestel præfectus Künigsbronnensis in Steinheim* auff dem Aulbuch. *Testor hoc meo scripto Martinum Baur ex cœnobio Anhausen morantem in Gussenstatt, attulisse aquam ex Boll & multis personis hîc & alibi in viciniâ vendidisse pro potu & aliis vsibus, & eum me rogasse vt audirem eos qui hac aqua vsi essent vt eorum dicta scripto committerem: quod feci, & audiui ex Vvaldburga vxore Barthol. Vvannen figuli quæ bibit prædictam aquam ob laßitudinem membrorum, profuisse & membra non ita grauia, se, si poßit, sequente vere, susque deque habitis sumptibus, statuisse ad fontem se conferre & balneare, quia existimet benè purgare.*

Lassitudo mēbrorū.

38 *Secundò ex Barbara vidua Michaelis Mehrlins aurigæ ex Mercklingen audiui se bibisse aquam propter colicam & dolorem ventris, & vsam pro tumore, pruritu & scabie tibiarum: se autem non solum curatam à scabie & doloribus: sed sanitatem adhuc perseuerare.*

Colicus dolor ventris Tibiarū tumor, pruritus & scabies.

39 *Tertiò audiui ex Magdalena Stephani Lutzii vxore, filiam diu laborasse*

vlcerato & fluente capite, cui benè confert hæc aqua, & quamuis mensura Vvirtembergica vendatur pluris quàm batzione, ea vti adhuc. Ipsemet audiui ex quibusdam hanc aquam sibi prodesse. Vt hæc confirmentur, ego prædictus Præfectus apposui sigillum meum 26. Nouembris mensis 1595.

Vlcera capitis, fortè achores.

40 *Ego Ioh. Kock Rechenbergensis præfectus in pago.* 41 *Groß Eyslingen testor apposito meo sigillo anno 1595. coram me comparuisse Matthæum Bundschulen & Annam vxorem Georgij Schirchans, indicasse se accersiuisse aquam ex nouo fonte Bollensi propter morbos, illum bibisse, hanc autem caput lauisse, & vtrisque optimè profuisse.*

42 *Ego Bartholomeus Spingler ciuis pagi Ebersbach præfecturæ Göppingensis testor vxorem meam ab anno, brachijs & cruribus penè impotentem fuisse, ac spirandi difficultate laborasse, ac me aliquoties aquam ex nouo fonte Bollensi potui dedisse, vnde spiratio facilior, & artus Dei fauore roborati, ac profuisse hanc aquam dum bibit. In huius rei testimonium rogaui Vitum Schnarenberger Præfectum im Ebersbach vt apprimeret huic scripto suum sigillum 4 Decembris 1595.*

Brachiorũ & crurum impotentia. Asthma.

43 *Ioh. Dietz ex Ditzenbach filius Georgij Dietzen profitetur à quatuor circiter annis cum apud fabrum scriniarium artis tyrocinia poneret, in Deckingen, sibi ortam malignam scabiem fluentem in capite & brachijs, quâ miserè vexatum vltra triennium, paßim remedia interim quæsiuisse: Postea se fuisse per aliquot septimanas apud Chirurgum Göppingensem, sed sine fructu: Tandem verò ex consilio Doctorum Medicinæ se iuisse ad thermas Vvildbad in Vvembding Ducatus Bauariæ, quæ ita curarunt, vt planè mundatus fuerit: sed non diu perseuerasse sanitatem. Postremò se potu & lauacro recens repertæ aquæ in Boll Ducatus Vvirtembergici, Dei beneficio, sanum euasisse, & iam ab octo septimanis sanitatem continuare.*

Scabies fluida, maligna capitis & brachiorũ.

44 *Ego Ioh. Vlhemius Pastor in Heldensingen præfecturæ Heydelheim in Ducatu Vvirtembergico testor sine fraude meo scripto obsignato Martinum Baur commorantem in Cussenstatt Cœnobij Anhausen aduexisse aliquandiu aquam nuper reperti fontis in Boll, batione in mensuras singulas æstimatam, quæ insignis, salubris, & bona Dei creatura est, nullo modo spernenda: quin agendæ gratiæ primò misericordi Deo, deinde Ill. nostro Principi ac Domino, qui vt pater patriæ, Deo ita fauente, inuenerit in principio sui regiminis mirum hunc fontem, magnis sumptibus in gratiam & commodum duntaxat miserè afflictorum, ex innata benignitate curarit excolendum. Hæc enim aqua, quantum hactenus expertus sum in meo corpore & membris, multas habet præclaras & salutares dotes, ita vt qui cognoscunt & ritè vtuntur, semper Deo gratias eius nomine, agere meritò debeant. Existimo, quod si facultates meæ ferrent vt adire fontem, bibere & lauare in eo possem, fore vt, Deo suo fauore aßistente, sanus euaderem. Scriptum 6. Octobris 1595.*

Laus aquæ Bollensis.

Historiæ anni 1596, quas eadem simplicitate damus,

CHAP. XIX.

Dolor aurium.

1 *Ego Fridericus Beringer Præfectus in Durnauv chirographo & sigillo meo anno 1595. Iunij 25. testor tres ex mea præfectura, aqua fontis Bollensis vsos, quã aduehendam curabant, sanitati restitutos. Primus fuit vir grandæuus, oculorum & aurium doloribus diu obnoxius, medicamenta varia frustra sæpe expertus, vsu aquæ Bollensis, Dei beneficio, doloribus liberatus est, sic vt centum florenis non redimeret.*

Artuum debilitas.

2 *Alter vir senex iam diu contractos & debiles habet artus, atq; is quidem nõdum balnei præscriptum absoluit vsum: eius tamen vsu roborari sentit membra.*

Vlcera magna tibiarũ.

3 *Tertia est vetula, cui tantũnõ sublata omnis ingrediẽdi facultas, quòd magnis scateret crus vlceribus, Bollensis aquæ balneo curata est sic vt ambulare poßit.*

Tumor tibiæ vlceratus.

4 *Ego Io. Adam Laiblin ex Zell sub Eichelberg præfecturæ* Kirchensis, *profiteor hoc chirographo obsignato, anno 1596. Iulij 25. testimoniũ mihi perhibente Georgio Beringer præfecto in Zell, me à 20. circiter annis magno tibiæ tumore vlcerato diu vexatum, multa, sed frustra, tentasse remedia. Verum ex quo tibiæ solum partem affectã in nouo fonte Bollensi balneaui, tantũ profeci, vt 50. florenis nõ redimerẽ, si domus exædificata esset, præferrẽ alijs balneis Il. E C. balneum.*

5 *Ego Petrus Burckard ex Elmendingen hospes ad Solẽ testor hoc meo scripto ex Boll 25. Iunij anno 96. me vsum pro meo diuturno affectu, balneo aquæ Bollensis per 10. dies, quod me multum iuuat: bona mihi spes, me Deo fauente, huius balnei vsu breui in totum liberatum iri à meo morbo.*

Scabies maligna ab vtero matris.

6 *Ego Vdalricus Enß Præfectus in Schlatt præfecturæ Göppingensis testor Chirographo parochi nostri Vrbani* Keßler *subscripto 25. Iunij anno 1595. Margaritham filiolã Vdalrici Zieglers scriniarij defuncti (quæ hîc moratur) lauisse in aqua fontis Boll: quæ prodierit ex vtero matris scabie humida affecta & ita sordida vt penè ab hominum consortio fuerit separata. Balnearat olim in Auwẽ in Sewbad & in thermis Badẽsibus Marchionũ. Vsa est etiã Göppingæ decocto ligni Guaiaci: verũ omnia frustra: Nunc optimè valet. Ait se antè balneũ nõ potuisse quadrãtẽ horæ dormire: sed prima die, qua balneasset tota nocte dormiuisse. An sit sana permansura tempus docebit. De hac viae aliud testimoniũ antè.*

Scabies humida maligna aspectu horrẽda nõ sine elephãtiasis suspicione.

7 *Ego Elizabetha vxor Io. Dollen in Gruibingen testor me, cum corpus per biennium scabie maligna fluente, horrenda visu obsessum esset, præterito anno à chirurgis deputatis fuisse inspectam, & ab illorum vno in totum curatã fuisse: sed mox repullulante morbo, eodem iterum miseriæ redijsse. Iam verò post balneum quatuor septimanarum ex aqua fontis Bollensis Sitteren, in totum curata sum adeò vt licèt iam sint 4. septimanæ ex quo destiti à balneo, non animaduertam signum vllũ recrudescentis morbi. Quamobrem ago gratias, primò Deo, dein eis omnibus qui mihi consuluerunt & iuuerunt ad hoc balneum. Vt constet hæc vera, Andreas Schiesser Præfectus pagi in Gruibingen me rogante apposuit suum sigillum 25. Iunij 1596.*

8 *Ego Georgius Milt ex Zell præfecturæ Kirchensis testor, me valdè scabiosum accersiuisse aquam noui fontis Bollensis, balneasse tantum in media aquæ parte, quæ mihi profuit: Statui, si Deo fauente absoluatur ædificium quod Il. E. C. curat ædificandum, statim adire fontem, & in eius aqua sola balneare, hoc vt constet ita se habere, compellaui Georgium Beringer Præfectum pagi vt apponeret suum sigillum, mensis Junij 25. anno 1596.* Scabies.

9 *Illustrißime Princeps: Pauperculus ille Vitus Hummel abominabili morbo affectus, vt planè pro elephantico habitus eoq; nomine, chirurgi examini subiectus sit, quam tamen non elephantiasin, sed scabiem malignā esse aiebat, rediit tandē ex fonte Bollēsi cuius balneo vsus est. Corpus accuratè inspexi & lustraui quod planè mundū cōperi: id quod & ipse quoq; fatebatur & placida quiete frui sic ut, licèt pauperie prematur nolit 200. florenis redimere, &c. Datum Grosse Geißlingē 25. mēsis Iunij 1596. Subscripsi Vdal. Rid Vvirtē. Præfectus dicti pagi.* Scabies maligna, elephantiasis putata.

10 *Ego Michael Gantz Præfectus cū Iudicibus Marco Mayer. Adamo Heidē & Georgio Leiblin testamur 9. Aprilis Martinum Schmidt Seuchtingē laborātem peßimo affectu (scabiē malignam intelligo) multa insumpsisse in chirurgos sed frustra: Medicinæ autem Doctorē Vlmensium consuluisse vt iret in nouum salubre balneum Il. nostri Principis, quod fecit. Quamuis autem tantum per 14. dies balnearit, in totum curatus est & mundatus, ac alacriter disceßit.* Scabies maligna.

11 *Item 12. Aprilis Michaelem Klintz ex Vvetersbach prope Durlachū miserrimū diuersis vsum balneis, diuersos consuluisse chirurgos: verùm non potuisse curari, qui nisi balneaßet in balneo Il. E. C. coactus fuisset ire in Nosocomium. discessurus pluris æstimabat lotionem quàm 50. thaleris.* Scabies maligna.

12 *Item 8. Maij Io. Funsch ex Mögling dixisse per plures annos coactum fuisse duobus fulcris innixum ingredi, nullū medicum aut chirurgū Augustæ potuisse subuenire, adeoq; monitum fuisse nulla conferre posse remedia, quare ab eorū administratione desisteret, neq; chirurgis ampliùs vteretur: postea verò consultū, vt in salutare balneum Bollense profectus, experiretur tandem an iuuari posset. Post quam autem dies 12. balneasset, tantum profecit vt restituto gressu consecratos grallos anathema in templo Dotzburgense poneret: reuersusq; est perinde ac si nullo morbo laborasset.* Crurum impotentia.

13 *Item 10 Maij, Michaelem Laupp ex Falckenburg, cruribus insigniter tumentibus, grallis similiter nixum, medicamenta irrito effectu expertum, ex huius balnei vsu domum, profligato morbo iuisse.* Tumor tibiarum ingressus abolitus.

14 *Item 6. Maij mulierē ex Ettlingen, per plures annos ita miserè affectā vt nec manus nec pedes posset mouere, peßimoq; morbo (intelligo vlcera maligna) nec chirurgis nec balneis medicabili laborasse: tandē Chirurgorū consilio in balneū Il. E. C. profectā sanatam. 15 Itē 6 Aprilis, mulierem ex Laupt curru vectā, diu chirurgorū inutilem operam expertam, eorumdem tandem consilio ex vsu balnei Il. E. C. mundatam pristinæ sanitati restitutā. 16 Item 18. Maij, pueros duos Leonardi Henthill Heilfsteinensis, diu frustra egregijs Chirurgis vsos, balneo curatos.* Vlcera maligna, manuum & pedum impotentia. Scabies, crurum impotentia.

Scabies maligna.

17 *Item Vrsulam mulierem ex Gmindt, ita scabie afflictam, vt ad elephantiacos esset releganda, vsu balnei per 10. duntaxat dies, egregiè curatã: quòd multis pecunijs non redimeret. Supradicta vera esse ego Michael Gantz appressò sigillo meo confirmo Scriptum mensis Iunij 28. anno 1595.*

Brachiorũ & tibiarum cõtractura.

18 *Ego Io. Greuier scriniarius in Zell sub Michelberg Praefecturae Kirchensis testor Deum omnipotentem, ante tres circiter anni quadrantes me correptum in Hagenaw graui febre quotidiana: quae me reddidit contractum & impotentem brachijs & cruribus, ita vt manum ori admouere non possem nec exercere artẽ meam: curru autem me vehendum curaße in nouum balneũ Boll, quod ita mihi profuit Dei beneficio, vt ad pristinam redierim sanitatem: pro qua, dum viuam, agam gratias Deo & Clementiß. nostro Principi & patri patriae. Veritatis confirmandae ergò, ego Georgius Beringer Praefectus pagi in Zell, adhibui huic scripto sigillum meum 6. Augusti. 1596.*

Asthma.

19 *Ego Michael Vveber ludimoderator in Zell sub Eichelberg praefecturae Kirchensis testor Deum, vxorem* Kunigundam *à 5. vel 6. annis afflictam graui morbo, ita vt continua tußi grauiter vexata fuerit, & iam à biennio trienniouè multa passam, ita vt medici de ea desperarint: vsque adeo erat breuis anhelitus, vt ipsa & plerique existimarent illam suffocatum iri; qua de causâ vsam nouo fonte in Boll per 4. dies in cibis, potu & balneo mirifico succeßu. Si Deo fauente absolutum fuerit aedificium Ill. E. C. & si Deus superstitem esse voluerit, iterum meliùs inuiset, quia spero illam pristinam sanitatem recuperaturam. Vt haec confirmem, apposui sigillum meum Augusti mensis 6. anno 1596.*

Brachij dolor.

20 *Ego Vdalricus Vertz ex Ober Machtal ad Danubium Episcopatus Constãtiensis testor me diu habuisse magnum dolorem in brachio sinistro & ferè vltra 50. florenos expendisse in medicamenta, quae nihil iuuerunt in deterius abeunte morbo, adeo vt de amputatione deliberarim, Verùm ex quo balneaui per 4. septimanas in nouo balneo Bollensi, ita res bene ceßit, vt, Deo sit laus, nullũ ampliùs sentiam dolorem. Scriptum in Boll 12. Augusti 1595.*

Imbecillitas totius corporis cum tumore genitalium & hernia.

21 *Ego Iacobus Straus incola Gruibingensis, praefecturae Gôppingensis testor hoc scripto me ante 16. vel 17. annos incidisse in morbum, & per medium annũ grauiter decubuisse, ac multas mihi potiones propinatas quae nihil profuerunt, Cum coepi paulò meliùs habere & paululum ambulare, vsus sum thermis Badendensibus Marchionum, idq; secundo anno à morbo: balneaui autem 14. diebus sine vllo effectu. Tertio anno me cõmisi curae balneatoris Bollensis, sed successu nullo. In ea cura incidi in herniam, ob vehementes purgationes, vti existimo. Balneaui per 14. dies in thermis ferinis: sed nec iuuerunt. Diaconus hîc per 14. dies quaedam medicamenta pari successu exhibuit. Postremò balneaui in aqua fontis Bollensis Sitteren per duas septimanas & semissem, quae mihi optimè profuit, sedauit dolores, ita vt valdè subleuatus sim, tumorem genitalium abstulit, remanente tamen hernia. Quandoquidem (Deo omnipotenti sit laus) ita*

succeßit

successit balneũ hoc, statui sequenti anno Deo fauente eo iterum vti. Vt constet hæc esse vera Andreas Schiesser præfectus pagi in Gruibingen, me interpellante, apposuit suum sigillum Aug. 25. Anno 96.

22 *Ego M. Ioh. Heinricus Concionator in Zell sub Eichelberg testor me anno præterito 1595. filiolum vnum ex gemellis, ætatis circiter trium mensium balneasse in aqua fontis Bollensis dicti Zitteren per 12. dies, sperantem futurum vt curaretur à scabie capitis fluida: balneum tamen fuit pro eo violentius, licèt communem aquam multam admiscerem. Cum autem infans imbecillior redderetur, destiti balneare & in hac & in communi aqua, per aliquot septimanas: Intra tres menses cessauit scabies fluida capitis. Scriptum in Zell 25. Iunij anno 1596.* Vlcera capitis manãtia, in infãte trimestri.

23 *Ego Michael Ganß præfectus pagi in Boll cum quibusdam assessoribus meis testamur 6. Augusti corã nobis Vvolffgangũ Schuler ex Newstatt indicasse se laborasse scabie fluente & valdè humida, nec potuisse tantillũ iuuare Chirurgos aut balnea, excepto salubri balneo in Boll. Aug. 26. 1596.* Scabies humida.

24 *Item testamur Heinricum Schreiber ex Büningen nobis indicasse se affectum in tibia maligno vlcere, quod non potuerint curare Chirurgi: Verùm salubri balneo Bollensi persanatum. Aug. 29. 1596.* Tibiæ vlcus malignum.

Historiæ, & obseruationes de ægrotis, & alijs animaduersis ab Ioanne Bauhino Doctore Medico, in Boll, vbi Balneum nouum institutum, ad fontem Mirabilem, mandãte Illust. suo principe, Domino Friderico, Duce Vvirtemb. & Teck: Comite Montisbel. ab anni 1596. Aug. 24. vsque ad Octob.

CAP. XX.

1 *GEorgius Gerheuser ex Dinckelspiel, duobus milliarib. vltra Elwãgẽ, 38. annorum rusticus, à tribus annis ægrotãs, in poplitibus vexari cœpit scabie furfurosa, maligna, vrente, & vehementer pruriente, potissimum noctu & cum calet, per totum corpus affligitur, nec ipsum etiam caput immune est & facies tota, interdum fluit ichor luteus, de alijs affectibus non conqueritur: Vxorem, & liberos benè habere ait, hoc anno inunctus fuit hydrargyro per quatuordecim dies in hypocausto calido, vnde omnia deteriora: hodie primùm venit cupiens balneare. Verùm deficiente loco, coactus est, sicuti & alij multi, discedere. Existimo illum laborasse lepra græcorum: & balneum multum ei profuturum, sicuti profuit alijs multis, similibus morbis laborantibus.* Scabies furfurosa, maligna, siue lepra græcorum. Inunctio cũ hydrargiro.

2 *Barbara Geyger ex Sueuiæ Münchingen quatuor milliaribus, vltra Augustam Vindelicorum, annorum 25. maritata, & liberos suscepit: ab anno cœpit laborare dolore in planta pedis: à tribus mensibus ortum vlcus circa malleolum, & internam pedis partem: per sex septimanas cruciata est maximis doloribus, nec dormire poterat, fluebat potissimum aqua crocea, puris parum: causam morbi pu-* Tumor pedis cum vlceribus, & magnis doloribus.

tat luxationem, quæ ambulando obtigisset. Cum à quatuordecim diebus inciperet balneare tantus erat tumor totius iuncturæ pedis, vt ambabus manibus amplecti non posset, cum magnis doloribus, qui cessarunt diminuto etiã tumore, ad duas partes: mouet articulum cum ante balneum non posset: fluit quidem adhuc aqua vel liquor per vlcera, sed balneat etiamnum: Octobris 18. vidi vlcera quæ parua admodum, nec fluunt, vt antè, nec doloribus vrgent, vt aliâs, ambulat lubenter. Diutius lauaret si non obstaret paupertas: puto adesse ossium cariem: quicquid sit, multũ illam iuuit & iuuat aqua medicata fontis Admirabilis.

Tumores cũ doloribus in pede, brachio, manu, facie, ac oculi angulo, cum scrophulis.

3 Anna Schedererin ex Heidnenheim vrbe VVirtembergica, quæ hinc distat quatuor miliaribus, annorum circiter 20. non maritata, habet tumores circa pollicem dextri pedis & secundum digitum: vbi vlcera fistulosa. Primò laborauit tumore sub poplite cum vlceribus profundis, à quo tumore curata fuit. Habet vlcera in brachio dextro, extrema manu, & cubito, quem flectere non potest: quorum quædam curata, quædam non: adest tumor in collo in dextra parte, vbi scrophulæ: iuxta tempora sunt quædam vlcera partim curata, partim non, & in oculi dextri angulo externo etiam vlcus. A quatuor circiter annis cœpit morbus: ait exposuisse plus quàm centum florenos patrem aurigam nec potuisse curari: Licet à triduo tantum cœperit balneare, dicit conferre balneum, & vlcera incipere curari. Octobris 3. prædicta ad me venit, indicans se statuisse discedere & desistere à lotione, se in toto corpore curatam, remanente tamen iunctura olecrani immobili, quod non mirum, cum antiquatus sit morbus, nec vlla diligentia adhibita pro tentanda extensione cubiti.

Tumores & vlcera pruriginosa cũ magnis doloribus in tibiis & manibus.

4 Barbara Strobelerin Augustana quæ adest cum marito 30. annorum, liberos habuit: per octo annos maximos passa est dolores in tibia: primò nihil apparebat, nec quicquam eorum quæ applicabantur conferebat. A biennio cœpit oriri tumor ad magnitudinem oui anserini, qui durauit per annum cum doloribus continuis. Tandem eo aperto fluxit aqua citrina vrens & pruritum excitans: aderat vlcus profunditatis trium digitorum, quod ea decumbente à partu curatum, idque à tredecim septimanis. Dum vtero gestaret, intumuit admodum tibia vsque ad genu cum summo rubore & pruritu ac excoriatione. In altera tibia etiam rubor & pruritus ac tumor fiuens, qui cœpit cum fistula, verùm tandem curatus. Habuit quoque tales tumores, excoriationes & pruritus in vtraq; manu. Dies agitur 12. ex quo balneat & optimè habet, tertio statim die à balnei vsu emolumentum sensit, ac cœpit ambulare, cum ne calceos quidem posset inducere: dolores cessarunt qui antè erant continui vt non posset quiescere. Dicit se per totam vitam laudaturam Deum quòd se liberarit à tantis doloribus, & celebraturam quocunque veniet hanc aquam & balneum Bollense.

Cancer mamillæ.

5 VValdburgæ vxori Ioh. Georgij Bock figuli ex VVirtembergico pago Gruibingen 35. annorum quinquies enixæ, ab anno vno & semisse dum lactaret ortum erysipelas: (lactarat per 12. septimanas) ab erysipelate ortus tumor durus prope papillam, ita vt non potuerit mamillam illam sugendam præbere, alterâ

autem lactauit ad annum: ex papilla fissa fluebat ichor luteus. Annus est cum Chirurgus ex vrbe vicina corrosiuam aquā viridem apposuit, quæ magnos creauit dolores: Is per 4. vel. 5 septimanas tractauit eam, volebat omnia septicis consumere: interea ea imprægnata, cum gestasset vtero per 35. circiter septimanas, abortiuit. Exortus enim erat magnus tumor circa scapulam, talis vt nec stare nec ambulare posset nisi sustentata, nec brachium ori applicare per 7. hebdomādas, valdè imbecillis: Tandem erupit supra costas tumor cum tribus foraminibus effluxitque humor, vt putat, ad duas mensuras, maſs *vt vocant, vini consuetas in Ducatu, quæ magnæ: Conualuit tandem ab eo tumore & foraminibus. Mensis Februarij principio incipit apparere tuberculum cœruleū, perinde ac si sanguine distenderetur, quod exulceratum tandem ambulando, vt putat, ex affrictu vestium, ita vt effluxerit sanguis: Adijt tunc medicastram in Nelingue, quæ sanitatem pollicita, per septimanas decem tractauit, dabat herbas in potu, cataplasmata applicabat, nihilominus auctus morbus, interim ad brachium se extendit. Postremò cum medicamentis nihil proficeret, iniunxit illi vt ferri genera nouem sumeret, & vnūquodq; affricaret affectui in nomine patris, filij, & S. Sancti, sic curatum iri. Cum hæc frustra fecisset, adijt etiam mulierem in Richenbach, quæ, vt prior, pollicita sanitatem, negabat cancrum esse, linteolis in quandam aquam limpidam immersis lauabat, & applicabat vnguenta, medicata est per 15. circiter septimanas: tandem indicauit se nō posse curare. Aug. 25. venit ad fontem Bollensem. Macilenta est: cancer magnus multis locis vlceratus: marito indicaui nullam mihi curationis spem: posse tamen eam experiri an balneū sit mitigaturum dolores, quibus vexatur. Sept. 30. venit ad me & demonstrauit mamillam: Violenter balneauit ad horas quotidie 8. Copiosè bibit calidam & frigidam: vtebatur etiam cum cibis: Secundo die superuenit eruptio, quam vocant, & rubor non magnus. Postquā ad tres septimanas lauisset & bibisset, ortū alui profluuium vehemens quod per dies quatuor durauit: putabat se moriturā: plusquàm vigesies aluus noctu mouebatur: ab octiduo iterū erupit copiosius, nec ab exulceratione & rubore adhuc in totum conualuit: Verùm propter frigus quod facilè sentit & percipit, non balneat diu. Cogitur enim à balneo longè ire in pagum: Cancer creuit, se extendens cum callosis labris, profundior est, sicut sub axilla habet: dolores quidem tantos non sentit, & præsertim noctu, nec etiam in brachio quantos sentiebat. Non mirum irritatū cancrum violentiori balnei vsu: Si moderatius balneasset, nec tamdiu hæsisset in solio, plus existimari potest illā reportaturam fuisse emolumenti. Ei consului ne cuiquam fidat sanitatem promittenti, vt solent impostores, & pecuniarū emunctores: Deo totū negotium cōmendaret: Cancrū quotidiè bis ablueret aquâ medicata Bollensi vel aliâ cū melle calefacta: sequēs emplastrū curaret parandum, ita vt facilè poßit extendi supra pellem caninam ex qua faciat duo emplastra alternatim mutanda. Recipe Vng. diapomph. lib. 1. Plumbi vsti ℥. 1. Ceræ & Olei rosati q. s. addita terebinthina fiat ceratum. Augusti 23.*

Medicastra.

Superstitiosum remedium medicastræ.

Vlcus magnum tibiæ cũ magnis doloribus in muliere quæ non poterat ambulare.

6 *Agnes vxor Ioh. Hincken ex Gruibingen annorum 30 aliquoties enixa, ab octo annis vexatur vlcere magno in interna parte tibiæ sinistræ: quod ei accidit à partu, dum adhuc hæreret lecto: abortiuerat & 12 septimanis ante tempus pepererat: 15 autem diebus ante abortum circa coxendicem dolorem sensit ingentem, vrentem, ita vt non posset in lecto manere, nec crus mouere, sed retractum haberet. Perpessa est dolorem post partum etiam per sex septimanas: tandem descendit in tibiam rubor à genu ad pedem vsque ardens: applicito tunc pane cum vino albo superuenere paruæ pustulæ, postea paruum foramen, ex quo tandem magnum vlcus: Consuluit rusticum qui applicauit vnguentum quoddam per tres septimanas, quod non tantùm non profuit, vt vlcus sit auctũ: Adijt deinde Chirurgum, qui aperuit saphenã & apposuit emplastra per sex septimanas: à chirurgo penè curata, reuersa est domum vbi mansit per mensem. Verùm cum iterum augeretur vlcus, ad Chirurgum reuersa apud illum morata est per 9. septimanas, donec diminutum vlcus: Interea imprægnata gestauit ad sextum mensem. Dum à partu decumberet, chirurgus iterum illam inuisit & paruum vlcus voluit corrosiuis curare: vndè mirè auctum est. Postea vsa est operâ Sacerdotis per annum, sed frustra, vti etiam aliorum. A quinque septimanis balneat. Spacio sex annorum non prodijt domo nec poterat ambulare: iam venit ipsamet ad fontem: dolores etiam dies noctesque cruciabant: multò latius & profundius erat vlcus, vt penè posset pugnum imponere: erat quoque sordidum: nunc potest ambulare, leuiores habet dolores, vlcus repletur carne, & mundum est: Iam ab anno curabat sibi adferri aquam, quia magnum sentiebat ex ea emolumentum: Nobilem vocat aquam: persuadet sibi, si per facultates omnia suppeterent necessaria, se curatum iri. Statuit adhuc per quatuor septimanas balneare.*

Corrosiuorum nocumentum. Medicaster Sacerdos.

Morbus accedens ad Elephantiasin siue lepram.

7 *Mulier quædam existimata à quibusdam elephantica siue leprosa (cui articulus pollicis in manu exciderat, facies deformis & tuberculis plena) habuit aliquando pedes insensibiles, vsa est aquis acidis, quas ait ventriculum non posse ferre: Fuit etiam in ferinis Thermis: dicit se sæpe sentire frigus, deinde calorem: conqueritur de crebro capitis dolore & desluxionibus: à 15. diebus balneat ad horas octo: balneat quidem consilio D. Doctoris Gabelchower, sed diutius quàm ipse præscripsit. Ideoque rogaui vt à tam longa mora in solio, potissimum propter dolorem capitis, quem sentit, desisteret. Præterea hanc purgationem curaui illi parandã Göppingæ, quã sumpsit Aug. 28. Recipe herb. Veronicæ, Borraginis, Cichorij, Fumi terræ, Agrimoniæ. ana m. ß. Omnium fiat decoctio pro vna dosi: coctis & his abiectis, iuri addantur Senæ, Polypodij ana ℥ ß. Sem. feniculi contusi ʒ.1. bulliant simul, postea exprimantur: In expreßione ebulliant Agarici troch: ʒ.1. Epithymi ʒ. 1. ß Trium florum cord. ana p.1. in col. dissolue syr. ros lax. ℥.1. ß. Misce fiat potus. Hæc purgatio satis commodè & copiosè euacuauit. Ante vsum balnei D. D. Oswaldus conuenientem sequentem potionem præscripserat Maij 27. Recipe Rad. Polypodij querc. ℥.1. Cichorij ℥ ß Lapatij acuti ʒ ij. Enulæ ʒ.ij. Sũmit. Lupulorũ, Fumi terræ, scabiosæ, Veronicæ ana m.1. Flor. Borraginis,*

Buglossæ

Buglossæ ana m.ß.liqui. rasæ ℥.ß.Passul.ping.℥.1 ß.infundātur in lib.iij. aquæ fontis. Stent per noctem loco calido benè tecta, mane facta ebullitione ad cōsumptionem quartæ partis colentur. In colatura infunde fol. Senæ sine stipitibus ℥.1.ß.Rad.Ellebori nigri, Epithymi, Agarici albiß. ana ʒ ij. Stent per horas 6. loco calido, deinde vnica ebullitione leuiter bulliant & colentur per setaceum sine expreßione. Recipe Colaturæ ℥.iij.Syr.de fumo terræ ℥.1.de epithymo ℥ ß. misce pro vno & sic pro aliis duobus. Sumpsit continuis tribus diebus, deinde detraxit sanguinem. D.D.Ioh.Exlinus Medicus insignis Göppingæ Augusti mensis 10.doctè hoc medicamentum præscripsit. Recipe rad. Cichorij ʒ.ij. Cymarum Absinthij p.1.ß.fol. Senæ ʒ.vj. Agarici troch. Turpeti ana ʒ.v. Rad. Elleb. nigri præp ℈.1. Passul.℥.1.zz.℈.ij. Cinnam.℈ ß. Cort. citrij ℈. ij. Contundantur & in syndone R. pugillus signatus Laxier bündtlin in ein halb maſs weins. *Dominus Exlinus Augusti 14.hanc etiam præscripsit potionem. Recipe rad. polypodij ℥ ß.fol. Senæ ʒ.v. Agar.troch.ʒ.1. Rhab.elect.ʒ.ß.passularum ℥.1. Seminis anisi, feniculi ana ʒ.ß.zz.ʒ 1.Cinnam. nucis mosch. Caryophyl. ana ℈.ß. coque in aqua font.q.s.ad dimidium. Recipe iuris expreßi ℥.iij. Syr.ros.sol.℥.1. ß.aquæ cinnam.ʒ.ß.misce fiat purgatio.*

Conquerebatur tūc de dolore ventriculi. Cæterum ex potu calidæ aquæ mane ac frigidæ cum sitit, benè habet: Ex naribus melius solitò spirat & ait in mamillis quædam tubercula prodijsse, quæ curata sint. Oculus sinister rubebat, sed meliùs nunc habet: dolor capitis à purgatione remisit. Laudat hoc balneum adeo vt statuerit sequenti anno redire, nunc propter frigus & loci nondum adornati incommoditatem, diutius balneare non potest. Vlcusculum habet in naribus quia scalpit: Præscripsi illi vnguētum diapompholygos cum plumbo vsto & oleo rosato. Non dubito quin plus profuisset, si non tam violenter balneasset, & tempore commodiore.

8 *Iacobus Hoffmeister ex Boll annorum circiter 72. dicit ante 50. annos patrem laborasse maligna scabie, quæ cum nō potuisset curari balneo aquarum acidarum, curasse parandum tuguriolum ad fontem Zitteren, & cacabum eò detulisse ad calefaciendum aquam, ibique balneasse & curatum: Se præterea alios vidisse ibi balneantes, quibus eadem profuerit: Vidisse quoque bibentes & cum emolumento.* 9 *Se etiam, cum ante 15. dies sentiret dolores circa præcordia, bibisse aquam & subitò meliùs habuisse.* 10 *Ante triennium, cum ei oborti essent magni dolores in tibia dextra, vt exclamare cogeretur, licèt nihil appareret, balneatorē apposuisse cucurbitulam cum scacrificatione, inde ortum pruritū & vlcera, ex quibus fluebat ichor luteus, tentasse balneatorem per medium annum ea curare: sed frustra adhibuisse remedia: Tandem eo relicto adijsse alium Chirurgum, qui sanitatem promitteret: verùm eius medicamenta magis exulcerasse: per duos annos ijs vlceribus vexatum. Tandē accersita aqua ex fonte Zitteren, postquàm in calefacta balneasset tibiam ac lauisset sexies vel septies, curatum iam ab anno. Sane apparent vestigia magnorum vlcerum. Idem dicit fontē*

Scabies maligna.

Dolor præcordiorum.

Dolor tibiæ cum vlceribus.

Zitteren à triginta circiter annis fornice inclusum, cum ante esset sepe tantum c re imdatus: Pecora auidè appetiuisse aquam, nec non etiam feras. Eadem etiã testatur. 11 Iacobus Schiltkopff Bollensis 80. circiter annos natus.

Zitterẽ quãdo fornice obseptus.

Pecora & feras appetere aquam fontis Zitteren.

12 Blasius Shilkopff Bollensis, septuagenarius plus minùs & qui natus est, vt ait, tempore belli rustici: narrat se à patre intellexisse quendam, cui tibia esset insensilis, parato tuguriolo ad fontem Zitteren, & delato eò cacabo ad calefaciendum aquam, balneasse & curatum fuisse.

13 Henricus Eychelen Bollensis annorum circiter 60 dicit se habuisse consanguineum, vocatum Beck Enderle ante annos circiter 30. qui cùm haberet vlcera in altera tibia, & frustra varijs vsus esset remedijs, tandem vsu fontis Zitteren sit curatus. Fons olim, vt ait, non erat profundus: sed in plano sursum per durum saxum violenter aquas eiaculabatur, & copiosè vt exhauriri facilè non posset: supra innatasse aliquid ex cœruleo albicantis, quod manu ab ijs qui bibere volebant despumabatur, bibisse autem multos, saporem fuisse veluti ouorum coctorum, assumptam etiam tales ructus excitasse, odorem fuisse veluti sulphuris. Quia autem animalia magna cum auiditate eò accurrerent, vtile visum fuisse, fornice tegere: tectum etiam fontem habuisse: in superficie aquæ quiddam cœrulei, subtus autem limpidam fuisse: Profluentes aquas etiam efflorescentiam sub cœruleam veluti florem lactis, Milchraum vocant, innatantem secum detulisse, vt ipsi & alij etiam narrant: odor eminus sentiebatur.

Vlcera tibiæ.

Fons Zitteren qualis olim fuerit, quisq; eius situs.

Sapor & odor fontis.

Animalia appetebant fontem Zitteren.

14 Ioh. Klein ex Birckfeld Neoburgicæ præfecturæ annorum 25. ante biennium decidit ex arbore in pedes, vnde decubuit per septem hebdomadas: non poterat surgere, nec dorsum flectere, nec mouere tibias: Manebat vti locabatur: Per occiduum non potuit reddere vrinam, elapsis 7. hebdomadibus cœpit parùm ambulare fulcris subnixus: ita tamen vt traheret tibias: Multis vnguentis vsus est, ac in thermis ferinis & Marchionatus, in singulis ad quatuor septimanas ferè balneauit: In vtrisque cutis efflorescentiæ eruperunt: Verùm nihil profuerunt, nec sensit emolumentum. In fonte Zitteren balneat à 15. diebus, bis cutis effloruit, nondum meliora sentit, quæ speraret, si ferrent facultates vt posset adhuc manere ad 15. dies. Verùm penuria illum à balneis abigit: Ambulat quidem sine fulcris: sed cum magna difficultate, sensuque inter ambulandum doloris in dorso, & tibiarum imbecillitatis. Aug. 26.

Imbecillitas tibiarũ à casu.

15 Ioh. Störitz ex Eberspach præfecturæ Göppingensis 40. circiter annorum pastor à 15. annis, habet vlcus in tibiæ sinistræ anteriore parte siue anticnimio excitatum ex casu, quo ablata fuerat cutis: à qua tamen excoriatione fuerat curatus: Verùm superuenientibus erysipelatibus orta vlcuscula, quæ iterum sanabantur. Verùm neglectis ijs à triennio factum magnum vlcus, quod tamen interdum occludebatur vsq; ad magnitudinem vnguis. Triennium est quòd thermis Badensibus Heluetiorũ per tres septimanas lauerit, & quidẽ non sine insigni profectu: verùm deficientibus nũmis, non potuit quãdiu oportebat, balneare. Post balneũ igitur adijt Chirurgum, qui adhibita aqua acri, erodente vlcus ex-

Vlcus tibiæ cũ tumore & magno dolore.

Corrosiuorum nocumentum.

acerbauit: circumforaneorum remedia multa frustra applicauit. Biennium est quod iterum adierit thermas Badenses & ijs vsus per tres septimanas penè curatus sit. Postea imposuit varias herbas, folia Quercus & alia ab empiricis desumpta. Superiore anno circa vindemias, tertiò in aquis Badensibus Heluetiorum, postquam dies 14. lauisset, cessauit per tres septimanas, & iterum ingressus solium balneauit ad septimanas tres: hac vice non profuit balneum. Circa festum diui Martini conuenit Chirurgũ, qui per quadrantẽ anni tentauit eum medicamentis curare quæ summos excitabant dolores, vt non posset dies noctesq́; quiescere. Circa huius anni Pascha cùm maximũ esset vlcus, doloresq́; magnos sentiret, nec posset ambulare, accersiuit aquam Bollensem ex fonte Zitteren, quotidie bis in ea balneabat: superpositis postea folijs herbæ quæ vulgò Leuitiscũ dicitur, idq́; consilio cuiusdam mulieris, quibus postea semper vsus donec ad fontem venit, interdum sedabantur dolores aliquantulum: qui recurrebant vehemẽtiores: vlcera tandem curata, sed iterum aperta. A quatuor septimanis balneat: Cùm aduenit, tibia erat valdè tumida & vlcera admodũ magna, dolores vehementes singulis horis ad exclamationem commouẽtes, ij nunc cessarunt: multum detumuit tibia & plus quàm media parte occlusum vlcus, ex quo adhuc stillat aqua crocea. Octauo die ab ingressu solij corpus effloruit, & proximè iterum ab octiduo: quotidie ferè balneauit ad horas 8. vel 9. Habuerat etiam vlcera in dextra tibia, curata tamen antequam inciperet balneare. Sept. 12. cùm mihi secundò monstraret tibiam, vlcus erat penè repletum carne, & cicatrice egregiè obducebatur. Octobris 14. tertiò vidi vlcus adhuc satis magnum, minus tamen quàm ante. Suasi vt desisteret à balneo, quia diu lauisset & corpus macilentum ante, factum nũc habitius esset, vteretur emplastro sequenti, & lauaret tibiam quotidie aquâ medicata frigida. ℞. vnguẽti diapompholygos. ℥. iij. pulu. plumbi vsti & loti cũ aqua Solani. ℥ 1. Ceræ & terebinth. aquâ eadem lotæ q. s. Ol. ros. parũ, fiat emplastrũ. *Leuitiscum.*

16 Ioh. Schurbraut ex Breitholtz Tübingensis præfecturæ, 56. circiter annos natus ante quinque annos laborare cœpit imbecillitate crurum, ita vt non posset ambulare, quæ imbecillitas ex improuiso aduenit. Accersitus Tûbingâ M. Andreas Chirurgus, per quindecim dies adhibuit vnguẽta, vnde restituta ingrediẽdi facultas. Postea ortus pruritus & vlcera, quæ curauit folijs quernis: in crure sinistro remansit vlculusculum foraminis instar. Quatuor sunt anni quòd fuit in thermis ferinis per tres septimanas, sed sine profectu. Tertius agitur annus ex quo balneauit in aquis Antigast per tres septimanas absq́; vllo emolumẽto. Ab eo tẽpore aucto vlcere cõsuluit balneatorẽ qui stipulatus 8. florenos, sanitatẽ ꝓmisit: supra vlcus vsus scarificatione, planè curauit: verũ quo loco scarificationes factæ orta vlcera, quæ ipse æger herbis exsiccauit: sed inferius alia orta, vbi primũ vlcus erat. Ante bienniũ exortũ vlcus in dextræ tibiæ interna parte circa malleolũ, quod ipse curauit, adhibitis solis folijs Quercus. Hæc vlcera per totũ bienniũ multũ torserũt eũ tota nocte ardenti dolore, ita vt nõ posset quiescere, interdiu tumebãt, mane detumuerant. A quinq́; septimanis vlcere tibiæ sinistræ circa malleolũ

Vlcera tibiarum cum tumore & doloribus ac spirandi difficultate.

Folia querna.

Scarificatio.

Folia Quercus.

profundiore euadente, adijt suum Chirurgum Tybingensem, cuius suprà meminimus, cui non displicuit consilium de adeũdo nouo balneo, vt in eo lauaret: quod cœpit à quinque septimanis. Prima die qua ingressus solium, cessarunt dolores & commodè dormiuit: Vlcera autem in vtraque tibia non erant maiora denarijs, quæ ita torquebant. Iam verò non intumescunt amplius tibiæ. Difficulter spirat, cibi semper benè sapiunt. Multum quidem sudauit, sine omni tamen eruptione, licèt copiosè biberet aquam medicatam & iuscula ex ea paranda curaret. Curato discedenti suasi vt post mensem adeat Medicum Tybingensem, curet se purgandum medicamento quod educat serosa excrementa. Octiduo verò pòst detraheret sanguinem è brachij sinistri flexura, ac octo diebus postea in vaporario cucurbitulas cum scarificatione curet adhibendas scapulis & brachijs, non autem femoribus & tibijs.

Varices maximæ cum vlceribus.

17 *Georgius Berg Bollensis annorum circiter 44. rusticus, militiam secutus à multis annis diuexatus erysipelatibus in tibia sinistra, in quã à septem etiã annis cœperunt se ostentare varices: ante quinque annos habuit vlcera quæ fuerunt curata. A quinque annis interdiu intumescit tibia. A medio anno iterum adsunt vlcera sparsim per tibiam quæ pruriũt. A tribus septimanis magnus bubo in inguine & dolores: vna è varicibus ei scalpello septies vel octies in interna parte tibiæ aperta: à sectione venæ cessant dolores ad octiduum. A biennio sæpiùs scarificauit supra genu & supra pedium versus digitos: Vlcera quidem non sunt profunda, sed varices magnæ, etiam supra genu: hoc anno non emissus ex ijs sanguis. Suasi vt bis in anno aperiat venam in brachio sinistro: & cum dolores erunt magni, curet ex varicibus extrahendum sanguinem, quandoquidem assueuit: scacrificationem nõ curet faciendam supra pedium sed supra humeros singulis mensibus, & sudet: Posse etiam experiri aquam fontis & balnei mirabilis pro curatione vlcerum.*

Vlcera tibiarum & crurum cũ magnis doloribus & tumore.

18 *Georgius Franck ex Eckerdingen vno miliari à Stuccardia ætatis circiter 28. annorum, à 7. annis cœpit vexari pustulis tibiarum ardentibus, ex quibus stillabat ichor croceus: fluxerunt per triennium priusquam adhiberet remedia Quartus nunc agitur annus ex quo in balneo dicto Sewbad lauit per tres septimanas ac curatus fuit: verùm cum aliquot diebus pòst à venatione incalescens transijsset per multas aquas (vnde frigus etiam passus ac calorem) eruperunt denuo pustulæ lucentes, quæ deinde nigredinem acquisiuere. Paulò pòst à Chirurgo quodam apertis venis internis sub genu vel proplite (vocant* Brandtader) *in vtraque tibia, inde emolumentum sensit: Verùm cum Chirurgus ille esset balneator, interdictum illi ne amplius ita sordida tractaret vlcera: vtebatur vnguento albo Stuccardiano quod proderat quidem, sed non curabat. Sex sunt septimanæ cùm venit in balneum: In sinistra tibia erant magna vlcera & multa: restat nunc tantum vnum paruum: In dextra tibia habebat vlcera quæ ad femur & inguina pertingebant eaque magna, tumebant valdè tibiæ, dies noctesque non poterat dormire præ dolore, nec nisi bacillo innixus ambulare. Ve-*

rùm secundo die à lotione cessauit dolor, sic vt non amplius senserit: detumuerunt tibiæ: femur & tibia dextra non curata, quotidiè manebat in lauacro 8. horas: Ter facta expulsio per totum corpus. Vlceri inspergit puluerem è cacabo. Potissimum bibit aquam frigidam medicatam, quæ ei non nocet: interdum bibit aliquid vini: aqua mouebat illi aluum: vult adhuc balneare. Sept. 23. abituriẽs me conuenit ac indicauit se Deo gratias agere ob recuperatam integram sanitatem: Corpus suum à 27. Augusti quartò effloruisse, à tribus nunc septimanis nihil eruptionis aut ruboris amplius apparuisse: Eruptionem excitasse magnum pruritum & cutis ardorem. Noctu sæpius sudasse & multùm: tribus septimanis se non multùm bibisse, restincta siti qua torquebatur. Ab octiduo desijt violenter balneare. Consilium discedenti dedi vt sæpe detrahat sanguinem, & in brachijs & scapulis procuret scarificationes non autem in cruribus: pelles caninas easq; sæpe illitas oleo rosato ne indurescant, curet adaptandas tibijs.

19 Iacobus Boff tabellarius Stuccardianæ cancellariæ annorũ circiter 30 afficitur dolore tibiæ sinistræ: cuius principium eiusmodi. Ventris doloribus per 10. circiter septimanas vt existimaretur moriturus, laborauit: qui versura factâ in tibiam descenderunt: subsecutus tumor magnus in inguine, insigniter quoque intumuit crus, vnde apostema in femoris posteriore parte, qui ad suram vsque peruenerit, adeo vt non potuerit per tres septimanas ambulare. Tandem vlcera aperta in tibia, quæ chirurgus quidam frustra conatus est spatio 6. septimanarum curare: Vsus deinde balneo dicto Sewbad per 20 dies, nec tamen sanata vlcera. Biennium est cùm frustra fuit in ferinis thermis. Ab eo tempore imposuit tantum folia arborum & herbarum obuiarum, & curabat aperiendam venam poplitis quam Brandader vocãt. Ab octiduo lauat: tibia ante balneum valdè tumebat, dolores magnos patiebatur dies noctesq;. Quædam vlcera iam curata sunt, alia multò minora, quæ sanantur: cessarunt dolores & dormire potest, detumuit etiam. Hîc factus est primitus totus scabiosus, nunc tota scabies curata: heri cœpit eruptio: per octo horas quotidie ferè balneauit. Bibit aquam medicatam calidam & frigidam, quæ eum euacuat per aluum copiosè: vult adhuc diutius balneare, sperat se in totum curatum iri: varicosa tibia est. Sept. 25. ad me venit, ostendit tibiam quæ benè se habet, restat tantùm vlcusculum: mirè laudat, adeò vt, quanquam inopiâ prematur, grandi æri vsum balnei præferat. Me suadente balneabit adhuc per aliquot dies, tantillum quotidie. Consului vt curet sibi tibiale è pelle canina parari, venam secare, & cucurbitulas humeris & brachijs applicare.

Vlcus tibiarum cum magnis doloribus & scabie totius corporis.

Euacuatio per aluum.

20 Melchiori Stolz ex Haußtetten propè Augustam fabro lignario 44. annos nato, à biennio fractum vtrumque crus & carnes contusæ à trabe quæ in crura ceciderat: Dextrum quidem crus fuit tractatum per 13. septimanas, quod tandẽ gangræna superueniente, ei fuit excisum & ademptum à balneatore, qui peßimè amputauit, vt sentẽtiam contra illum tulerint tres Chirurgi Memmingen-

Maxima vlcera cruris ex fractura & concusione.

ses, quod vidi. Os femoris extra neruos ita eminebat retractis musculis vt post multas septimanas iterum sectum fuerit os. In crure multa sunt vlcera: quæ autem erant ex vulneribus, occlusa sunt: hæc verò orta recens apostemata & vlcera. Vvendling Vvildbad. *Præterito anno lauit in balneo dicto Vvendling Vvildbad (duobus miliaribus à Nerling dißito) quod calefaciunt, in eo mansit per sex septimanas: verùm nihil planè profuit. Hoc vere lauit Badenis Marchionum per septem hebdomadas: tantum abest vt adiutus sit, vt in deterius abeat crus. Sex sunt septimanæ ex quo vtitur solio Bollensi, ex quo sentit magnum emolumentum: speraret se curatum iri si per facultates posset diutius in hoc lauacro perseuerare Aug. 31. vidi miserandum femur paruis apostematibus & vlceribus scatens quorum quædam curabantur, multa curata.*

Vlcera tibiæ inueterata. 21 *Michaeli Beiteilschiesser ex Brucken Kirchensis Præfecturæ annorum 20, rustico quatuor sunt anni cùm orta est pustula nigra in tibiæ externa parte: cui varias herbas apposuit. Ad Chirurgum balneatorem totos nouem menses itabat, non potuit tamen curari. Ante biennium fuit in Sewbad, balneauit per 20. dies: sanitas restituta, sed non diuturna. Post trimestre enim iterũ vlcerata tibia: ab eo tempore tantum herbas imposuit: à 10. diebus balneat: ante balneũ tumebat valdè tibia, magnos habuit dolores hac æstate, qui nunc cessarũt & incipiunt vlcera curari: Statuit ad perfectam vsq; sanitatem lauare Sept. 17. illius vidi vlcera curata: in vno restat tantillum nondum occlusum nec cicatrice obductum, benè habet, suasi vt balnearet adhuc donec in totum inducatur cicatrix: non ita tamen diu, vt ante: canina postea pelle inuoluat vlceratas partes sæpius detrahat sanguinem ex brachio: sæpe in Laconico sedeat, scarificet si velit supra humeros & in brachijs. Mansit ille quidem ad 21. & vlcera omninò curata sunt.*

Ventris tormina. 22 *Aug. 28. Accepi D. Adamum Iung Medicinæ Doctorem balneare in aqua fontis medicati Bollensis ob ventris, vt aiunt, tormina: aquam autem curat ex Boll Göppingam deuehendam.*

Empirici cuiusdam censura de aqua Bollẽsi. 23 *Mihi demonstrata epistola, in qua hæc scripta. Duæ sunt aquæ Bollenses diuersæ, nuper quædam est inuenta admodum salsa, quæ non videtur apta medicinæ: altera aqua (quæ pro thermis habetur à quibusdam) habet aluminis aliquid & multum sulphuris, quod in vaporem est resolutum Non posset autem aliquod aptius esse Sulphur, pro curanda scabie quã hoc ipsum resolutum. tantum mihi constat de hac aqua.*

Ventriculi interperies frigida. 24 *Aug. 30 intellexi ex D. M. Tobia Cepario Concionatoris Bollensis synergo, suo ventriculo profuisse potum aquæ medicatæ Bollensis etiam ieiunè assumptum, quamuis frigidum habeat ventriculum, iudicio etiam medicorum qui acidularum ei potu interdicunt.*

Angustia pectoris: mẽses suppressi. 25 *Diaconus cuius modò meminimus, quiq; in concinnanda historia mea fontis Bollensis adfuit, hæc ipsemet de sua vxore scripsit. Coniunx mea Barbara angustiam pectoris perpessa tantam, vt si scalæ, aut locus accliuis esset ascendendus,*

suffocationis periculum metueret, Accessit & mensium suppreßio, quæ conceptus, licèt falsò, suspicionem iniecit: quo nomine aquas Bollenses bibit. Vnde nō tantum facilior reddita respiratio, sed & menses concitati, sic vt trimestri fluxu continuo minimeq; interpollato corpus exactè sit purgatum.

26 *Io. Vveber ex duVVen Kirchensis præfecturæ textor 35 annorum, ante quadriennium cœpit vexari papulis & vlceribus in vtraq; tibia: quater vsus est balneo SeVVbad, quod proderat quidem, sed non intotum curabat: varijs vsus est remedijs, sed frustra: sectæ venæ pedum ante biennium, adhibitæ etiam cucurbitulæ cum scarificatione. Decimus quintus agitur dies ex quo solium ingreßus: tunc aderant vlcera & papulæ ad genua vsque, ardentes cùm surgeret, decumbenti dolores cessabant: habebat quoq; in manibus papulas: biduo à lauatione in totum cessarunt dolores & ita curatio succeßit vt primâ septimana in totū conualuerit. Lauabat per 8. vel 9 horas & etiam 10. Eruperunt semel per totum corpus exanthemata rubra: bibebat tantum aquam fontis medicati in pastu, eamq; frigidam, non purgauit. Hac hebdomadâ statuit paulatim à lotione desistere.* Vlcera & papulæ tibiarum.

27 *Petrus SchleVVeiß ex Buibingen annorum fortè 56. toreutes, cui à 12. annis inceperunt tumere tibiæ & vlcerari: vsus est scarificationibus & venæ sectionibus in tibijs: vlcera sæpius curauit herba vocata* Hüffspickel, *quæ prouenit in Gruibingen: Eam incoquebat vino, quo primùm abluebat, herbā pòst imponebat, vtebatur etiā vnguento quod parabat, sed hoc anno nihil profuit. Lauat à 13. diebus: cum tornaret, tibiæ tumebant vesperi, noctu detumescebāt: magnos hoc anno dolores sensit vrentes potißimùm ambulando: vtraq; tibia erat vlcerata: cessarunt in totum dolores: in sinistra incipiunt in totum curari vlcera, sperat breui sanatum iri. Existimat se balneaturum adhuc per quatuor dies: lauabat per 9. vel 10. horas: effloruit corpus sexto vel septimo die: bibit aquā calidam & frigidam: bibit etiam frigidam antequam in solium descenderet, quæ vehemēter euacuauit multa viscida, alba, fœda. Sanus disceßit 7. Septembris: 29. autem venit ad me, allata promissa prædictâ herba, quæ est Philosella maior Tragi: Indicauit se hactenus quotidie mane & vesperi balneasse tibiam per mediam horam vel quadrantem, imponere lintea madefacta, tibiæ potißimùm dextræ, in qua non nihil doloris sentit, licèt vlcera curata sint: se alioqui benè habere: ante hac non potuisse stare, difficulter ambulare ob magnam laßitudinem membrorū: inambulātem etiam sensisse difficultatem spirandi, quæ multum diminuta sit, nunc posse stare & ambulare. Consului vt sanguinem curaret detrahendum: octiduo pòst in Laconico sudaret & scarificaret humeros & brachia: in aquam pro tibijs poneret pulverem lapidis scißilis: tibialia curaret paranda ex pelle canina, quæ sæpius inungeret oleo rosaceo.* Vlcera tibiarum cum doloribus, tumore, lassitudine membrorum, & spirandi difficultate. Huffspickel herba. Euacuatio per potum aquæ. Pilosella maior Tragi.

28 *Michael Gneid ex Schorndorff annorū circirer 25. cæpit à triennio ægrotare ortis vlceribus in naribus, deinde in capite & sub axilla dextra, vnde fluebat aqua citrina: in pudēdis etiā. Primùm data fuit à Chirurgo aqua pro naribus, quæ cum non prodesset, tandem inunctus iuncturus per tres septimanas & semis* Vlcera narium, dolor capitis, herpes & fissuræ sub axilla.

in eius ædibus, nec in totum sanatus, herpetibus & pustulis recrudescentibus sub axillis. Hoc anno, ante festum diuo Ioanni dicatum, adijt Chirurgum qui suscepta cura, vehementer eum purgauit, apud quem mansit per quinque hebdomadas, donec sanata forent vlcera: Verùm iterum oborti herpetes & pustulæ sub axilla sinistra summè prurientes cum dolore capitis, exvlceratis etiam naribus: A 14. diebus lauat: dolet quidem adhuc caput: verùm herpetes sub axilla, & narium vlcera incipiunt curari Hæret in lauacro ad minimum per octo horas. Octauo à lauatione die principium eruptionis & ruboris adhuc apparentis: bibit hactenus affatim aquam, quæ eduxit multa crocea per aluum: multũ sudat, statuit diutius lauare. Antè secta venâ & consilio Medici Stutcardiani venit ad Balneum mirabile Bollense. Sept. 25 cùm vellet à lauatione desistere, & domum se conferre, me conuenit: indicans se sanatum, licèt adesset adhuc aliquid ruboris & eruptionis, quæ erat quarta. Balneauit hactenus, excepto triduo, violenter diu moratus in solio: Suasi vt per aliquot adhuc dies quotidie aliquandiu lauet, donec penitus euanescat rubor.

Augusti 31.

Imbecilitas tibiarũ cũ doloribus, & scabie antiqua totius corporis.

29 *Iacobo Vvinter ex Neiffen 30. circiter annorum, ortus ante annum morbus cum maximo capitis dolore tanto, vt ad insaniam se iri redactum existimaret: aderat ingens calor: dolor capitis durauit ad duos menses: Vena secta & detracto sanguine meliùs habuit. Indè superuenit crurum imbecillitas, propter quam nec stare poterat nec ambulare: quiescens etiam magnos patiebatur dolores: mouet quidem nunc crura & extendit: sed cum dolore: non potest subsistere nec ambulare nisi se fulcris parum sustentet. Scabie vexatus à nouem annis: hodie primùm ingressus est solium: in internis partibus nihil mali sentit: magnus illi appetitus.*

Vlcera tibiæ maxima cũ doloribus.

30 *Geneueua vxor Michaelis Feigen vinitoris annorum circiter 42. ante annum cœpit ægrotare, peperit ab 8 annis postremò. Origo morbi cum frigore & calore, & doloribus magnis, ardore sub poplite dextro in sura, postea secutus magnus tumor, à tumore tota cutis tibiæ ferè vlcerata, fluebat aqua crocea, deinde cùm penè curata esset, orta vlcera quæ paulatim excreuêre vt tandem maxima sint facta: ambiunt ferè totam tibiam: magnos habuit dolores priusquam inciperet balneare, vlcera erant multò profundiora: Ante sex septimanas cœpit balneare, dolores minuuntur qui vexant tamen adhuc circa mediam noctem: fluit aqua citrina multa: ad 8. horas balneat: bibit tantum aquã & quidem copiosam ob sitim. Purgat multum: bis in exanthemata rubra effloruit corpus, dùm balneat: qui priùs non sapiebat cibus, nunc sapit Sept. 22. iterum hanc ægrotam adhuc balneare vidi, sed malè dispositam, vlcera profundiora quædam iterũ aperta Pessimum est vlcus phagedænicum: macilenta est: hodie erupit rubor, at deficiente aqua calida, subitò eruptio retrocessit: Suasi si planè cesset hac nocte eruptio, vt desistat à balneo per triduum aut quatriduum, & bibat copiosam aquam calidam, vt possit euacuari: interea sæpe tibiis admoueat aquam balnei cum linteo.*

Purgatio per aquæ potum.

31 *Michael*

31 *Michaeli Vveber ex Blienspach, quem inuisi in pago, quadragenario ab anno intumescit venter, alioqui morbis obnoxio, qui sæpius decubuit ex doloribus hypochondrij sinistri. Ab anno dedit ei concionator quidam multa violenta medicamenta: hinc inde etiam medicamenta perquisiuit: nullo medico vsus tamen: nunc tumet valdè venter. Splen ad tactum maximus, ad inguem se extendens, durus, in seri copia innatans, quod apparet apposita manu ex inundatione. Volebat balneare & bibere aquam mirabilem quod dissuasi: Ne autem se sine vlla spe curationis planè derelictum putaret, præscripsi iusculum manè per quindecim dies sumendum in quo efferbuerit Rad. Ononidis (*Vveinstol *vocant) feniculi & petroselini, & vt abstineret à potu quantum posset. Sept. 1.*

Hydrops ascites à splene.

Medicaster Theologus.

Ononis.

32 *Leonardus Engelhard ex Galtzen prope Popfingen non longè à Nerling, septem miliaribus abhinc, à triennio ægrotat: primò quidem vrinam non potuit reddere per dimidium diem, deinde difficulter: biennio pòst reiecit lapides instar Milij, postea non potuit vrinam retinere: curauit indendum bis catheterem, non tamen animaduerterunt adesse lapidem: vrina viscida: dolor circa vesicam, item in regione ventriculi: caput etiam malè dispositum, in quo sentit pulsationes cùm ambulat: dolores tamen tolerabiles: venit in balneum propter dolorem circa vesicam & appetentiam prostratam. Hodie octauus est dies, ex quo balneat, bibit copiosè frigidam in pastu & inter balneandum. Lauit 7. vel 8. horas. Lumbi meliùs habent, tibiæ delassantur, dolores etiam circa vesicam minuũtur, nec ita crebrò vrinam reddit.*

Dolores circa vesicã &lumbos à calculis renum cũ appetẽtia prostrata.

33 *Vidi curru petentes aquam pro fabro lignario ex Blienspach cui brachium erat sideratum, vt dicebant.*

Brachium syderatum.

34 *Sept. 4. Michael Burchart Bollensis dedit mihi succinum nigrum, siue lapidem Gagaten (Agstein vt vocant) non longè à Boll ad dextram repertum dum perquireret lapides scißiles (*Schifferstein*) pro tegendis ædibus. Erat ad hominis proceritatem sesquialteram altè reconditus inter lapides scißiles: asserit se satis profundè similem inuenisse in puteo aquæ medicatæ, sæpius in vna scrobe inuenisse quantum quinque florenis æstimetur, spißitudine trium quatuórue digitorum. Emebant ciues ex* Schwebisch Gemind *pro diuersis imagunculis & pro globulis precarijs: in quem vsum auidè solent perquirere.*

Lapis Gagates quomodo reperiatur & vbi.

35 *Sep. 7. Bartolomæus Thettinger Sartor qui in arce moratur Göppingensi ætatis circiter annorum 65. delapsus in aquam, cùm domuncula pro cygnis parata corruit & cecidit in ischium seu coxendicem, ita vt putaret sibi crus fractũ: Chirurgi tamen dicebant nihil fractum nec luxatum, quanquam nunc longè aliud asserant. Per multas septimanas circa articulum coxendicis maximos sensit dolores, breuius crus alterum altero, & extenuatum vt ait, nonnihil: ob dolores quos sentiebat cum cœlum mutaretur Iulij 8. cœpit lauare in aqua admirabili Bollensi, & balneauit quidem per 18. dies, cœlo pluuioso, incommodo, quia à balneo & fonte ibat in pagum, non semper aderat aqua, bibit calidam manè, nec non frigidam, principio incepit nonnihil moueri aluus; Interea ait se meliùs*

Dolor ischij à cõtusione magna.

habere & robustiorem esse redditum: existimat si commodo cœlo & ordinatè lauisset, ac fuissent absolutæ ædes & adornatũ balneam, futurum fuisse vt meliùs conualesceret: parum erupit, licèt hæreret in lauacro ad 9. horas. Statuit sequenti anno, Deo annuente, iterum se ad hanc aquam medicatam conferre, & ea vti.

36. 37. *Sept.* 11. *Doctus vir & insignis medicus D. Doctor Exlinus medicinam faciens feliciter Göppingæ ad me scribit his verbis: E ciuibus nostris duo hoc tẽpore Bollensibus aquis vtuntur Guill. Moserus Adelbergensis Cœnobij procurator, & Thomas Brethagius mercator. Ille in prædio suo Vaurnensi lauat ad primum ab hinc lapidem: ecquid ad sanitatem proficiat nondũ comperi: Vbi resciero, faciã certiorem. Brethagius decennium ferè capitis dolore qui frontem & tẽpora occuparet ex breuibus interuallis infestatus, ante biennium locis quæ ponè aures sunt sponte exulceratis, multamq; saniem cum pruritu & cruciatu quodã fundentibus, illo liberatus est. Cùm exulcerationi remedium quæreret, ego animaduerto hominem naturâ cacochymum, prauis maximeq; serosis scatere humoribus: sudores è Chinæ decocto cum idoneis purgationibus, & conueniente diæta consului. Hoc consilium vt asperũ nimis, ille auersatus, leue admodumq; dilutum Guaiaci decoctum ad tempus bibit, sine hydrotico, quo remedio mitigatum quidem malum, non excisum fuit. Cum recruduisset, Laisten chymici, postea & Ecclesiastæ cuiusdã Iustigensis consilio operaq; vsus, è fumo quem fugiebat in ignẽ incidit. Sanata enim quæ pone aures erat exulceratione facies tota saniosis pustulis corripi occuparique cœpit, non tantum aspectu fœdis sed ardore quoq; infestis. Oleoso liquore, qui è scopis incensis exudat oblinere iussus, malum à facie denuò post aures repulit, vbi vehementiùs quàm vnquam antea erupit. Tunc demum ad me reditum, optionem dedi aut primum illud quod dederam consilium amplecteretur, aut certè thermis vteretur Bollensibus, corpore pharmacis quibus opus erat exquisitè præparato. Hoc maluit, iamque duæ abiere hebdomades, ex quo & lauat & liberaliter eam aquã potitat, gutturnio quoq; supra caput adornato, vnde caput & facies stillatim irrorantur. Iam dudum conualuit: sed ne repullulet malum, in totidem septimanas vsum balnei prorogabit.*

[Margin: Chymista Theol. medicastri. — Stillicidiũ.]

38 *Sept.* 16. *Vidi vetulam 60. circiter annorum vxorem Ioh. Ioß Bollensis tibiã balneantem in dolio ob vlcus magnum, quo vexatur à quinq; annis, ait conferre: quamuis nullo ordine lauet & cogatur multum stare & ambulare propter autumnales rusticorum labores. Octobris 10. vidi vlcera in tibia dextra vtrinque magna: lauacro vtitur fontis à duabus septimanis: confert, tumores cessant, meliùs ambulat, mundantur vlcera & carne replentur, dolores qui somnum impediebant cessant. Vix biduum lauit cum ruber apparuit cum magno pruritu: bibit primò calidam, vnde commota aluus: nunc bibit frigidam.*

[Margin: Vlcus tibiæ.]

39 *Septemb.* 17. *Apollonia vxor Cypriani Müller rustici in Thalle pago, qui milia i dimidio ab Heilbrun abest, quinquagenaria plus minus, aliquoties enixa, cœpit tibiã sinistrã dolitare à biẽnio. Impegerat, antic nimiumq; excoriarat, vnde ortũ erysipelas cũ febre. Curam eius balnea, or qui. ã te. ẽ tri. r citre egit, sed suc-*

[Margin: Vlcus tibiæ.]

cessu nullo. Opilionis operâ semestri vsa, ad cicatricem vlcus neutiquam potuit perducere. Balneis Offensibus prope Vvimpffen & Neckers Vlm, mense Maio duas septimanas cum semisse lota, nullum sensit profectũ. Augusti mensis 17. cœpit hîc balneare: iam quatuor abiere septimanæ: ante balneum magnis doloribus conflictabatur, potissimùm cùm quiesceret: sæpe erysipelate corripiebatur: tumebat tibia, vlcere satis magno obsessa. Dolores quidem à balneo mox cessarunt in quo horas octo quotidie hærebat: bibit calidam & frigidam liberaliter, ex qua purgata: vix biduum balneo vse cum efflorescere cœpit cutis, nec non quotidie hactenus nonnihil erupit, quod statim sanescebat: nondum tamen exanthematibus istis planè libera est. Potus aquæ nihil ventriculo noxæ creabat: quin optimè cibus sapiebat: bibebat etiam vini nonnihil in pastu: in balneo multum sudabat, in lecto non item. Tibiam contemplatus, vlcus vidi sanatum: restabat tãtillum cicatricis duntaxat superinducendum. Suasi vt eousque vteretur, donec cicatrice inducta, reliqua quoque eruptio dispareat: paulatim autem à longa in solio mora desisteret: imponeret non lintea sed folium Quercus vel Hederæ: postea pellem caninam adhiberet parti affectæ: Obuolueret linteis mundis tibiam incipiendo à pede, caueret ne laneus pannus attingeret & vitaret scalptum. Secaret venam in brachio, sudaret sæpè, scarificaret etiam in humeris vel brachijs, non in cruribus aut tibijs, vt olim fecit.

Offen balneum prope Vvimpffen.

40 *Sept. 18. Balthasar Copp Blauburgensis, ingeniosè emblematis eburneis sclopetorum manubria exornare gnarus 28 annos natus, qui occœpit eo ipso tempore quo ego apud fontem mirabilem fui, lauare, hæc de se scripto testatus est. Anno 1591. Augustæ Vindelicorum ex labore ad candelam nocturno diuturno, caligare occœpit, citra dolorem, dextri oculi acies, sic vt vesperi vmbram duos digitos latam obuersantem oculis videre mihi viderer. Varia præscripta à Medicis vsurpaui: Inter alia, cum ex medici consilio suffitum è ligno aloës exciperem, superueniente Coryza, in vmbra circulũ, circumuolitantes papiliones mihi ob oculos videre videor, post & nebulã perforatã, contractiore facta vmbra. Quinq; dies quibus Coryza grauabar, meliusculè habuit visus: sexta die, prædicti medici monitu in Laconico scarificatione vsus, Coryza liberatus sum quidẽ: at per totũ bienniũ omniũ medicamentorũ efficaciã eludit obuolantium papilionũ hallucinatio. Ab eo tempore consultus medicus Vlmensis repurgato pilulis cephalicis, corpore ophthalmicã aquam præscripsit, & sacculũ apponẽdum oculo cum feniculi stilatitio liquore calido: detrahendũ etiam curauit sanguinẽ ex vena mediana, & cephalicis ad pollicem pedis & manus: quorum nihil profuit. Alium deinde medicũ Vlmensem consului, qui purgauit pil. cephalicis & potione, sanginẽ detrahendũ curauit ex vena pollicis & mediana, nec non ex vena pollicis pedis, aquã etiã ophthalmicam præscripsit, quæ omnia tantum abest vt quicquã iuuerint, vt potiùs aucta nõnihil sit vmbra. Quidam postea exhibuit mihi suam Panaceam & terram sigillatam duodecies, erat in vaporario sudandum excepto decoctarum herbarum vapore: quarta horæ parte ante sudorem, dabat etiam acrem ophthalmi-*

Visus imbecillitas, hallucinatio, Coryza.

Panacea & terra sigillata.

can aquam: ex qua ortus dolor capitis ac oculorum, ita vt destiterim ab his medicamentis, nec omnibus vsus fuerim: verebar ne in totum visum perderem. Illis enim remedijs mihi valde imminutus visus. Alterius deinde medici consilio vsus sum, qui hallucinationem meam referendam ad paruam defluxionem ratus, cantharides apposuit occipitio, existimãs hac ratione reuulsum iri fluxiones: multa etiam tentauit per ophthalmicas aquas & purgationes. His remedijs visus nonnihil reparatus: idem præscripsit venæ frontis sectionem, vnde iterum imminutus. Adij præterea ophthalmicum Chirurgum in Schorndorff qui nullũ in oculis vitium videre potuit, venarum cephalicarum in pedibus sectionem consuluit & pilulas & aquam pro roborando visu: his frustra vsus, iterum conueni prædictũ ophthalmicum, qui asserebat me habere acutum visum, oculis nihil deesse, esse tantum pinguedinem superfluam quæ neruos opticos comprimeret: Consulebat vt ab Alchimista Turbit minerale sumerem aut vterer ligno Guaiaco, futurum vt ea pinguedo consumeretur hac ratione. Eius secutus consilium ab Alchimista sumpsi Turbit minerale, quod quidem debebat purgare & sudorem mouere, verùm non potui sudare: ardore infesto æstuabat mihi totum corpus, discurrente per omnes artus cum punctionibus in omnibus iuncturis: ventris tormina inuexit magna, dysuriam excitauit tantam vt vererer de calculo: per sex dies nullum potui retinere cibum: per duodecim dies non fluxit aluus. Ab vsu huius Turbit tantos sensi dolores, vt ne per hypocaustum quidem potuerim ambulare. Quidã consuluit vt sudorem vapore quarundam herbarum concitarem, quod feci per 14. dies: vnde cruribus robur restitutum & dolores nonnihil cessarunt. Ab eo tẽpore cum medicamento ad oculos cum vino sublimato, quatuor dies vsus essem, iterum cœperunt puncturæ per omnia membra. Nouum consilium suggessit medicus Vlmensis, præscripsitque ferinas Thermas: quas quidem potui perferre & bonam spem fouens, in ijs laui per 22 dies: Verùm domum reuersum corripuit me magnus capitis & oculorũ dolor, intercidit ita visus, vt nihil scribere aut legere possem. Idem medicus consuluit pilulas cephalicas & apertionẽ venæ medianæ, inde emendatus visus, sublatus dolor, remanentibus interim in iuncturis magnis doloribus. Inde Baro ab Epffingen dedit quater quotidie 7 grana lapidis Bezoar: sudabã & eo remedio sublati omnes dolores & corpus ita roboratũ vt intra 10. septimanas possem templum adire & mediocriter laborare: Subsecuta deinde tanta membrorum imbecillitas, sine tamen dolore, vt per annum templum adire non potuerim. Vsus sum consilio medici Schaffhausiani qui me violenter purgauit antimonio nouem diebus quotidie manè, eduxit maximam excrementorum copiam: per tres anni quadrantes eius secutus sum consilium, sed vires non fuerunt restitutæ. Inde remedia petenti, Francofordianus medicus Iudæus dedit ophthalmicam aquam & forte tragema, capiti multum profuit, licèt omnibus eius medicamentis non fuerint restitutæ vires, quamuis etiam exhibuerit ter lapidem Bezoar. Alius medicus mihi præscripsit ligni Guaiaci decoctum pro potu, quo frustra vsus sum. Cùm ei ordine descripsissem statum meum, rescripsit

Cantharides.

Turbit mineralis mali effectus.

Lapis Bezoar.

Antimonij praui effectus.

existimare se meum morbum non naturalem, nec quicquam prætereà præscripsit. Sic perseuerauit morbus meus per biennium & semissem. Postremò vsus sum Bollensi balneo, cuius aqua quater repurgatus fui, ita vt, Deo sit laus, benè habeam, imbecillia tamen sunt genua: 27. Octobris mihi pro theriaca aliquid exhibitum, quod me horis duabus violenter euacuauit per inferiora & superiora: id debilitauit nonnihil crura 5. 6 7. & etiam ad 9. multò robustior eram quàm nunc: ad nouem dies laui per horas 11. ad 14. dies statuebam quotidie lauare per 9. vel 10. horas, ita vt violentiùs balnearim: Mihi tamen persuadeo me, Deo fauente, post quietem robur membrorum ex vsu huius balnei recepturum: adsunt adhuc eruptiones in vtroque digito minore, quæ nondum curatæ. Euacuatio per potum aquæ admirabilis.

41 *Sept. 19. Vxor Michaelis Gantz præfecti pagi, vetula, macilenta conqueritur de dolore ventriculi, appetentia prostrata, amaritudine oris & eius siccitate, nausea à cibo cum desiderio vomendi: nec potest tamen vomere nisi iniecto in fauces digito: vinum ferre non potest, quia vrit. A multis annis eo affectu laborat: semel sumpsit succi radicum Sambuci cochleare, vnde tanta secuta euacuatio per inferiora & superiora, cum doloribus, vt inciderit in magnas conuulsiones, & violenter contraherentur brachia, manus & crura. Ab anno sæpe bibit interdiu & noctu aquam medicatam Bollensem frigidam, potissimũ cùm sentit oris ariditatem: dicit sibi multum conferre: habuisse tumidam regionem ventriculi: sed ex quo bibit aquam detumuisse. Ei præscripsi sequens medicamentum ℞. Herb absynthij* Ventriculi dolor, amaritudo oris, nausea. Sambucus.

Cardui benedicti }
Cichorij } *ana p. 1.*

Sennæ, Polypodij, Carthami ana ℥. ß. Sem. feniculi ʒ. ij. Omnia macerentur in vino pro duabus dosibus: Post purgationem pro potu ordinario bibat aquam acidam.

42 *Septemb. 22. Andreas Halman ex Masmünster in Sundgouia (vbi cœnobium Abbatissæ Dominæ meæ Scholasticæ à Falckenstein) 47. annos circiter natus, tussi laborat à quinque vel sex annis, quæ multum affligit: multa expuit viscida & concocta: sanguinem non reiecit: paulatim ex paruis initijs inualuit tussis. Decem abiere dies quòd huc venit, difficultate respirandi laborans. Bibit quotidie calidæ cyathos paruos tres seu mensuræ quadrantem inter pastus: vbi sitit, frigidam: quotidie ad sex horas lauit, excepta die prima. Quotidie soluitur aluus, ante adstricta: multa deijcit varia, lutea, alba, fœda, vt ait: appetentia melior successit, faciliùs respirat, non est siticulosus: secunda die parum sudauit: nec non interdum in lecto sudat: curauit aquam in hospitium adferendam: statuit sequente anno, annuente Deo, instructiùs adornatis balneis, redire. Sept. 29. venit ad me indicans se absoluisse lotionem, statuisse sequenti die discedere, meliùs habere, respirationem faciliorem, licèt tussis remaneat antiqua: per 7. horas ad summum balneasse, postremis duobus minùs, duas paruas habuisse in corpore eruptiones.* Tussis antiqua, difficultas respirandi.

Vlcera circa popliten.

43 *Vlricus Edel ex Mundertingnen ad Danubium, oppidum Archiducis quatuor miliaribus ab hinc, annorum circiter 60. sator, à biennio cœpit ægrotare in tibia dextra ad genu & in poplite. Nullam nouit causam morbi nisi quod habuerit tibiaia aspera, & quod fricando excoriarit elipidumidem, pruriebat cum ardore: imposuit tantum Plantaginem angustifoliam, sed non iuuabat: cœperunt oriri parua apostemata & vlcera sparsim: varijs vsus ad curanda vlcera. Iam agitur annus cum fuit apud Chirurgum, ibi mansit per 7. hebdomadas, sed frustra morbo ingrauescente. Antequam adiret Chirurgum, fuerat in Vberlingen Vlmensium, vbi fons acidus & magnificum balneum, ibi lauerat per 14. dies & biberat: nihil profuerat. Discedens à Chirurgo profectus est in thermas Badenses Marchionum, vbi lauit per 8. Septimanas, diuq; manebat in balneo ad 8. horas: conualuit omnino, sed color displicuit cicatricis, semper rubore perfusæ: domum reuerso iterum aperta vlcera ardore infesta: imponebat emplastra. Decimus agitur dies ex quo vtitur balneo Bollensis aquæ medicatæ: antequam vteretur claudicabat, nec poterat ambulare, dolores magnos sentiebat, vrentes, pungentes: multa erant vlcera profunda, vt ait, ferè ad duos digitos: multum tumebat genu: bibit sæpius frigidam quotiescunque libuit: quotidie per septē aut octo horas balneauit, nihil internè mouit potus, nec per aluū euacuauit: statim sensit tamen emolumentum sopitis doloribus, & diminui incipit tumor, vlcera mundari. Nunc mouet tibiam & ambulare potest. Deum laudat pro beneficio: quædam vlcera curata, alia repleta carne, denique optimè dicit conferre: omnia bona sperat, nondum erupit corpus. Octobris 16. vidi curata vlcera: continuò frigidam bibit, euacuauit illum diebus aliquot: non erupit, licet diu balneauit: benè habet. Balneabit porrò per aliquot dies quia adest adhuc paruum admodum foramen, per quod aliquid purulenti & crocei exit. Ait nullo modo ita reparatam fuisse cicatricem ex balneo Marchionatus: benè ambulat, nullos sentit dolores: deformia erant & mala vlcera.*

Fōs acidus in Vberlingen.

Vlcus faciei horrendum à cunabulis.

44 *Sept. 23. Cum Bollam irem incidi in quendam lagenas aquæ Bollensis dorso gestantē (Christophorum Vvalterū nominant ex Dunstorff, itinere quinq; horarū) pro filiolo trimo, cui quarta ab ortu septimana cœperunt per faciem, caput, totūq; coliū serpere vlcera, ichore croceo manantia, qualis ex ipsa quoq; auris cauitate profluebat, aspectu fœdo & abominādo: nulla à triennio quieta puero nox, donec aqua Bollensi cœpit vti medicata. A die Diuo Ioanni sacrato aquā cœpit accersere, qua per septimanas quinq; vsus quotidie, balneo calida, potu frigida, penitus curatus est: At post mensem recruduit nōnihil vlcus. Post festum Bartholomæo sacrū, iterum petita aqua, vsus per 20. circiter dies, persanatus est: à 14. diebus nō vtitur. Nihilominus tamen cū nonnulla rubedinis vestigia circa aurē remaneāt, & patri, vt pote pauperi, ociū abūdè suppetat, porrò filiolo administrabit.*

Dolor ventriculi, sitis, herpes poplius.

45 *Margarita vxor Ludouici Schmid rustici ex Zell annorum 35. circiter, à 7. annis vltimā filiam enixa, à cuius partu cessarunt menstrua, sæpius ægrotauit. Ante biennium cum ventriculi dolorem sentiret à cibo paulò liberaliore, & sitis valde vexaret, pota frigida, idq; hyeme, aqua medicata Admirabili, cessauit dolor,*

melius habuit. Hoc vere ob herpetes circa malleolos & poplites cum magno pruritu & tensione à scalptu, balneauit per 10. dies, non cōtinuo vsu, sed interpolato, adhibita etiam aquâ quæ prope Zell: curata est in vtraq; tibia, & à quatriduo incipit balneare propter dolores circa os sacrum & tibiarum: in dextri pedis poplite habet herpetem, sed non admodum molestum: bibit calidam & frigidam, putat fore vt efflorescat corpus, quod si non fiat, suasi propter frigus & nondum in totum accommodatum locum vt accommodabitur, differat balneum in proximum ver. Interea sæpius abluat herpetem aquâ mirabili.

46 *Apollonia vxor Iacobi Vvals lanionis in* Bernhausen auff die Filderen *vno miliari à Stutgardia, annorū 55. ab annis quinq; cœpit affici in facie erysipelate, quod neglexit, ac multū ad ignem versabatur, sæpius ante hac erysipelata in facie experta, & cū puerpera esset in mamillis: 10. liberos habuit: erysipelati, de quo nunc agitur, superuenere vlcera profunda prope nasum & maxillā: consulti medici, venæ sectiones & scarificationes præscripserunt, nihil autē topici. Hoc anno 1596. Chirurgus per tres septimanas & semissem tentauit eam sanare, vsus causticis: fuit in causa (vt ipsa dicit) simi sui nasi, & quòd considerit: Adhibebantur autē dextræ nari, quæ ita miserā torquebant, vt turbaretur illi mens: obducta cicatrix ijs, quæ consumpsit: verùm alibi eruperunt vlcera fistulosa & apostemata, vt circa maxillā dextrā, deinde etiam in sinistra sub oculo, vbi tumor adhuc & sinus fistulosus, super frontē tubercula: est edentula: 18. enim dētes curauit euellendos propter dolores: capitis doloribus valdè fuit obnoxia, à medio anno nō ita vexatur: secat sæpe venā. Eius tubercula ardore & pruritu nocturno infesta sunt: tridiuū est ex quo balneat: vlcera non ita vrunt nec pungūt vt antè. Quantū ego iudico est malignū phagedænicum vlcus, turpis facies, multi elephāticam iudicarent: non animaduerti tamen alia signa pathognomonica: reliquum corpus mundum. Octob. 11 priusquam discederet me conuenit ac indicauit, propter frigus non posse se ampliùs balneare, profuisse sibi balneum, id quod in facie satis apparebat, vlceribus penè curatis, facie minùs deformi.* Vlcus faciei phagedænicum. Causticorū nocumētū.

47 *Caspar Vvolff Guttenbergensis, annos quinquaginta duos natus, ante annū cœpit ægrotare: magnos in corpore æstus sensit, multùm sudauit: à tribus mensibus cœperunt erūpere in pedibus pustulæ, & maligna scabies crustosa ad genua vsq; se exporrigēs, nec stare poterat nec ambulare: nocturnā quietē adimebat ardor & pruritus: manabat ichor croceus. Agitur iam decimus quintus dies, quod lauat, idque ad horas 8. principiò paulo minus diu: Primum autem balneum admodum fuit fœtidum. Potat calidam & frigidam: vnde ante triduum turbata aluus, vt diarrhœa correptus posset videri. Octauo ab vsu balnei erupit corpus & nunc iterum. Triduo à balneo meliusculè cœpit habere: singulis noctibus sudat. Cibus ante insipidus, iam sapit: Deo gratias agit quod ita se benè habeat: statuit adhuc balneum prorogare. Octobris 10. me conuenit indicans se curatum. Suasi, vt curet sibi detrahendum sanguinem, & proximo vere ex consilio Medici catharticum sumat, pòst ad balnei vsum, eiusdem consilio rediret.* Scabies maligna. Euacuatiō per aluū ex potu aquæ admir.

Vlcus tibiæ diuturnum.

48 *Ioh. Eninger ex Strempfelbach præfecturæ Schorndorffensis, 26. circiter annorum, 10. Augusti primò sedit in lauacro, iam agitur vigesimus quintus dies: A quinque annis in tibiæ dextræ interna parte versus malleolum, vlcere orto, per annum nullo vsus Chirurgo, tandem consuluit spatio anni dimidij, qui cicatricem induxit, quæ tamen non diu durauit, ac ita perseuerauit vlcus donec veniret ad fontem mirabilem, satis illud quidem magnum & profundum, dolorificum valde: noctu enim pungebat, vrebat, somnum impediebat, ita vt interdum totam noctem peruigil transigeret. Bibit frigidam e. am ieiuno ventriculo, vnde multùm repurgatus. Octiduo pòst, dolores statim à principio sedati : iam Deo gratias agit quod ita bellè habeat. Vlcus completum carne, sed cicatrice nondum penitus obductum : propter vindemias cogitur desistere à lauacro. Vult secum deferre aquam, vt sæpius abluat. Suasi vt tenuißimum pulueret lapidis scißilis inspergat vlceri. Statuit intra aliquot dies, vbi vindemijs prospexerit, redire.*

Euacuatio per potum aquæ.

Dolores & vlcera.

49 *Soror Petri Copp laborans tumore & vlcere tibiæ, balneauit antehac in Sewbad, hac æstate cum magnos haberet dolores & vlcera, curauit adferendam aquam Blawbure vsque, in qua balneauit, vnde cessarunt dolores. Frater statuit illã, Deo fauente, absolutis ædificijs adducere ad fontẽ & balneum sequenti vere.*

Oris amaritudo, sitis, erysipelas.

59 *Petrus Copp tormentorum manubria eburneis segmentis ornare gnarus ex Blawburen quinquagenarius circiter, obnoxius, vt ait, multis morbis, semel tumidus: Torquetur sæpe oris siccitate & amaritudine, crebrò laborat erysipelate, interdum tument tibiæ, adsunt leuia vlcera, sed facile sanescunt. Cœpit bibere aquam Bollensem medicatam, (heri mane calidam, & in pastu frigidam, simul etiam bibens vinum) & balneare quoque. Hodie correptus contractione tibiæ (Krampff vocant) à pedio (vbi solet scarificare) incipiẽte, cui obnoxius, licèt ab anno non senserit: ante balneum purgatum corpus senna: Ait nihilominus se sentire moueri sibi aluum potu aquæ: experitur hodie dolores lumborum, dicitq; se nephriticos dolores crebros expertum. Octobris 3. indicauit à biduo per totum corpus efflorescentias erupisse, se factum macilentum, aquam fontis vehementer sulphur olere, ac saporem veluti nauseam mouere, esse efficaciorem solito, iamque exhaustum ab euacuantibus ad 10. pedes vsque. Octob. 5. narrauit se liberaliter expurgatum fuisse, reiectis plurimis humoribus croceis. Oct. 9. significat se cogi ob negotia relinquere lauacrum, licèt nondum curatus esset ab eruptionibus & rubore per totum corpus ante biduum orto: alioqui se benè habere. Expeditis negotijs in reditu inque itinere pedis plantam læsit, ex labore magis corpus erupit: dolor plantæ vexat, non potest ambulare, rubet adhuc Octob. 16. & dolet, fortè erysipelas est. Mihi dedit duplicem Bolum bonam, vnam luteum, alteram rubellam quæ colligitur in argilla propè Blawbure, cuius illitu dicit se mitigasse sæpius dolorem erysipelatis, dissolutæ cum aqua. Verebatur balneare propter erysipelas: suasi ne desisteret propterea. Octob. 23. ad me rediit indicans se benè habere & curatum, recteq; fecisse quod meo consilio sit obsecutus : intra biduum statuit domum redire.*

Euacuatio per potum aquæ.

Bolus duplex Blavvbure.

51 Sept,

51 *Sept. 24. vocauit me nobilis vir Dominus Carolus ab Eybergen. Il. E. C. cubicularius, varios iam ab anno morbos perpessus, magnum apostema in crure quod tamen in totum curatum: calculum renum, & iam multos calculos & arenas reiecit: nuper correptus quatuor paroxysmis tertianæ, multũ vomuit: nũc vexat dolor in sphinctere vesicæ, cum reddit vrinam: non potest nisi cum difficultate equitare: vrina turbida, crassa, in qua filamenta longa viscida, quæ adhærent matulæ: præscripsi purgationem: cum dicat se manna purgari & largiter assumptis duabus vncijs, concessi Calabrinam vocatam: Postea incipiat bibere manè aquam Yebenhausen frigidam vel relinquat tantisper ponè fornacem: non bibat multum prima vice, sed paulatim procedat ad aliquot pocula, prout natura ferre poterit & ventriculus digerere: Postea poterit vti balneo aquæ medicatæ Bollensis, cauendo interim ne violenter balneet. Sept. 29. scripsit mihi, mannam euacuasse nouies vel decies: se adhuc tantum bis bibisse statimque sensisse vehementer vrinam mouere, & ex primo potu arenas reddidisse crassas & cum magno dolore: hodierna adhuc die se ad vrinam vrgeri, & paucas arenas reddere, sed crassas & asperas cum magno dolore: Existimare se adesse adhuc multum arenarum & calculos paruos: sperare profuturas acidulas, modò non plus pellant quàm par sit: ad id etiam profuturam aquam medicatam, & balneũ mitigaturũ omnia: aluum non esse astrictam. Rescripsi vt assumat terebinthinam vulgarem siue larignam resinam per os cum aqua acida semel vel bis in hebdomada: vtatur clysteribus ex aqua mirabilis fontis medicati adiecto melle. Octobris 7. vidi illum ex vsu aquæ acidæ & balneo aquæ mirabilis multò meliùs habere: nondum vsus erat Terebintnina: poterat ambulare, quod ante cum difficultate faciebat. Vrina habebat nihilominus sedimentum album fœtidum, ita viscidum & adhærescens matulæ vt difficulter auelli posset: sumpturus erat præscripta. Octobris 22. inuisi illum, vtitur clysteribus, terebinthina, balneo & aquæ acidæ potu: vrina non tantum puris habet nec ita viscida, meliùs valet, suasi vt adhuc per tres septimanas perseueret.*

Arenulæ, Calculi, Dysuria, Vrina abundans pure viscido & fœtido.

Manna Calabrina.

Aqua acida Yebenhausensis.

Terebinthina.

Clysteres.

52 *Vidi ancilam Stuccardianam accersentem aquam ex fonte mirabili, pro vxore cuiusdam Doctoris, cui, vt aiunt, morbo consumptæ nares.*

Consumptio narium.

Sept. 27.

53 *Ego Anna Beittelschiesse iam Kingæ habitans, hoc scripto testor, me aquâ Bollensi, qua iam aliquandiu vtor sanitati pristinæ restitutam penitus. Quoniam autem quæritur solùm de vlceris diuturnitate & magnitudine, nec non an medicum adhibuerim, profiteor, primùm quidem ex erysipelate ortum vlcus sic vt in cruris dextri anticnemio, quo loco madefeceram, vlcusculum sit natum: cuius nomine adhibitis duobus Medicis non malè cessit curatio, parum tamen stabili sanitate: subinde enim recrudescebat vlcus ad articuli longitudinem, altitudine mediocri. Postquam autem percrebuit fama de aqua hac Bollensi, curaui per fratrem Iohannem Beitelschiessen adferendam, ex ea crus quotidie vt decebat foui per horam quàm possem ferre calidissimâ: imposito, à fotu, linteo eâ*

Vlcus tibiæ ex erysipelate.

dem aquâ madente. Hanc hactenus sum prosecutus rationem, quã ita misericors Deus fortunauit, vt iam sana sim. Interea etsi sæpenumero mane, horam vnã lauerim, non rarò tamen factum est, vt, cùm mane non vacaret, noctu horâ vndecima primùm, tibiam fouerim: ex quo colligo, si vel certa horâ, vel quotidie recenti vsus essem, futurũ fuisse vt citiùs curarer, vna enim eademq; aquâ ter denuò calefacta semper vsa sum. Eximia enim est, vt sanitatis restitutæ ergò, apud omnes libenter profitear me deprædicaturam. Datum Kingæ 27. Sept. 1596.

Vlcus tibiæ ex erysipelate.

54 *Ego Iohanna Thymina Neoburgensis, profiteor me aqua Bollensi, cum ancilla mea pariter vsam. Vsq; adeo namq; erysipelate infesta torquebar, vt quietem omnem eriperet, ad malleolum internum sinistræ tibiæ vlcusculo, crucigerum lato, exorto: felicem igitur in ancilla aquæ huius administrationem contẽplata, cœpi ipsa quoq; quotidie sinistram tibiam fouere, linteolo postea eâdem imbuto superposito, vnde ad læuitatem persanatum est vlcus. Non potuisset quidem ancilla tandiu adferendam curare, nisi ego quoq; vsa fuissem: non tamen diuturna fuit curatio vlceris. Ante aquæ vsum, nihil adhibui, tuta tamen hactenus ab erysipelate Scriptum 27. Sept. 1596.*

Vlcus sub genu.

Sultzbad prope Canstat.

55 *Sept. 28. Mihi indicatũ est hospitam ex Canstat plurimis annis laborare vlcere sub genu, habuisse magnos dolores, vsam balneo in Canstat (quod vocant Sultzbad) sanè non spernendo, tepido, acido, quod pisces non fert, vt ipse expertus sum: vsam etiam balneo Sewbad: expertam etiam thermas Marchionum Badensium: Verùm pluris facere aquam medicatam Bollensem, quippe ex qua plus commodi senserit, liberata à doloribus, vlcere penè occluso, penitus occludendo, si diutius lauisset, quod noluit, monita de periculo si in totum occluderetur: maluisse adhuc aliquas molestias perferre quã vitam in periculũ cõijcere, contentã esse nunc sedatos dolores, & ita discessisse cũ spe reuertẽdi proximo vere ad balneũ.*

Grauida vomitu laborans.

57 *Sept. 29. intellexi vxorẽ lanionis ex pago Boll grauidã hoc anno, cùm omnia vomeret, nec eduliorum quicquã saperet per 20. septimanas, potißimum ex potu huius aquæ sustentatam, & fœtum ad legitimum vsque pariendi tempus gestasse.* Octob. 8.

Vlcera tibiarum.

57 *Allocutus sum quendam dolium gestantem, qui diceret se aquam petere pro vidua Georgij Zeitz Heimingensis, vetula, laborante vlceribus tibiarum, quæ licèt tantum superiore anno ante hyemem per octiduum lauisset, ita tamen profecerat, vt pœnè in totum ab vlceribus curata fuerit: ita illi placuit blanda restitutæ sanitatis spes, vt voluerit nunc balneum repetere.*

58 *Eruditus & honestus medicus Dominus Georgius Rentzius medicinam non minori dexteritate quàm felicitate faciens in vrbe Kirchen, hæc ad me scribit: Non potui facere vir celeberrime colendißimeq; quin paucis certiorẽ te redderem, quàm præclarè pastor Ecclesiæ Nicrohusanæ, quæ est prope Nörtingam oppidum, nomine M. Iohan. Oswaldus, de fonte Bollensi sentiat, quidq; de eodẽ in seipso cõperti exploratique habeat. Nuper enim cum nobiscũ esset Kircheimi ecce apertè retulit, se dicta aqua, aduersus raucedinem & dyspnœam per inter-*

Raucedo, dyspnœa.

nalla inimicißimos affectus, iam per annũ cum dimidio maximo sanè cum emolumento & iuuamẽto vsum esse. Occasionem ad hoc genus remedij, vt audio, præbuit rusticus quidam de Bretzgen Kiet præfecturæ Göppingensis, qui aliquando in præsentia pastoris fontem illum miris extulit laudibus, affirmando, sui loci homines, aquas illas communiter aduersus tußim, raucedinem, angustias pectoris, scrophulas, & similes affectus quàm felicißimè lõgo iam tempore vsurpasse inq; pretio habere maximo: Vnde commotus sit vt sibi fontem Bollensem quoque afferri curaret & ex rustici suasu potaret: Quod cùm fecisset, statim sibi per noctem quasi, vt loquitur, raucedinem leniri, anhelitum alleuiari & vnico verbo sibi ex illius potu indies meliùs esse clarè & perspicuè animaduertit: quã efficaciam antea ex nullo medicamine à quouis etiam Medico sibi propinato, percipere potuit. Ecce quanta hæc sit fontis laus & commendatio: contra quàm fecerint acidulæ, quas ex consilio Doctorum bis visitauit: sed nihil tamen inde adiutus, quin deterius semper habuit. Fontem porro administrat tã ieiuno quàm pleno stomacho, nunc maiore, nunc minore quantitate, pro vt libet & sitis vrget. Vrget autem tum, cùm aliquot diebus iam vsui insistit. Animaduertit interim etiam, quod actu frigida aqua illa, ieiuno stomacho nocumẽtum afferat, nec prosit nisi prius purgato corpore: qua de caussa nuper à me purgandi formulam petijt vt maiore cum fructu & vtilitate hoc tempore iterum pretiosum fontem in præseruationem vsurpare queat. Hæc sunt illa quæ tibi, vir eximie, significanda putaui, vt hoc pacto non tantum cognosceres quas quantásque laudes concionator prædictus R. sanè & apprime doctus vir, fonti Bollensi vel hoc nomine admirabili tribuendum censeat, sed etiam tali historia & exemplo ceu testimonio quodam præstantiam fontis & admirandam naturam confirmare posses. Vale in Christo Iesu.

59 *Ioh. Hausel ex vnder Ensingen rusticus annorum 30. à quinque annis laborat in tibia dextra: putat principium fuisse erysipelas, semper vlcerata fuit ex quo cœpit morbus, tumet multum, multos habuit dolores: vlcus profundum latum in interiore tibiæ parte: à 12. septimanis lauat tibiam aquâ quã accersit, qua multũ subleuatur & dolores mitigantur, licèt non imponat emplastra, nec quicquam aliud præter linteum, & ambulet & laboret: statuit balneare cùm loci erit commoditas. Suasi vt consulat medicum cum volet lauare, nec nisi præpurgatus in solium descendat, secta etiam priùs venâ brachij dextri: est robustus, non macer: dedi illi formulam emplastri, cuius suprà in simili casu memini.* Vlcus tibiæ.

60 *Octob. 10. vidi qui accerseret aquam admirabilẽm pro filia Iunij Geber Göppingensis pannicidæ, quæ achoribus laborat.* Achores.

61 *Oct. 16. Georgius Zeitz ex Dornstet præfecturæ Vracensis annorum circiter 36 à 15. annis laborat vlceribus vtriusq; tibiæ, quæ interdum occludebãtur. Tres sunt anni cum balneauit in Sewbad per quatuor septimanas, occlusa fuere vlcera sed intra mensem iterum aperta. Biennium est cum ibi iterum balneauit per tres septimanas: sed quia tardiùs eò venit, solennem lotionem absoluere* Vlcera tibiarum.

non potuit, nec cicatrice obducta fuere vlcera. Quinq; sunt septimanæ ex quo venit ad fontem mirabilem: tumebat vtraq; tibia, & potissimum sinistra, magna aderant vlcera, ingentes dolores in tibijs ardentes: nec laborare nec stare poterat nec in lecto quiescere: lauit quotidie ad 8. vel 9. horas: bibit manè calidam in pastu, inter pastus autem frigidam. Secūda vice euacuauit per aluum, sed nō violenter. Primo triduo quo cœpit lauare, non multum erupit: biduo à lauacro cessauere dolores, crura tument, adhuc gressum impediunt, nec diminuta à balneo. In sinistra tibia supra anticnimium vlcus satis magnum, alterum supra malleolum internum, maiora erant & profundiora, nunc carne repleta mūda: deest cicatrix. Tibia dextra in totum curata ab vlceribus malignis. Laborarat etiam difficultate spirandi cum accliuia loca ascenderet, iam videtur spiratio facilior: cachecticus est & pallidus: non sudat extra balneum. Frater indicauit Oct. 24. illum adhuc balneare, & vlcus benè habere, tumorem nondum cessare. Suasi vt curet se purgandum ex consilio Medici: post 15 dies deinde detrahat sanguinem è brachio: præscripsi emplastrum alijs iam præscriptum ex diapompholigos, vtq; adeat interdum Laconica.

Euacuatio per aquæ potum.

Tibiarū dolor, vlcera.

62 *Caspar Zeitz frater quatuor annis senior, balneat quia tibiæ dolent stati, nonnihil vlceratæ: à quinq; diebus cœpit lauare, diu manet in lauacro, sudat in lecto & balneo: secundo die multùm erupit cum magno rubore & pruritu ac ardore vt non posset dormire: iam ferè curatus ab illis: tibiæ sanescunt in totum: minori nunc cum difficultate stat: bibit copiosè calidam & frigidam: nondum euacuauit per aluum. Oct. 23. cœpit vomere multa amara, & aluus copiosè solui educta materia multa crocea: ait huius mensis 24. adhuc aquam purgare & apparere adhuc aliquas eruptiones, alioqui se benè habere & optimè stare posse, id quod erat ei ante difficile.*

Euacuatio à potu aquæ.

Tibiæ tumor cum pruritu & fluxu ichoris.

63 *Ioachimus Oswald ex Nelingen Vlmensium pago annorum circiter 80. à 20. annis ægrotat: cœpit morbus secando fœno, cœlo frigido: ortus statim magnus tumor, qui perseuerauit: Pruritum habebat magnum, & cum scalperet, ingens ardor vexabat defluente ichore per tibiam sinistram: Lauat in aqua admirabili ab octiduo, dies noctesque ferè balneat & quidem in aqua valdè calida: bibit affatim calidam, & ex ea edit panem: pauper est mendicus: mouit aluum: nondum effloruit cutis: multum eum iuuat & confert balneum: detumuit: Surdaster est.*

Scabies, pruritus.

64 *Mauricius Gruinbach ex Zell 40. annorum, à quinq; annis incepit ægrotare: dolebat ventriculus & caput, nihilominus laborabat in eruendo lapide scissili per pluuiam, niuem ac frigus: à triennio vel quadriennio scabiosus cum pruritu magno, fluente aquâ crocea: vnde excitatus crebrò à somno: vsus interdum vnguentis. Lauit in aqua Yebenhausensi à quadriennio circiter tantum per octo dies. Sequenti anno ad nouem dies lauit in aqua fontis Lingenbrun. Hoc anno circa Pascha sedit in aqua Sewbad tres septimanas & quatuor dies, vnde curatus fuit à scabie. Circa messem iterum corripitur pruritu & scabie dum metendo*

tritico operam dat: à 12. diebus venit ad Balneum aquæ mirabilis, scabiosus valdè, cute aspera, pruritu ardente, ichore fluente luteo: diu mansit quotidie in lauacro ad 7. vel 8. horas. Bibit aquam calidam mane, deinde frigidam, nondum purgauit: iam ab octiduo vehementer erupit corpus in tubercula admodum rubentia, ichore manantia. Extra balneum magnas sensit & dolorosas punctiones quasi cultris pungeretur: difficulter spirat à 9. vel 10. annis: faciliorem verò iam spiritum ducit, scabies cessauit, macilentus est & cachecticus.

65 *Ioh. Heider ex Schopffen vltra Guttemberg præfecturæ Kirchensis, rusticus, diues 19. annorum: triennium est cum vexatus fuit maligna scabie, quæ exorta in autumno cum oculorum dolore, perseuerans ad æstatem, per se cessauit: nunc iterum eadem correptus à tribus mensibus: totum corpus & aures deturpatæ scabie crustosa pruriente: iam primùm balneum ingressus. Licèt cœli constitutio & anni tempus repugnare videantur spero profuturum balneum: sed fortasse minus.* *Octob. 18.* Scabies maligna cum oculorum dolore.

66 *Clemens Braßler Sepusiensis Vngarus 30. annorum, vlcus sinistræ tibiæ habet à biennio ad suræ externam partem, orta papula: Chirurgis pluribus, nec non muliere vsus, fuit etiam in Carolinis thermis Bohemiæ, & per totam hyemem lauit: nullis remedijs potuit (licèt multis vsus) hactenus curari, magnos passus dolores. A tribus septimanis balneat, per octiduum lauit ante Göppingæ, tumebat tibia, vt non posset ambulare: inde detumuit & abstersum vlcus: cum ad fontem admirabilem venit, magnum erat adhuc vlcus, dolores licèt essent mitigati, tamen non poterat benè ambulare, nunc autem alacriter incedit, nullos sentit dolores, Dei beneficio, cui gratias agit. Apparet ex cicatrice nunc obducta magnum fuisse vlcus, nunc repletum carne & ferè tectum: Videtur olim fuisse phagedænicum: vlcus enim habuit sub poplite: bibit copiosè frigidam etiam ieiuno ventriculo, nec offenditur nec purgatur. Diu quotidie hactenus mansit in solio ad 11. etiam horas, 10. circiter diebus: post erupit rubor & pustulæ insigniter vrentes, & postea quoque secundò, quas nunc habet, sed curantur: deinceps non hærebit tamdiu in lauacro. In Carolinis thermis non erupit.* Vlcus tibiæ phagedænicum. Carolinæ thermæ in Bohemia.

67 *Bernhardus Reß ex Heilbrun vrbe imperiali miles, septuagenarius, vt ipse ait, licèt mihi non videatur, herniâ laborat à multis annis: dumque ligaturis occurreret ramici dextri lateris, incidit in herniam sinistri. Triennium ferè est quod sectus est in dextro latere Argentinæ & benè curatus: creuit postea hernia sinistri lateris: ab anno vno & semisse orta excrescentia ex ano, ante annum ferè extirpata fuit: ante & postea fluxit sanguis & quidem copiosus, magnos habuit dolores: bis secuit Chirurgus, vnde curatus: Postea tamen iterum excreuit, atque adeo nunc vt sit maior quam ante, ita vt ne poßit sedere, dolores quidē adhuc sentit, aluus cōtinuò fluit, sæpe cogitur vrinam reddere: à quinque diebus incipit balneare & multum bibit: Pauper est, non poterit diu lauare.* Hernia condylomata ani.

68 *Iacobus Ender ex Neiffen 30. annum supergressus, rusticus ab anno ægrotat: primò doluit caput, non poterat videre, indè imbecillitas crurum vt non pos-* Scabies.

ſet ambulare, antehac erat ſcabioſus in cruribus. A quinque ſeptimanis venit ad fontem mirabilem: primò multum balneabat, ab octiduo deſtitit, bibit frigidam cum ſumeret cibum: non euacuatus fuit à potu aquæ, non erupit, ſed à ſcabie in totum conualuit, quæ multum vexabat. Octob. 19.

Sitis immẽſa, bulimos, difficilis reſpiratio, tenſa hypochondria.

69 *Michael Vagner ex Schlierbach, ab annis 11. ægrotat: cœpit morbus poſt frigidæ copioſum potum cùm caleret. Inde enim calor ſuperuenit ingẽs cum magna ſiti, durauit ad octiduum: exiſtimabatur moriturus: quotãnis malè habuit, ſiti diuexatus: ſecundo anno veneficum conſuluit (qui combuſtus poſtea) non iuuit. Poſtea alium impoſtorem Vlma expulſum conſuluit, ſed nec is profuit: Sunt anni quinq; cum circumforaneus in Kirchen perſuaderet illi adeſſe calculum, quo nomine ei dedit ita violens medicamentum euacuans per inferiora & ſuperiora vt putaret ſibi moriendum: inde multò pallidior factus: color enim erat ante melior. Quadriennium eſt cum cõſuluit Dominum Adamum Iunium Göppingæ miſſa vrinâ, qui ei præſcripſit quædam, quæ profuerunt quidem, ſed morbum nondum abſtulerunt: eiuſdem cõſilio per annum bibit acidulas Yebenhauſenſes: balneauit etiam per 14. dies in ijs: profuit vſus, ſed non abſtulit morbum penitus: ab eo tempore paucis vſus remedijs. Nunc conqueritur ſe bulimo vrgeri, cibum interdum ſapere at non ſemper: ſi paulò plus comedat dolorẽ ſentire, angi, & difficiliùs ſpirare, os amareſcere, arere, ſitim torquere: vomuit interdum valdè pituitoſa, non ampliùs ita vomit, laſſitudinem membrorum ſentit, benè dormire poteſt: in hypochondrijs non ſentit tumorem, ſed tantum tenſionem cũ nimiùm comedit. Oriuntur per corpus quotannis, vti etiam ante vndecim annos, papulæ vrentes: primò multum ſudabat, nunc non poteſt ampliùs. Præterito anno tumebant tibiæ, nunc non item: vrina, vt ait, alba ex cruditate: difficultatem vrinæ nullam ſenſit, nullam habet nec habuit tuſſim. Suaſi vt biberet aquam Bollenſem per octo dies mane calefactam in vitro, inciperet à duobus poculis, aſcenderet ad eam quantitatem quam haurire poſſet, quotidie addendo priori quantitati, donec aut vomat, aut per aluum reijciat, aut ſudet: bibat etiã duabus horis ante cœnam: bis aut ter lauaret per horam ſemis. Poſtea bibat pro potu ordinario aquam Yebenhauſenſem acidam.* Octob. 25.

Caſus ex alto.

70 *Anſtatus Schilkopff cecidit ex domo noui balnei altitudine 15. pedum, in ventrem: dolorem perſenſit in hypochondrio, putat propter pugionem: Volui vt ſtatim ſe reponeret in lectum & biberet aquam mirabilis fontis cum aceto frigidam, tertiâ die benè habuit, agitur 14. dies ex quo delapſus eſt.*

Phthiſis.

71 *Octob. 31. Scribit inſignis Medicus D. Rentzius, ſe ante menſem ſuaſiſſe fontem Bollenſem potandum Iacobo Dinetelin ſeruo in monaſterio Denckendorfenſi, phthiſico, iamq; meliuſcule habere.* Nouemb. 9.

Scabies cruſtoſa pertinaciſſima, ſæpius reuerſa.

72 *Ioh. Schitzen ciuis Stutgardianus, vinitor laborauit horribili & graui morbo, qui vt ſequitur cœpit & curatus eſt. Anno 1586. ſub principium Februarij, horrore cum ſudore correptus, ingreſſus Laconicum, ſcarificatione vſus eſt, inde orta tubercula ſuppurantia, quibus non adhibuit remedia ante Maium: poſtea*

à Chirurgo ei præscriptum vnguentum, quo inunxit brachia & dorsum, & paucis diebus curatus fuit. Verùm non ita diu pòst iterum per omnia membra erupere: circa diem Diuo Ioãni sacrum balneo per 21. dies in aqua fontis macelli Stutgardiani curatus, circiter diui Bartholomæi festum longè deteriùs quàm antè habuit. Anno 87. cum esset pauper, implorata ope magistratus vrbis, cum laboraret morbo aspectu tetro, capite obducto horrenda crusta & brachijs & cruribus squamis scatentibus, Medico & Chirurgo consulentibus repurgatus, detractus sanguis, vsus per 5. septimanas ligno Indico, iterum curatus est. Dum vteretur autem potione ligni, grauiter ægrotauit ex punctionibus sinistri lateris: intra tamen tres septimanas cœpit meliùs habere, & multa sordida expuere, pus & sanguinem: metuebat apostema internum, sanus tamen permansit ad diui Ioannis diem anni 1588. Tum verò recurrit morbus qualis ante: Quamobrem ex medici consilio ad ferinas thermas se contulit, in quibus frustra balneauit. Anno 1589. suasu medici & chirurgi vsus est potione ligni Indici: imbecillitatẽ omniũ artuum persensit, non fuit curatus, tota hyeme decubuit. Anno 90. à Senatu ablegatus ad fontes acidos balneauit ad septimanas 22. conualuit: sed sub autumnũ recrudescente morbo anno 1591. propter pauperiem relegatus est secundò in domum leprosorum. Anno 1592. iniunctũ illi, vt vteretur balneo Sultzbad in Canstat, quo vsus est per 24. dies: verùm non curatus inde exiuit. Anno 93. vsus balneo in domo leprosorũ, sanatus est: verùm sanitas parùm diuturna durauit tantum per 4. septimanas. Anno 94. in domo leprosorum iterum vsus balneo, conualuit vt ante: iterumq́ recruduit morbus. Anno 1595. auxilio Ill. E. C. cum non solùm caput, sed etiam manus, axillæ, & pedes scaterent abominabilibus crustis, repurgatus fuit ab Ioh. Bauhino Ill. E. C. medico hac formulâ remedij. ℞. Polypodij, Sennæ ana ℥.1. Borraginis, Fumiterræ, Lupuli ana m. 1. Sem. feniculi ʒ.ij. Fiat decoctio pro duabus dosibus: In vna dosi dissolue Confect. Hamech, El. de succo rosarum ana ʒ ij. misce, fiat potus mane sumẽdus. Postea secta vena. Tandem eo consulente iuit ad fontem nouum Bollensem, ibi lauit vltra horas 100. vnde in totum sanus & mundus redditus est, & nunc benè habet ac munijs suis fungitur ab anno vno & semisse.

Vvolffgangus Bader Chirurgus Ill. Celſ. Vvirtemb.

Hactenus bonâ fide & simplici cãdore historias commemorauimus eorũ, qui Aquis Bollensibus ad Nouembris vsque principium anni 1596. vsi sunt, quo tempore, licet asperiore, ideoque minus oportuno, plures adhuc lauabant.

DE FONTE ADMIRABILI BOLLENSI LIBRI SECVNDI, IN QVO DE BALNEORVM ET AQVARVM MEDICAtarum vſu in genere, tum in ſpecie de Bollenſium aquarum legitima & vtili in varijs morbis adminiſtratione agitur,

Sectio prior de aquarum medicatarum balneo, potu, vapore, ſtillicidio, clyſtere, fotu, luto.

Aquas medicatas quaſdam noxias eſſe, non tamen omnes: imò veteribus nonnullas in potu vſurpatas, non minùs quàm hodie: An Bollenſes tutò & ſalubriter bibantur?

Capvt. I.



Iacta nobis ſunt fundamenta futuræ diſputationis in ſuperioribus. Nam & à quibus mineralibus Bollenſes aquæ vires ſuas mutuentur, & qui qualibuſque morbis affecti ſalutarem earum opem ſenſerint, fideli recenſione abundè explicauimus. Deinceps ἐκ τῶν ἐπιφαινομένων, quæ suprà commemorauimus, rectum vſum Bollenſium noſtrarum, morboſque quibus illæ medentur colligemus: quod vt eò rectiùs fiat, à carceribus rem altiùs paulò arceſſemus. Quædā aquæ omnibus quocunque modo mortiferæ ſunt tam potu quàm lotione: vt Cychri in Thracia aqua. Aliæ ſunt potu ſolum læthales, qualis olim Neptunius fons Terracinæ, vt eſt apud Vitruuium: quare ab antiquis obturatus fuiſſe legitur. Prope Mompeſſulum marititimo quodam vico nomine Peraut, fons manat, referente mihi Dalechampio, procul etiam aduenientibus odorem bituminis diffundens, exuberans nonnunquam, & foras exiliens, ſæpius in anguſto cauo delitescens, ſed aquis perpetuò horrendo murmure ſtrepentibus: Moriuntur ſtatim aues quæ illius aquam biberint: exareſcunt & vruntur herbæ quas profluēs rigauerit, ab aqua marina, quæ interdum eum locum operit, non tantum damni accipientes. Narrant & incolæ, quod de Auerno lacu proditum fuit, præteruolantes volucres afflatas eius vapore mortuas aliquando concidiſſe: In eo tamen fonte bituminis erumpit nihil. Nonnullæ ſunt ex his quæ hominibus quidem ſunt noxiæ, ſed magis animalibus cæteris. Iccirco animalia quibus ſolùm earum halitus aſpirat, qualis eſt ille qui exhalat è Charoneo ſpecu, quod vidimus inter Neapolim & Puteolos iuxta lacum Agnani ad dextram, vel enecant ſtatim, vel in vita

Prope Monſpeliū aqua mortifera.

Charoneus ſpecus.

*in vitæ periculum conijciunt, nisi illico succurras. In quibusdam animalia degẽtia moriuntur, qualis aqua inter Strapetum & Scburgum, referente Agricola, quæ pisces certo tempore necat. Ex illis etiam quædam certo animalium generi exitiales sunt, quales illæ quæ in illis locis sunt quæ ἄορνα, vulgo Auerna dicuntur, vt in Baiano sinu & vocatus Volaterranus: Præterea inter Scarlinum Senensium & Compigliam Florentinorum non longè à Populoniæ ruinis: Dortomanus. Kentmannus apud Gesnerum de fossilibus: Pyrites venenatus qui plumbi candidi venis adiungitur Eberndorfi: Si de aqua in qua lotus sit, aut homines aut animalia biberint, intereunt. Certum est quosdam fontes piscibus & auibus mortẽ inferre, hominibus salubres. Scribit Iac. Theodorus in Schwalbacensibus acidulis viuere non posse pisces & locustas fluuiatiles, nec etiam ranas: & alios fontes acidos nulla ferre animalia venenata, buffones, serpentes & hydros cœcos (*Blindschleichen*) & similia, nullos mures siue maiores, siue minores. In Schwalbach esse cellas, in quas coniecti mures tam maiores quàm minores, muscæ & limaces suffocantur: In ijs etiam homines suffocari posse nisi sibi caueant: Aues etiam si intromittantur, subitò in ipso volatu perire: vermes caseorum extingui, si in ijs caseus inijciatur vermiculosus. Nihilominus tamen salubriter bibi apparet ex eodem Iac. Theodoro. Idem ego obseruaui in Griesbachianis acidulis & Petrinis in quas immissi pisces, ranæ & buffones, quasi mortui, immoti manent: in aliam autem aquam translati reuiuiscunt. In aquas Canstadianas prope Stutgardiam (sunt autem ibi quatuor fontes, & fortè plures, vnus in vrbe, alter extrà vbi balneum, tertius paulò longiùs in prato valde profundus, quartus ad Neccarum fluuium) si inijciantur pisces, vti expertus sum, moriuntur. Audio etiam olim, cum vnus fons angustiore adhuc orificio breuioribus terminis circumscripto minùs liberè difflaretur, aues præteruolantes concidisse. Hæc sanè consideratione digna sunt, quam ob causam optarim Medicos Monspessulanos exhibere aquam fontis versus Peraut alicui qui mortem commeruerit, bibendam: vt certò constet an hominibus venenata sit nec ne? Mihi quidem cum degustarem visa est acida.*

Auernæ.

Aq. Schvvalbacenses auibus & piscibus nociuæ.

Griesbachianæ aquæ.

Canstadianæ aquæ.

De faciẽdo periculo aquæ venenatæ prope Monspeliũ.

Iacobus Theodorus rem consideratione dignam proponit parte 2. cap. 49. Thesauri, cum ait: Aquas quæ subtilitates argenti habent, salubres, nec non eas in quibus extinguitur argentum: Nihilominus dicit aquam quæ per venas & ductus metalli argenti transeunt ac etiam argentum secum vehunt, à quibusdam per ignorantiam falsò aquam argenteam existimari, eaque homines perdi & in periculum conijci: Omnem aquam argenteam potu salubrem, aquam autem metalli argenti venenatam, nocuam & insalubrem. Hæc ille. Ego verò intelligere non possum, cur aqua transiens per argentum sit venenata, nisi iungatur illi metallum aut succus venenatus, vt lapis Kobalt (Cadmiam metallicam vocat Agricola) qui reperitur in fodinis argenti vallis Leberanæ. Fallopius sanè, vt ante indicauimus, dicit argentum & aurum benigna metalla, & se credere aquas etiam benignas. Porrò Gypsum quoque in aquis medicatis reperiri prodidit: vnde

Aquæ per venas argẽti transeuntes læthales.

Gypseæ.

Engesta balnea.

balnei montis Groti in agro Patauino vsum nequaquam in potu tutum esse. Idẽ ex Gesnero Engestorum balneorum eandem esse mistionem credidit. Andernacus, Aquæ Volaterranæ sale, sulphure, & alumine copioso imbutæ nec non periculosæ. Nam adeò maligni vapores inde exhalant, vt aues illas præteruolantes necent. Fallopius de thermis: An aqua medicata reperiatur quæ in se contineat plumbum & stannum prorsus ignoro: Testatur tamen Gesnerus in Germania reperiri talem aquam. Balneum illud vocari à plumbo quod in se habet, Plumbarium. Item cap. 11. In vniuersum omnes illæ aquæ quæ habent in se aliquid metallorum noxiorum ineptæ sunt in potu, in primis quæ plumbum, quales sunt in Germania dictæ plumbeæ vel plumbares, quæ in potu nullo modo sunt exhibendæ, quia periculum est ne natura plumbi conuersa vel in lithargyrum, vel in aliud simile, vt solet, hominem necet. Ineptæ quoque quæ habent in se substantiam gypseam, quales balnei montis Groti: item quæ habent bitumen liquidum præcipue Naphtam: Aquas æreas non exhiberem in potu. Hæc ille. At cum plumbum non videatur naturæ inimicum, sed salubre, vt apparet in ijs quibus globi in corpore per plures annos hærent, & ex eius vsu ad vlcera: examinandum propono an calor humanus tantus sit, vt eo subtiles spiritus vel vapores plumbi, si qui commiscerentur aquæ, possint conuerti in lithargyrum, reddereque aquam mortiferam vel nocentem? Quod ad thermas attinet, quæ Plumbariæ dicuntur in Lotharingia sitæ, earum aquam non esse malignam, multò minùs mortiferam scio, vt qui sæpiùs ibi fuerim ipse, per plures septimanas vsus in potu & balneo calido & frigido, magnatibus etiam exhibuerim salubriter, ac viderim salubriter exhibentes Principibus multos medicos Gallos, Lotharingos, Burgundos, idque anno 1594. cum comitarer Generosam Dominam Ludouicam vxorem Generosi Baronis Domini Constantini à Pölwiller Mæcenatis mei. Tunc etiam Illust. Dux Carolus Lotharingiæ cum sorore & filia ijs aquis vtebantur & potu & balneo. Andernacus sanè non reijcit potum aquarum plumbariarum. Scribit enim, potas vesicæ vitijs opitulari, fluxiones siccare, antiquis febribus prodesse: albos mulierum fluores præsenter discutere, in quibusdam futuros postea prouocare: infœcundis mulieribus ob nimiam vuluæ resolutionem & humorum copiam, valdè prodesse. Interim scio, non solùm Gesnerum & Fuchsium clarissimos meos Præceptores, sed etiam Andernacum, Pictorium, Reinerum Solenandrum, Ioh. Gobelium, Thurnisium, Baccium vno ore dixisse Plumbarias thermas à plumbo dictas, & copiosam quidem eius mixturam continere: Verùm neminem video, qui sufficientem huius opinionis rationem reddat. Ego mihi potiùs persuadeo dictas Plumieres à deplumando, quod Gallis & Lotharingis est Plumer. *Vnde Andernacus sanè in suo libro de balneis benè scripsit: Plumbarias vulgò Plumbersbad Gallicè dici Bains Plumiers Pictorius etiam scribit Plumiers, & benè quidem. Thermarum enim Plumariarum aliquot scaturigines ita calidæ & feruentes sunt, vt ijs deplumentur*

Aquæ Volaterranæ.

Aquæ plũbeæ.

Plumbariæ aquæ Fallopio non bibendæ.

Aquas Plumarias calore ventriculi non posse conuerti in lithargyrũ.

Aquæ plumariæ non insalubres in potu.

Qui dixerint Plumarias à plumbo dictas.

Plumieres dictæ a plumer.

An plumariæ plumbũ habeant.

volatilia. An plumbum habeant me latet : quidam volunt aſſerere quia denigret corpora : quod animaduertere non potui. Obſeruaui quidem eos qui non habebant induſia denigrari : ſed profectò non aqua in cauſa, verùm ſol vrens. Sunt enim Thermæ ſubdiales, vbi ſol interdum cutem ardenter ferit, præſertim ſi qui ſui non habeant rationem, vel non induant induſia, vel non maneant ſub tuguriolis. Curare inſigniter vlcera maligna ac ad Elephantiaſim accedentia certa experientiâ mea ac patris mei piæ memoriæ Iohan. Bauhini, mihi conſtat: Nec tamen ſequitur id fieri virtute plumbi: quandoquidem etiam aliæ quædam medicatæ aquæ ea curant, & magnificè aqua fontis mirabilis. Ioh. Göbelius lib. 3. de balneis ſcribit, diligenter obſeruandum, aquas Plumbarias potui non eſſe aptas, quia natura plumbi facilè mutetur in Queckſilber id eſt hidrargyrum aut in aliud venenatum metallum ex Fallopij ſententia. Miror vnde tanta mutatio & tam ſubitanea ſubtilium partium plumbi (ſi quæ ſint in aquis Plumarijs) quæ poſſint mutari in argentum viuum. Et certè nihil tale inuenio apud Fallopium : nec, ſi Fallopius dixiſſet, poſſem veriſimiliter dictum admittere : niſi Gobelius & Fallopius vel alij fide digni comperiſſent, aquis illis metallica argenteo colore dealbari, vel proximè ad ſcaturigines adeſſe plumbum, ex quo extraheretur Hydargyrum.

Plumariæ vtiles in malignis vlceribus.

Plumarias mutari in argentum viuum.

Plumárias non dealbare aurũ?

Thurniſius lib. 6. in ſuo Piſone cap. 49. ait Aquas plumbarias conſtare plumbi 5. partibus, ſulphuris 2. aluminis 1. ſalis nitri 2. aquæ non medicatæ (Wildwaſſer vocat) 14. Verùm quis credat aurifabro indocto, qui poſt deceptos & faſcinatos inſignes Principes, magnates & doctos viros (vt ſolent eiuſmodi pollicitatores) diuturno miſerabilis carceris ſupplicio ſuas chymicas impoſturas luit.

Baccius de thermis lib. 1. cap. 8. dicit : Prudenter verò quæ per fiſtulas metallicas leguntur aquæ, cauendæ ſunt ob æruginem quam concipiunt, bibentibus æſtuoſam ac inteſtinis ſua acritate noxiam. Ex tegulis plumbeis minus vitij aquas concipere quidam hodie ſcriptores exiſtimant. Vſui ſiquidem eas eſſe Gallis, Belgis, ac Pannonijs & toti ferè Germaniæ : adeóque ſi lædantur nonnulli, id aquis ipſis, inquiunt, non tubis vitio vertendum. Veruntamen miror huius authoris paradoxon : Nam cum nos ſciamus eas omni ætati fuiſſe damnatas, haud temerè obtrudenda poſteris noua opinio eſt. Vitruuius vix aliud argumentum de earum malitia habuit quàm à Ceruſſa: pariter nec eius materiam vacare vitio arbitratus eſt, ac propterea qui in vſtrinis plumbi lapidem fundunt ſqualenti facie eſſe & paucæ vitæ. Gal: 7. de med. ſec. loc. limum quendam ex plumbeis tegulis aquas conducere aſſeruit, qui bibentibus varia alui profluuia ſæpe commouit &c. Quam noxam alij imputant formæ ſpecificæ plumbi, alij quòd partes ex eo ducant acres & tenues, alij quòd ex impuritate naturali ſubſtantiæ plumbi, qualitatem concipiant putredini valdè obnoxiam. Ego æſtum ſolis exiſtimo, qui ſecundũ regiones variat.

De aquis quæ tranſeunt per canales plumbeos.

Argumentũ Vitruuij à Ceruſſa.

Profluuia alui.

Tubi plumbei olim Romæ.

Quo contagio regiones illæ commemoratæ ac vlteriores maximè septentrionales que non adeò gaudent sole aßiduo, carere poßunt. Et ob hanc ipsam causam videmus in antiquitatibus vrbis Romæ, quod sub prima illa artium luce, plerunq; tubi aquarum ductuum subterranei de plumbo fiebant, qui radiorum solarium expertes nihil eius generis vitij contrahere poterant. Propterea neque in æreis, neque in plumbeis hydrijs seruanda aqua, quanquam si vrcei stannati sint virus æris eo linctu obducitur, vt communi vsui Plinius attestatur. Hæc ille. Veteres tubulos aquarum fecisse ex plumbo etiam obseruatum in ruinis amplißimis Epamanduoduri, nunc dicti Mandeure propè Montembelgardum Ill. mei Principis & Archiepiscopi Vesuntini: vbi etiam nunc pulchræ antiquitates apparēt, & Romanorum & Græcorum numismata plurima reperiuntur, ex quibus suspicor ab Attila destructum. Aquas autem non facilè venenatam qualitatem acquirere ex ijs tubulis mihi persuadeo si acrimoniam non habeant & continuè fluant. Considerandum etiam an aquæ in puro plumbo putrescentes potißimum, acquirant malignitatem à plumbo, vel propter putredinem ipsius aquæ. Baccio lib. 5. cap. 11. Syncerae aquæ atramentosæ in potibus inutiles, stomacho aduersantur, corrosiuæ atque vlcerantes sunt, parcè in quocunque medicinæ vsu recipiendæ. Item lib. 6. cap. 12. Obseruatum verò est quòd quæ aquæ minium abluūt, recta caput ipsum impetunt, mentemque obturbant. Quales Plinius ex Ctesia recensuit fonte rubro in Æthiopia, vbi minium natiuum tradidit Hermogenes, & de quo Ouidius in admirandis cecinit lib. 15. Metamorphoseos

Cauendum ab æneis ac plumbeis hydriis.

Epamāduodurum.

Cur aquæ putrescētes in canalibus vel vasis plūbeis fit malignę.

Aquæ atramentosæ.

Æthiopasque lacus, quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.

Alter similis in Bœotia ad Trophonium deum, qui bibentibus obliuionem adfert, vbi tamen alius adfert memoriam, Plin. Et in Cæa insula alius qui hebetes facit vt testatur Varro. Similiter lacus in Troglodytis, qui præterea insanus dicitur.

Fōs acidus Padelborn venenatus.

Lyncestis temulentos faciens.

Lapidescētes mortiferæ.

Aq. Stygis.

Aquæ gutturosos facientes.

Iac. Theodorus in Thesauro aquatico c. 1. Propter permixtionem Arsenici venenatus fons acidus in Episcopatu Padelborn. Georgius Agricola lib. 2. de natura eorum quæ fluunt ex terra. Lyncestis vini modo temulentos facit. Sed quæ multum succum lapidescentem combiberunt, potu mortem afferunt. Is enim nō aliter ac gypsum in aqua dissolutum, sub humore durescit, & viscera alligat & venas obstruit &c. Atramentosæ si fuerint nimium acres, necant. Talis videtur fuisse aqua Stygis fluuij Thessaliæ, quo Alexandrum necauit Antipater. Aquæ quæ sunt infectæ venis auri, argenti, plumbi, stibij, neruos duros efficere, contrahere, tendere, similiter artus pituita replere & inflare solent. Ex ipsis verò aliæ quæ gutturosos efficiunt, vt in Norico supra Iuuauium, nobile oppidum, quod hodie, Salzeburgum nominamus, atque in Alpibus duobus in locis, in Cillera valle, quæ distat ab Oeno ad octauum lapidem, meridiem versus: Eius vallis incolas & habitatores nationem Medullorum Vitruuius videtur vocasse: Et in Sundera valle, quæ abest à Curia oppido Rhetiæ circiter duodecim millia

passuum: vbi præterea fons est, cuius aquæ potæ adeo lædunt cerebrum, vt stolidos faciant: atque etiam in Italia Equiculis guttur intumescit aquarum, quas bibunt, vitio. Attamẽ aurum argentumue purum lambentes cor reficere quidam putarunt. Quæ verò aquæ argenti viui venis imbuuntur, potæ rapiuntur ad caput, idque multis humoribus quos secum ferunt, replent, qui rursus delapsi labefactant gingiuas & artus: quod satis indicant inunctiones ex argento viuo compositæ, & catapotia inde facta. Non tamen nego alias res intra terram inueniri, quæ similes habeant nocendi vires. Arabiæ quidem peculiares morbi stomacace & scelotyrbe partim ex aquarum oriuntur prauitate, quorum alter os vitiat, alter crura turbat: & in Germania maritimo tractu fons fuit aquæ dulcis, qua vt Plinius inquit, pota inter biennium dentes deciderent, compagesque in genibus soluerentur: nec dißimilis Susis, quæ vrbs est metropolis Persiæ, fonticulus, ex quo qui bibebant, amittebant dentes, vt Vitruuius scriptum reliquit.

Aq. in Rhetia stolidos faciunt.

Aquæ argẽti viui.

Stomacace & Scelotybe.

Aq. dentes deturbans.

Sed præter reliquos perniciale earum virus, censetur Baccio lib. 6. cap. 12. quas argentum viuum contemerauit, in quo numero habet aquam Stygis dictam in Arcadia, aliamque in Thessalia cognominem, tantæ acrimoniæ vt nullum vas æneum resisteret, solaque mulæ vngula contineri posset, ex quo mortiferam eius naturam satis liquet esse manifestam. Huc accenset ex Vitruuio quoque eiusdem generis in Beroso Taurorum colle tres fontes sine remedio, sine dolore mortiferos: aliamque aquam in Crobi regno memoratam in Alpibus, quam qui gustant, statim concidunt.

Argenti viui aquæ.

Crobis regni fontes.

Cæterùm, vt ex aquis, alias hominibus, alias cæteris animalibus, aut eorum quibusdam exitiales esse non est negandum: ita vice versa nonnullas medicatas in vsum hominum tam potu quàm balneo tutò & non sine euidenti emolumẽto venire certum est: adeoque & huic morem ab vltima antiquitate repetitum, hodie iure reuocatum celebrari. Et veteres quidem aquis thermarum & fontium medicatorum vsos demonstrant varij authores. Strabo quidem lib. 5. vbi describit Italiam, mentionem facit quarumdam medicatarum aquarum, vt Albularum & Labanarum quas in crebro fuisse vsu & potu ait, & insessione ad fugandos morbos: Ante autem dixerat in Cotiscolijs parùm procul ab vrbe reperiri fontem medicatum aquæ frigidæ cuius vsus fuerit & in potu & insessione ad morbos profligandos: Item in Pithecusis esse insulam quandam Aenariam vocatam à Plinio & nunc Ischiam vulgò, vt inquit Fallopius, in ea scatere aquas quæ erant in vsu ad comminuendos calculos & ad exturbandas arenulas ex vesica. Pausanias in Arcadicis dicit apud Cynethenses populos esse fontem medicatum Alysson vocatum, cuius aqua copiosè biberetur ab ijs, quos canis rabidus momordisset. Oribasius 10. Collectaneorum ad Iulianum cap. 5. ex Herodoti sententia mentionem facit potus aquarum quæ aliquando calidæ, aliquando frigidæ scatent. Scribonius Largus cap. 146. in vlceribus & humoribus vesicæ exhibebat aquam in potu, in qua sæpius extinctum fuisset candens ferrum; & hoc dicit se facere ad imitationem aquarum ferratarum scatentium in Tuscia. Plinio lib. 30.

Veteres bibisse aquas medicatas.

Albulæ & Labanæ.

In Cotiscoliis fons.

In Pitecusis.

Abyssos fons.

Aqua in qua extinctum ferrum.

Aq. ferratæ in Tuscia.

Aquæ aluminosæ & nitrosæ.

Aquæ ad affectus vesicæ.

Hemina quid.

Aq. Tuscinæ vesicariæ.

Aluminosæ ad elephantiasim.

Aquæ ad colicam.

Corsena aq.

cap. 6. nitrosæ & aluminosæ aquæ erant in vsu ad euacuanda corpora. Aëtius lib. 11. cap. 30. monet ex sententia Archigenis, vt in affectibus vesicæ exhibeamus aquas medicatas, & quidem prima die tres heminas (quæ mensura, inquit Fallopius est trium ferè librarum) deinde vsque ad sex heminas. Marcellus medicus ait aquas Tuscias ex argumento vocatas vesicarias eò quòd facerent ad affectus vesicæ inque magno vsu essent. Paulus lib. 4. cap. 1. contra elephantiasim exhibet in potu aquas aluminosas. Alexander Trallianus in colica affectione exhibet thermales aquas in potu tum vt euacuet, tum etiam vt calefaciat. Auicenna 3. lib. fen. 16. in dolore colico exhibet in potu tales aquas & 2. lib. cap. 59. ait aquas nitrosas in potu roborare stomachum. Fallopius cap. 25. de Corsena aqua apud Lucenses, habere sal paucum, nitrum copiosum, calcem duplo & triplo copiosiorem, & quamuis calidissimam, paucum adesse vaporem sulphureum notabilem, optimam ad cibaria paranda, ad diluendum vinum, & ad alios omnes vsus quos dulcis communisque aqua præstet. Idem, Vitruuium lib 8. cap. 3. scribere thermarum aquas in vsu ratione bituminis & nitri fuisse, assumptasque in potum copiosè, ad euacuanda corpora: & subiungit fuisse aquæ frigidæ genus nitrosum vt Pinnæ, Vestinæ, Cutilij, alijsque locis similibus quod potionibus depurgabat, per aluumq; transeundo etiam strumarum minuebat tumores. Galenum quoq; quarto de tuēda sanitate videri dicere, reperiri aquas aliquas bituminosas vel nitrosas quæ exhibebantur ad purganda corpora. Baccius lib. 5. cap. 13. Fontes qui ex naturali in venis suis admistione cum aliquo vapore vel vestigio bituminis, dilutas vnguine & nidore bituminis aquas producunt. probat etiam in potu: nec bibentibus adeo insuaues esse aut noxias, nisi quatenus caput nonnullis replent, lenemq; soporem eo nidore inducunt: quales nonnulli circa Baianum sinum fontes habentur. Idem lib. 6. cap. 13. In multis tamen aquis arsenici virus remittitur haud dubiè, seu aquarum ipsarum copiâ seu spacio diluatur, adeoq; nonnullæ pro medelis inoffensè sumuntur. Hypanis in Ponto fluuius (vt traditur) fonticulum ex Sandaracha recipit, quo amarulentus redditur, ad certum terminum. Alioqui dilutæ admodum ex Sandaracha aquæ thoraci purgando laudantur, purulentas excreationes inhibent, suspiriosis, anhelosisque auxiliantur. Talis fortasse aqua Zame in Africa, quæ (vt testis est Varro) canoram faciebat vocem, Item lib. 5. cap 6. In Baiano & Puteolano, multæ habentur ad vsum potionum medicatæ aquæ quas Iac. Elisius in re balnearia commemorat Giberosi aqua, Dirachulæ fons ex ære & sulphure, Nitrosa S. Georgij, Pugilli aqua, Succellaria, Suballia sapore brodij, Potulenta in Puteolanis, Cripta sapore dulci, Iuncaria, Fōtanella nitrata, Petræ aqua, Plaga aqua, Aqua S. Anastasiæ, Aqua horti Domini. Eodē authore l. 2. c. 11 medicatarū aquarū potus hodie in Italia est frequētissimus. Vbi apponitur qualitas aquæ & minera, quæ ita se habēt: eligendæ quæ nullam gustui qualitatem exhibeant, non quæ exactè nullā præ se ferant qualitatem, sed quæ neq; odore, neque sapore, neque tactu, neque vlla aliqua impressione excedant, aut certè parum ingratam alicui sensui qualita-

Aquæ bituminosæ & nitrosæ aduersus strumas.

Aquæ bituminosæ vel nitrosæ purgantes.

Aqua circa Baianum.

Qualitates exhibendarum aquarū per os.

Albulæ.

tem oſtendant: quales ſunt Albulæ, quæ iam ſapore ſubſalſo, ac lactei temperamenti, ſimileſque quæ ſe latè ad guſtum diffundunt, tenuium videlicet partium, ac modicè calidarum: vnde vim obtineant facilè penetrandi ac abſtergendi. Abſtergentia dicebat Galenus 5. ſimpl. cap. 10. modicè nitroſa ac amara eſſe conuenit vel etiam dulcia quæ tenuium partium ſint: quorum in cenſu mel experimur abſterſorium, terebinthinam, ſerum lactis, marinam aquam, & ſalis omne genus, Dioſcoride etiam teſte. Atque hæc circa qualitatem nunc dixiſſe ſit ſatis.

Abſtergentia quæ.

Mineræ aquarum obibendarum.

Quo ad mineram autem, nitri ſubſtantia in primis potulentis aquis maximè idonea eſt, & quæcunque miſti ſpecies, quæ ſeu primò ſeu ex accidenti nitri naturam participāt: Vt ſal, qui aridior nitro, vires abſterſorias aquis imprimit inſignes, ac ſeruat diutiſſimè. Deinde alumen, quod quanquam ſtypticæ ſit virtutis, in aliquibus tamen aquis ſoluta ipſius ſalſugine, vim vtique abſtergendi imprimit, vt ipſæ iam dictæ Albulæ planè oſtendunt. Aquæ verò per æneam materiam transfuſæ, & benè digeſtæ, pares non inueniunt in medicatis potulentis: ſubtilis admodum miſturæ partium, cum virtute mineralium ſubacuto: vnde facilè penetrant, ac egregiè detergent, deterſaque loca mediocriter corroborant: quales ſub Viterbio aquæ calidæ, limpidæ, & potábiles. Nam quæ craſſam ducunt ex æneis materialibus ſubſtantiam, quales in Cypro virides, acreſque, hæ verrunt erodunt que nimis, ac minùs tutò propterea vſurpantur. Quod idem in atramentoſis contingit aquis cinereiſque & calcinatis, & in nonnullis admodum ſulphuratis quæ ſunt ſiccæ & ſtypticæ. Alioqui ſulphuris vel potius vaporum ſulphuris aliqualis miſtura, haud inutilis eſt potulentis aquis, vt quas plerunque reddit actu tepidas, ac minùs ſtomacho ingratas. Quæ verò ferri qualitates concipiunt multæ, ob eandem acrimoniæ participationem qualemcunque pariter obtinent detergendi virtutem, ſæpe tamen languidam ob multam illius mineræ aſtrictionem. At vbi ferratæ aquæ ex accidenti miſtura acutiores in deterſione habentur, hoc magis laudabiles ſunt, quòd ſoluunt confortando, id eſt, quòd purgant quidem, ac refrigerant: & præterea (quod admodum vtile eſt ab euacuatione, & in euacuatione ipſa) purgatas exinde, ac laſſatas particulas mirificè corroboratas relinquunt. Quibus ſanè proprietatibus, quædam Sancti Caßiani balnea, & Patauina quædam, & Villa Lucæ, veniunt maximè celebranda: & item Porretana ex alumine. Satiùs verò eſt, ac multi momenti aquás ipſas experientiâ cognouiſſe, vt dicebat Gal. 5. de ſanitu. Quas enim in hoc, vel quocunque etiam mineræ genere inuenimus nimium ſtypticas eſſe, non admodum in potibus probandæ ſunt. Qualemcunque enim tergendi virtutem habeant, ſi quis fortaſſe aluo ſit durior, vel certè minùs diſpoſitus eas ingurgitet, multifariam lædi contingit.

Aq. æneæ.

Aquæ ſub Viterbio.

Aq. virides in Cypro.

Sulphureæ.

Soluentia cōfortādo.

Valde ſtypticæ damnantur.

Aquæ Admirabilis fontis Bollenſis.

Conſtat ergo ex dictis & alijs quæ poſtea dicentur, priſcis potum aquarum medicatarum in vſu fuiſſe: An autem aquas Bollenſes ſimiliter vſurpare liceat, præterquam quòd infinitis & quotidianis experimentis hiſtorijſque id abundè ſuprà eſt nobis comprobatum, illud quoque non parum momenti habet

quod mineralia per quæ transeunt, nihil in se noxij contineant. Ex ijs namque cùm primum sit bitumen, ab eo certè nobis non esse metuendũ ex Galeno, Paulo, & Vitruuio suffragantibus modò demonstrauimus. Habet & noster fons salem, cuius cùm quotidianus vsus non tantum non sit noxius, sed & sine eo nauseam alij cibi pariant, non possum Bollenses nostras salis participes à potu excludere.

Obseruanda & agenda ante aquarum medicatarum, vt Mirabilis fontis & noui Balnei Bollensis, vsum, siue in potu siue lauatione, deque temporis anni & aëris constitutione.

CAP. II.

QVemadmodum veteribus in vsu fuerint in potu aquæ medicatæ satis diximus, & quidem eò fusiùs, quo recentius putatur hoc quibusdam inuẽtum. De balneis verò notior est priscorum consuetudo. Quare longiore probatione supersedentes, lectorem ad classicos authores relegabimus, vt Galen. lib. 1. de simpl. facul. & 8 Method. & 1. ad Glauc. item lib. de tremore & palpitatione: quem secuti sunt Paulus Ægineta, Aëtius, Trallianus, alijque non tantum Medici, sed & Historici & Poëtæ qui ante Galenum claruerunt. At in vsu cautio est adhibenda. In obscuro enim non est, inquit Andernacus in præfatione libri sui de balneis, plerosque valetudinarios, qui temerè sine periti medici consilio quasuis aquas, tanquam salutiferam illam piscinam Bethsaidam diuinis præditam viribus accedunt, non speratam sanitatem sed nouos morbos prioribus deteriores, ne dicam perniciem ipsam domum reportare: præsertim cum illis abusi fuerint. Qui igitur statuent adire aquas medicatas & thermas ac ijs vti in potu & balneo aut stillicidio, consulant doctos medicos, quales multi sunt in ducatu Vvirtembergico & locis vicinis. Caueant ab impostoribus, qui medicinam iactant cuius vix principia degustauere: Bonis medicis indicent suos morbos particulatim: inquirant ab eis an Bollenses aquæ suis sint accommodatæ morbis, an bibendæ vel in ijs balneandum, aut stillicidio vtendum, vel omnibus tribus remedijs, quo tempore, quamdiu, quid sibi ante illarum vsum agendum, an purgandum, an detrahendus sanguis, qua victus ratione sit vtendum? Medici enim est periti & exercitati à teneris annis in medicina (ars enim longa, inquit Hippocrates aph. 1. vita breuis, experiẽtia fallax) dignoscere morbos & æstimare quæ cuiq; morbo, sexui, ætati ex vsu sint aquæ. Accidit sæpè vt complicati sint morbi, quorum vnius respectu prosit aquæ medicatæ vsus, alterius ratione obsit. Est etiam ipsius medici eligere tempus anni conueniens naturæ ægroti & ætati. Ipsius quoque est ritè præscribere purgantia, quæ præcedere oportet, & venæ sectionem, in quibus facilè grauis error potest committi tam propter genus purgantis quàm propter dosim. Considerent præterea ægri apud se an possint præscripta medicorum obseruare, & tamdiu apud aquas medicatas hærere quamdiu illis suasu medici ex vsu fuerit. Non enim sine periculo eiusmodi vsus suscipitur,

Ante vsum aquarũ medicatarum consulendi periti medici.

quin

quin absoluitur: nec periculo quoque vacat si prauè administretur: vt demonstrabitur inter abusus. Andernacus de balneis dicit, aquas interdum noxias cum pluuiæ circa ver continuæ durant, frequentes grauidarum abortus fieri, & arborum fructus corrumpi solere: hinc nonnullos grauia incommoda, nonnullos mortem ex illarum vsu incurrere, quemadmodum cùm alijs annis tum 60. in plurimis expertus est. Verùm id non vbiq; nec semper, nec omnibus accidere. Quin etiam venti septentrionales & imbres omnes aquas naturâ calidas vitiare, sed hos decem diebus potißimùm, illos tribus. Verno, inquit, vt temperatiore anni tempore tum potu tum balneis vtendum, nimirum mense Martio, Aprili, Maio: & autumnali vt Septembri & Octobri, præsertim in Italia & in alijs regionibus non nimium intemperatis. Apud nos autem (Argentinæ scribit) vbi cœlum frigidum, in vere, in Maio & Iunio &c. Caniculares ad Octobrem vsque. Verè idem dicit, Si menses prædicti à natura sua recedant & aquæ medicatæ sint iuxta altißimos montes sitæ, aut niuea montium cacumina aërem refrigerent, aut ipse medicatorum fontiũ ac balnearum situs, totauè regio septentrionali oræ pateat: ad meridiem verò montium altitudine & vicinia contegatur, aut ipsa regio septentrionalis sit, quæ omnia plerumque in Germania & alijs similibus plagis conspicari licet. tunc alij quoque menses vtiles sunt. Non enim hîc spectandum qui menses, sed quæ aêris temperies existat. Atq; tunc magis vsus illarum erit, cum aër temperatus euaserit: etiamsi talis in diebus Canicularibus inueniatur. Si non conceditur aër temperatus, aquam in conclaue calidum quotidie deferre consilium est: atque ita etiam nonnulli media hyeme balneis feliciter vsi sunt: quamuis laudabilius lauacrum sit, quod aëri expositũ est & solis radijs perlustratur, cuiusque vapores foràs exhalant. In hoc enim lauantes liberiùs trahunt spiritus & minùs capite offenduntur. Vbi autem craßi & nebulosi vapores balneas perpetuò obsident, vt in Fauorinis apud Rœtos, mirum est quàm cerebrum turbent & sensus obtundant. Cum dura vrget neceßitas, nullum anni tempus ad lauationẽ refugiendum est. Nam aquæ medicatæ tã hyeme quã æstate vires suas cõseruant. Sin autẽ aër ambiens sit frigidor humidiorq;, igne in cõclaui excitato, ad mediocritatẽ vel calidior fieri potest. Hæc ille. Sũma est: Cũ ex aquis medicatis aliæ frigidæ emanent, aliæ calidæ, illarũ tẽpore frigidißimo, harum calidißimo vsu interdicunt: Quare potißimũ ver eligunt, frigidis per Caniculares æstus etiam vtuntur. Et hæc quidẽ apud plerosq; sentẽtia obtinuit. Ego verò cum Andernaco aquã mirabilẽ fontis Bollensis nõ vererer præscribere ad balneum tempore hyberno, summa neceßitate id requirente, cum præsertim aër frigidior corrigi poßit: nec aquæ ipsæ minerales, si non confusa aqua pluuiali aut niuosa cõficitur, minores per hyberna frigora habeãt vires; imo maiores poßideant, si Georgij Morelli de aquis medicatis agri Patauini, sententiæ standum est. Quid ergo tam suspectum reddat per hyemem balneorum vsum? Certè ambientis iniurias excluserit hypocaustorum multorum magna cõmoditas, quæ Il. F, C. curauit ædificanda, per quæ tum contemperari potest aër

Aliquando aquæ medicatæ insalubres.

Tempora cõmoda jis qui balneare studuerunt.

Quidã feliciter media hyeme balneis usi.

Aquæ medicatæ suas vires seruãt hyeme & æstate.

tum ægri tutiùs possunt in hoc Mirabili balneo lauare, potissimum ij qui raræ sunt texturæ, delicatuli, defluxionibus & affectibus pulmonis obnoxij, quàm in thermis Plumarijs, vbi interdum mense Maio & æstate ingens subitò exoritur frigus, non tecto interea balneo nec locis accommodatis: quod posset tamen caueri facilè vt ægri commodè balneare queant frigore ex improuiso superueniente: multò meliùs etiam quàm in balneis Griesbachianis & alijs multis. Aestatem in vsu balnei medicati Bollensis non reformidem quoque, quia tractus ille minùs calidus & temperatior, quod ad calorem attinet, quàm Italia: adeò vt quæ hîc æstas est, ver dici queat multorum locorum Italiæ. Adhæc aquæ Bollenses non videntur ita siccæ aut calidæ potentiâ vt sit verenda æstas: & cum actu calidæ non profluant, potest aqua minùs calefieri, ægri possunt minus diu balneare, quò meliùs ferant, nec resoluantur: Sub tecto balneant, quòd æstiuos soles excludat: post pastum sunt vicina loca vmbrosa vbi se recreare & refocillare poßint. Loci denique oportunitas, qualem exigit Fallopius, dum vult eligendum non obnoxium pluuijs, non ventis, remotum à lacunis seu paludibus, & solium tectum. Si qui autem vaporum densam verebuntur caliginem siue ex suo, siue aliorum lauantium solio, quippe quam perferre nequaquam poßint: ij, nisi sumptu terreantur, facilè huic malo prouidebunt, si cupas seu baptisteria in priuata sua cubicula translata, diligenter vndique peripetasmatis tegant, exserto duntaxat capite, collo linteis & cortina munito ne vaporum iniuriam sentiat. Si etiam refrigescat aqua, calidam occulto infundibulo, nec per cubiculum diffusus vapor caput repleat, affundant. Posset etiam totum balneum cortinis, ad instar castrensis papilionis, obtegi, ex cuius fastigio prodeuntes tubi per patentem fenestram fumos foras conducant, non secus ac in caminis videmus: cuiusmodi etiam tubulo laternis conclusum lumen à fumis expurgari apud mercatores quosdam aliquando conspexi. Atque hæc quidem mihi de Bollensium balnearum vsu superioribus consentanea dicta sunto.

Vapores lauando quomodo arcendi, ne lædant caput.

De præparatione aquarum medicatarum vsui præmittenda.

CAP. III.

NOn ante topicis esse locum remedijs, quàm vniuerso corpori generalibus præsidijs sit prospectum in confesso est apud omnes, & ratio suadet: alioquin enim pleno corpore adhibita fluxiones maiores in partes concitant iã ante imbecilles & morbo labefactatas, ex quo fit vt non tantùm optatum finem præpostera curandi ratione instituta minimè consequamur, sed & geminato morbo maius ægroto malum creemus. Iam verò aquas medicatas in localium numero esse, tum potu, tum maximè balneo vsurpatas, notius est, quàm vt pluribus probari debeat. Quare nemo nisi debita præparatione præmissa, audeat se aquis committere. Cæterum præparatio duplex est, vna quidem

in corporis totius mundatione, altera in partium imbecilliorum meatibusq; excipiendis humoribus aperiendis. Quod ad purgationem, ea necessariò præmittenda semper in canonico aquarum vsu, tum vt viæ reserentur, tum vt crassiores materiæ educantur: Nam cum omnes aquæ naturales aut frigidæ sint, aut calidæ: hæ quidem etsi vacuant, non tamen potenter, nec subitò, adeò vt illuuie in corpore relicta nec priùs expurgata, futurum sit vt earum vis obtundatur nec speratus euentus consequatur: Illæ verò multò ignauius expurgant, vnde vel idem vel maius periculum metuendum, ne videlicet in cœno fæcum restagnans aqua visceribus inexpiabilem noxam inferat. Nec obstat, quod quibusdam rectè cesserit temeritas, qui nullo præmisso cathartico balneis se commiserunt: rara enim hæc fœlicitatis temerariæ exempla, artis iusta ratione constituta theoremata nequaquam debent infringere. Quanquam interim minore periculo bibituri quàm balneaturi, purgationem possunt omittere interdum. Si enim aquæ salsæ fuerint, teste Montagnana cons. 303. tract. 2. illæ ipsæ vi detersoriâ pharmaci neglectionem suppleuerint: neutris tamen consuluerim pharmacum contemnere. Probo igitur Andernaci consilium, Æger, inquit, antequam ad fontes proficiscatur, expurgari domi aut in ipso loco vbi scaturiunt, debet: per initia quidem medicamento leui, quod primas venas euacuet, quale est Cassia fistularis cum Anisi & Zaccari momento, aut Manna, aut Benedicta, aut Catholicō aut Electuarium mistum ex Benedicta & Diasebesten, vtriusque semuncia, aut syrupus noster Diasereos cum aqua adianti pro periti medici iudicio. Hæc ille. Cæterum nos plures purgationum formulas hîc non proponemus, quia medicorum peritorum est ea præscribere pro naturâ ægrorum & genere morborum. Eæ enim non possunt ita tradi vt indiuiduis conueniant. Sparsim tamen quædam proponentur vbi de morbis particularibus fiet mentio. Porrò præparationis quoque vniuersalis pars est in sanguinis detractione, quam malim sequi purgationes, quàm præcedere, atque etiam probo in nostris Germanis ei assuetis. Nolim tamen balneaturos lauaturosque aut bibituros aquas medicatas temerè sine consilio medici, id remedij genus tentare ex sua vel ignarorum Chirurgorum, aut Pharmacopœorum, vel Chymicorum opinione: qui plerunque in affectibus tibiarum ex ipsis tibijs solent, magno cum ægrorum detrimento, sanguinem detrahere.

Purgatio ante vsum aquarum medicatarū

Purgantia.

Venæsectio.

Altera præparationis pars propiùs iam balnei vsum attingit: Summo mane inquit Montagnana, surgat qui vult balneare, & ambulet per horam semis, donec emiserit vrinam & fluxerit aluus: si non fluxerit aluus, vtatur suppositorijs (de quibus pòst) mungat nares, abluat os, pectat caput. Deinde obseruet, inquit Fallopius, an ventriculus sit vacuus à cibo. Nam, vt ait Herodotus, à medicamētis istis validis solent nasci nocumenta magna, si eis vtamur nondū peracta prima concoctione. Atq; vt maiore cum fructu ægrotus balneum experiatur, Laconico seu vt vulgò vocāt sudatorio, suadet Andernacus cutis meatus aperiendos, vt aqua faciliùs ad interiora penetret. Quibus peractis, tēpore quidē calido, horas

Præparatio paulò ante ingressum balnei.

Laconicum ante balneum.

Quibus horis diei lauandum.

eligat diei remißiùs calentes, quales sunt matutinæ & vespertinæ, Tunc enim minùs existimantur corpora resolui, minùsq; debilitari: cum aliàs ambientis calore aeris cum ea quæ aquarum est iuncta, nimium corpus digeratur exhauriaturque. Sed nec summo manè, etiamsi frigus eius tale quid suadere videatur, descendendum in solium, donec à nocturnis vaporibus expurgatus fuerit aër, id quod duabus ab ortu solis horis fieri assolet, plùs minùs pro regionum varietate. Si hepar & renes calidiores. *Si cui autem calefaciendi ventriculi causâ in solium descendendum est, cui hepar vel renes calidiores timorem supercalefactionis inuehat, consulit Fallopius inungi ante ingressum balnei, cerato myrtino vel rosaceo, vel vng. sandalino vel comitissæ.* Vẽtriculus quomodo præmuniẽdus. *Si balneo refrigerante vtendum propter caliditatem hepatis alteriusué partis, etiã præmuniendus ventriculus cerato Mastichino vel Spicato hoc est facto ex oleo spicæ & cera, vel inungatur cerato mastichino vel oleo de spica cum quo mixta sint aromata. Quibus partibus vbi fuerit prospectum, capitis quoque erit habenda ratio, quod, ne vaporibus repleatur, erit optimè muniendum.* Paulatim descendendum in solium. *Tum verò indita manu in aquam calidam consideret an balneum pro sua natura non sit calidius vel frigidius: si comperiat secundum suam naturam dispositum, ingrediatur balneum, & vt vult Fallopius, sensim descendat, non præcipitet. Vidi enim plures, inquit, qui balneum non potuerunt ferre si superabat regionem diaphragmatis, assuescat paulatim balneo. Omnes enim mutationes subitaneæ periculosæ, teste Hippocrate. Quare vt prudenter etiã monuit Andernacus, lentè in lauasrum descendat, eique primis diebus non ita calido siue naturâ siue manufacto ieiunus ad vmbilicum, si inferiores partes laborant, insideat: Sin autem mediæ aut supremæ, ad ceruicem vsq; demergatur ad dimidiam circiter horam aut paulò diutiùs in eo perseuerans.*

Quot horis, quot diebus lauandum: quibus signis cognoscatur posse laborantem cum fructu solium perferre: quo argumento sufficienter lauisse, déque lauantium eruptionibus.

CAP. III.

Quot horis lauandum.

MEdicorum ægris aßistensium officium est, particulatim ijs præscribere, quot horas quotidie sit in solio desidendum, quot etiam diebus balneo sit vtendum. Quod, vt rectiùs fiat, considerabunt, vt ait Fallopius, ætatem, tempestatem, habitum, vires, temperaturam & similia. Eidem consuetus dierum numerus balneandi est ad quindecim: præcipuè si aquæ fuerint valdè calidæ: si verò mediocres, ascendimus vsque ad viginti vel ad viginti quatuor: si adhuc imbecilliores, vsque ad triginta dies. Non est determinatus dierum numerus balneandi: consideranda natura aquæ, & morbus. Neque enim omnes morbi sunt pariter rebelles, vires etiam ægri & commoda quæ æger consequitur ex

balneo: si appareat sanari morbum, pergendum donec curetur. Sunt qui vtuntur ad quadregesimum vsque. Quod moram attinet in aqua, aliquæ aquæ requirunt longam, aliquæ breuem: in aquis frigefacientibus mora conueniens trium, quatuor, & quinque ad summum horarum, sed nunquam supra quinque est in balneo morandum: idem in tepidis : Ita solent facere qui vtuntur balneo dicto de Aquis quod balneum, vt ipse Fallopius ait, est in Pisano agro cuius aquæ tepidissimæ, licèt sint qui dixerint constare ferro, alumine & ære, sola aqua potabili constant, quæ habet sedimentum quoddam arenosum, quale reperitur in omnibus aquis dulcibus simplicibusque. Ingrediuntur igitur hoc balneum mane & ibi manent tres quatuor & aliquando vsque ad quinque horas, totidem etiam vesperi: quod idem potest fieri in alijs eiusmodi aquis: quia longa in ipsis mora nullum (cum frigidæ sint) affert incommodum. Sed in aquis calefacientibus mora est horæ vnius cum dimidia vel duarum ad summum, si habitus corporis sit frigidißimus. Mora balneandi, vt inquit Antyllus, diuidenda in tres partes, & sensim procedendum in mora, quousque deuentum sit ad summam moram: illuc vsque cum peruenerit æger, sensim retrocedendo minuat moram, donec redeat ad primam. Exempli gratiâ: si æger vult vti quindecim diebus balneo, prima die manebit in eo dimidiam horam, secunda die paulò plùs, & sic augebit singulis diebus quousque deuenerit ad sextum diem, quo morabitur horâ cum dimidia, & in hac mora perseuerabit vsque ad decimum diem, postea incipiet retrocedere. Hæc ille. Montagnana meritò censet diutiùs manè balneandum quàm à prandio. Quoniam autem mirificè mihi placent quæ noster Germanus Andernacus scripsit de mora in balneo, ea subiungam. Prima die demergetur ad dimidiã circiter horam aut paulò diutius quàm antea, nempe horam integram, aut sesquihoram immorabitur. Altero die eodem tempore matutino balneum accedet eique paulò calidiori ad stomachi regionem vsque immergetur, & horam integram aut sesquihoram immorabitur. Tertio die eodem tempore, balneis adhuc calidioribus insidebit, & tot horis quot nimirum vires tolerare poterunt, continuabit. Aduertendum autem calidos, raros, imbecilles vel ab origine vel à morbo, macilentosque diu balneis insidere nec posse nec debere. Frigidos autem, benè habitos & fortes diutiùs: mulieres diutißimè: nempe in aurora horis tribus aut quatuor, quod etiam satis esse iudico, sicut prioribus horam dimidiam aut integram aut summum sesquihoram: alijs duas aut plurimum tres mane, vnam vel duas vesperi, balneis insidebunt. Sic tamen vt quatuor, aut quinque, aut sex, aut septem, vbi natura tardiùs concoquit, aut multum cibi ingestum fuit, horæ à prandio ad vespertinum lauationis tempus intercedant. Hactenus ille. Nolim tamen ægrum in principio sibi quasi vim inferre & necessitatis legem imponere ad moram horæ semis, vnius vel duarum, vtque in balneo maneat donec se imbecillem sentiat Hoc enim si fiat, labuntur vires, resoluuntur spiritus, & humidum radicale, vt ait Montagnana, potißimùm si qui naturâ sint calidi, raræ texturæ, & sanguinis subtilioris, & vel naturâ vel per accidens debiles: quo fit, vt

Balneum de Aquis in agro Pisano

Sedimentũ arenosum in omnibus aquis dulcibus.

Tẽpus manendi in Balneo.

Diutius mane balẽneandum quàm à prãdio.

Mora in balneo ex Andernaco.

Qui diuturnam morã in balneo ferre non possint.

In principio non manẽdum in solio ad imbecillitatẽ.

viribus ita redditis imbecillioribus, plus damni adferatur, quàm commodi: nec deinceps benè ferat balneum, naturâ minùs robustâ ad noxia pellenda, quæ adiuuanda erat potiùs vsu balnei. Optimè igitur Andernacus, Infirmi naturâ vel morbo non parum periclitantur, si diutiùs quàm par est balneo insideant. Satius enim est antea exire quàm omninò deficere. Quare numerus horarum à me propositus vnicuique pro sua natura & statu faciet satis, nisi forte aliquid superuenerit, quod vel abstinendū in totum à balneo, vel paucioribus in eo residendum horis, vel semel tantum lauandum in die suadeat, vt omnibus etiam imbecillis consulo. Porrò cognoscetur an balneum sit profuturum si venter statim primis diebus spinam versus contrahatur: sin autem infletur, aut torminibus affligatur, inutile erit, sicut etiam si quis in primo ingressu vri & rodi intus videatur, deinde horrere incipiat. Quot diebus autem in totum balneis citra potionem vtendum sit, certò præscribi nequit Nam aliæ alijs efficaciores: Deinde hi diutiùs, illi minus in eis perseuerare possunt. Quæ naturæ calidæ sunt, citiùs vires suas corporibus insinuant: quæ igne calefiunt tardiùs. In Germania medici ægris alijs octoginta, alijs nonaginta, alijs centum, alijs plures lauationis horas imperant, cum tamen ignorent quot quisque ferre potuerit. Sauanarola meminit quosdam suo tempore menses duos & plures balneis vsos fuisse, indubiè paucis quotidie horis. Sunt autem qui tunc à balneis abstinendum esse doceant, quando cutis ex facultate illarum nimirum ex sale vlcerata, rursus consanuerit: quanquam inueniantur qui bis aut ter exulcerentur, conualescantque: Alij verò ne semel quidem, sed materia in his paulatim per meatus degeritur, quod indubiè pro corporis habitu siue raro, siue denso, siue mediocri accidit. Nō mirum est eos qui iuxta fontium venas calidißimas per totos aliquot dies & noctes resident, statim exulcerari Non est facultati ac laudi balnearum quarumcunq; cutis erosio exulceratioq; tribuenda, sed potius acrimoniæ salis ac nitri quæ in eis continentur. Si eiusmodi aqua medicata bibatur, cutis multò faciliùs exulceratur adhuc recens & mollis, siccata iam rursus per se consanescit. Valdè igitur errant qui tamdiu lauandum esse censent, donec cutis erodatur. Non est expectanda exulceratio, vt paucis diebus curatio absoluatur, cum non sine periculo fiat, præsertim in ijs qui corpore tenui, vel non satis purgato, sed cibis etiā in balneis assumptis pleno adeò continenter eis insident. Certius signum curationis in balneo absolutæ est, si corpus meliùs quàm antea habere cœperit, & functiones naturæ vegetiores existāt. Nam qui non adeò multis recrementis humorum redūdant, & probè antea purgati sunt, decentiq; victu vtuntur, eorum cutis nō tam facilè sicuti aliorum, qui contrario modo se habent, rubescit eroditurq;, nisi violentâ illâ & continuâ lauatione vim naturæ intulerint. Quanquā nonnulli ne sic quidem cutis ruborem contrahunt, sed mortem potius sibi accelerant, vel tantam viscerum imbecillitatem accersunt, vt nunquam ea ad pristinum robur restituere poßint Fateor quidem exulcerationem illam ex balneis contractam ægris nonnunquam commodi aliquid adferre, sed id quoque citra illam euenire potest Hæc ille Ego sanè obser-

Quomodo cognoscemus proficere balneū

Quot diebus in totū sit balneandum præscribi certò non potest.

Error quorundā medicorum Germ.

Mora per plures menses in lauacro.

Exulceratio cutis.

Nō semper expectāda cutis exulceratio.

Quidā mortem sibi accelerāt, aut insigniter nocent.

uaui nostros Germanos solere plerunque ab vsu balneorum, etiam dulcium aquarum, incidere in eruptiones, rubores, exulcerationesuè cutis, idque crebriùs alijs nationibus: Causas esse puto iam ab Andernaco aßignatas, morā diuturniorē in ijs, quòd non ritè repurgentur, quòd multū bibant & comedant dum lauant. In mirabili balneo Bollensi obseruaui quibusdam cutem non exulcerari, alijs citò & aliquoties erumpere. Existimarim illos qui sudant facilè, minùs eruptionibus obnoxios: nec verò præcipuam causam attribuerim eruptionis, mineralibus vim suam imprimentibus aquis medicatis: quamuis non dubitem etiam iuuare & augere Quicquid sit diuturna experientiâ cōstat eos qui exeunt ex balneo, cum prodire volunt eruptiones, vel cum prodiere, aut vlcerationes in totum nō sunt curatæ, sæpe in graues incidere morbos: id quod ipsemet etiam in meipso obseruaui ab vsu balnei acidularum S. Petri in valle Griesbachiana. Cùm enim ob vlcus renis, aliquamdiu bibissem acidum fontem copiosè mane ieiuno ventriculo, ac ante cœnam, & pro quotidiano potu benè priùs repurgato corpore tū per cathartica, tum etiam per aquæ potum & sudores, volui quoque experiri lauacrum: quod cum tardiùs incepissem, & tanto tempore non possem ferre lauationem, quanto perferebat Il. meus Princeps (qui feliciter eas aquas bibit inter cibos loco potus, ascenditque balneando ad 12. horas, cum incepisset ab hora semis, & ita paulatim iterum descēdisset) atque E. C. absoluisset balneum, ritè curatus ab exulceratione: ego qui incipiebam nonnihil exulcerari, nolui remanere in balneo sed eum sequi (licet ille pro sua summa clementiâ vellet me remanere) incidi in grauem morbum. Consilium igitur meum est, vt post eruptionem balneēt adhuc, sed non diu maneant in lauacro, nisi cogantur, vt sæpe vidi coactos ob ardorem & pruritum: Continuent autem per paucos dies balneū paulatim desistēdo, donec in totum curata cutis suo nitori restituatur. Non loquor hîc de ijs qui ob magnitudinem morbi diutius coguntur balneare, & aliquot eruptiones aut exulcerationes ferre, quæ non toties euenirent, meo iudicio, si nō ita violenter præter omnem rationem lauarent, & tamdiu in lauacro, vt faciunt nostri Germani, manerent. Pro colophone huc non videtur mihi malè conuenire historia notatu digna ex Morello de aquis medicatis Patauinis. Retulit Chirurgus quendā rusticum mense Decembri tum paupertate tum ingenti frigore cum se videret circumseptum, fame potiùs quàm frigore emori sibi induxisse. Quamobrem in Aponense balneum ægrotorum ingressum, in eo die noctuque ad mensem Iulij remansisse Cum autem vellet exire è balneo, maximis doloribus excruciabatur ita vt se mori clamaret: dormiebat in balneo, bibebat ex ea aqua, panem in ea madefactum comedebat. Tandem mense Iulio, cum maximi æstus extarent cum cœpisset paulatim exulcerari, demum euasit omnino & sanus remansit. De quodam alio etiam retulit qui per quatuor menses pariter in eodem balneo commoratus est. Hæc ille.

Cur Germani faciliùs habeāt eruptiones.

Periculosū desistere à lotione cū cuti imminent exulcerationes vel rubores.

Acidę Griesbachianæ.

Il. E. C. Vvirtemb. balneauit ad 12. horas.

Grauis morbus ob exulcerationē cutis nonnihil, suppressam.

Ab eruptione non diu hærendū in balneo.

Historia cuiusdam qui ingressus balneū Aponense vitādi frigoris ergo, in eo mansit per menses 8.

Historia alia cuiusdā qui per 4. mēses moratus in balneo.

Quid agendum iis horis quibus non lauatur, vt in exitu & à cibo: quando prandendum, cœnandum, redeundum ad balneum: deque somno obiter.

CAP. V.

Absterſio. *BAlneis egreſſus æger, in tepidario calidis linteis aut ſpongijs ſiccis abſtergi curioſeque veſtimentis inuolui debet, vt frigus ad eum non aſpiret: Deinde verò in conclaui & lecto calido à ventis & aëre tuto, ad horam decumbet, ſudabitque, ſi natura ad id abſque multis & grauibus operimentis procliuis eſt, ſomnumque breuem, ſi volet à ſudore captabit, non antea. Etſi verò hic etiam non ſuperueniat, tamen æger per id tempus quod dixi, in lecto conquieſcet: inde ſudore, ſi erupit, linteis abſterſo totum corpus fricetur, præſertim reſolutis. Ante omnia verò caput exſiccandum eſt, vt quod plurimum offendatur, ſi recrementa eius ob cutem obſtructam, non euaporent. At ſi frictiones ob dolorem aut vlcera fieri nequeant, glans ſubijcienda eſt: Indutus iterum veſtimentis in aërem temperatum & purum egredietur, donec iterum refrigeſcat paululum, aut in conclaui modicè ambulabit, vt flatus & vapores ex calore balnei contracti diſcutiantur. Hæc Andernacus, & rationi & Montagnanæ inſigni & celebri medico conſentanea: cuius in conſilijs Tract. de Balneis, lauacro vſis præſcriptio eſt, vt exeuntes è balneo caueant ab aëre ambiente frigido, muniant ſe benè veſtimentis, & in lectum ſe recipiant: in eo quieſcant ad minimum per horæ quartam partem, benè tecti, non tamen nimium, ſi oriatur ſudor, admittãt, poſtea abſtergere curent corpus, & eo abſterſo parum iterum quieſcant minus cooperti. Non comedant nec bibant donec corpus calorem habeat temperatiorem, deambulent parum ante cibum: qui non poſſunt deambulare, vt artritici paralytici & debiles, curent inſtituendas leues frictiones artuum. Si balneantes ſe imbecilliores ſentiant, dormiant per horam inter meridiem & cœnæ tempus.*

[Margin notes: Sudor. — Frictio. — Glans. — Cauendũ in exitu balnei ab aëre frigido. — Frictiones. — Somnus inter meridiẽ & cœnæ tempus.]

An vno eodemque tempore tum potu tum balneo aquæ medicatæ ſint vſurpandæ? an in cibariis liceat aquis medicatis vti? an cum balneo iungendus vſus cucurbitularum?

CAP. VI.

NVm potio aquæ medicatæ in totum ſit abſoluenda, & deinde in balneas deſcendendum: an alternis diebus aqua medicata bibenda alternis lauatio ſit tentanda, tres ſunt medicorum ſententiæ. Quidam affirmant aquam primùm diebus aliquot ſuccedentibus bibendam eſſe: quidam hoc die potandam, altero in ea lauandum cenſent, vt ſex diebus ter aquæ potio, terque lauatio adhibeatur. At ſi morbus longior fuerit, diutius aquam bibendam & etiam in ea lauandum dictitant. Mihi placet vt aqua priùs purgandi corporis gratiâ bibatur vel ſex vel ſeptem, vel 10. vel 15. vel pluribus diebus pro morbi conditione: deinde

[Margin notes: Variæ medicorum opiniones. — Purgatio per aquam.]

etiam lauetur totidem aut pluribus, & si morbus externa potißimum affligat, vt citra potionem balneum adhibeatur. Imbecilles qui aquæ potionem desiderāt, tertio quoque die vel pluribus, vel duobus continuis eam bibendam, tertio conquiescendum esse censeo, & in eo clysterem ex illa confectum, sicut monui, iniiciendum, qui sæpe plus quàm potio aquæ proficere solet. Germani nostri cum φιλόλουτροι sint, balneis magis vtuntur, siue morbus interiora, siue exteriora corporis membra obsideat: & si quando bibunt, accidit in balneis magno errore & incommodo. In Italia plerunque aliam aquam medicatam bibere, in alia lauare solent, eò quod hæc magis potui, illa balneis accommodata sit: verbi gratiâ, si potionem sumat æger ex aqua Villensi, balneum ac lauationem in aqua Corsena absoluat, Andernacus. Idem, Solent hodie medici Vindelici ægris suis præcipere, vt primùm Syluestribus vtantur aquis ad dies 15. deinde ad Cellenses se conferant, ibique tam diu lauent, donec curationem absoluant: quod sanè consilium nō improbarem, si Syluestris fontis aquam priùs pro natura morbi biberent, deinde in Cellensibus lauarent: Sin autem lauare tantum ægri vellent, vt tunc vbi lauationem incepissent, in iisdem quoque hanc absoluerent. Iac. Theod. vulgarem, antiquam, malam, & nocuam esse consuetudinem acidos fontes bibere & in iis balneare: id etiam fieri apud fontem acidum Göppingensem ac plures lædi quàm iuuari. Probo sanè Andernaci methodum vt purgato corpore bibantur medicatæ, nisi quis velit ante purgationem, loco syruporum præparantium mediocri quantitate per dies duos tresuè calidam mane bibere: postea purgationem cum aqua medicata sumere: deinde euacuato corpore iterum bibere copiosam aquam ad educendos, si commodè fieri potest, reliquos prauos humores per aluum, vel per vrinam aut sudores quò apparebit naturam inclinare. Quò enim natura vergit inquit Hippocr. eò ducere oportet. Si cura morbi per sudores non fuerit absoluta, licet postea balneare, sed non tot horis ac diebus ac si non fuisset vsus potu ad sudores: nec etiam, vt verum fatear, improbo potum aquarum ad sudores mouendos in quibusdam morbis per aliquot dies post finitam lauationem aut parū quotidie circa finem lauandi. Denique vt dicam quod sentio, summè displicet ægros in ipso lauacro dùm balneant bibere, ac vt hoc etiam obiter dicam comedere, licet viderim medicos quosdam doctos in thermis Plumariis permittentes vt suis ægris exhiberetur potus aquæ medicatæ vel etiam vinum. Meis ægris, in quibus mihi opus videbatur, & potißimum iis qui difficulter sudabant, ego in exitu balnei magnum haustum ex latice fontium desumptum quàm calidißimè fieri poterat exhibebam in lecto ac ipsemet quoque sumebam: Et certè mihi qui habeo ventriculum valdè frigidum & imbecillem cum calido hepate, admodum conferebat: nec non Dominæ meæ quam ad thermas illas deduxeram. Opinioni Baccii lib. 2. cap. 10 accedo dicentis.

Clysteres ex aqua medicata.

Aqua Villensis.

Aqua Corsena.

Aquæ syluestres.

Aquæ Cellenses.

Mala consuetudo eorū qui bibūt aquam acidam & balneant.

Potus aquæ loco syruporum.

Purgatio per aquas medicatas.

Quidam in ipso balneo dant aquas medicatas.

Dari potest aqua medicata in exitu balnei in lecto.

Consulit Montagnana Medicus suo tempore illustris, ac balnearum admodum industrius, dum patientes quidam balneo vtuntur, aquæ eiusdem balnei cyathum, ante ingressum aluei præsumendum esse: vt cuius virtus quasi altera

Mōtagnana notatur, quia bibi ante ingressum balnei.

manus ad extrinseca exprimat. Idque specialiter in Ascite, in Asthmate, & in Empyicis, quanquam mihi non admodum laudatur. Ad summum verò si cui potu, & lauacro, vtendum sit, is per plures dies antea bibat, & postea lauet, non è contra: ex potu enim purgatio ferè intelligitur: ex balneo autem alteratio, rectificatióque & confortatio membrorum. At hoc inter prima Medicinæ instituta est, purgari priùs debere corpus quàm alterari, & confortari. Sunt tamen, qui vel ex forti naturæ robore, vel ex consuetudine, ab antelucanis potionibus, lauatione quoque eadem die vtantur. Quod perperam fit: cum ad minùs alternandi essent dies. Sic enim trahitur natura cogitúrque ad contrarios motus, à centro scilicet ad circumferentiam, quos difficile valet simul tolerare. Galeni quoque authoritate in eodem Aphorismo. V. Sect. IIII. Balnea (inquit ipse) calida obsistunt purgationibus, & tunc præcipuè cum vehementioris extiterint caloris. Et præterea quoniã multa per noctem solet fieri vrinæ emißio, quæ vespertino balneo impediretur. Huic affinis est quæstio nobilis altera, an in cibarijs liceat aquis medicatis vti. Damnat Baccius l. 2. c. 19. d. Abusus insignis peruulit est, aquas medicatas in potibus ac cibarijs vsurpare: non erat apud antiquos, sed nostri seculi inuentum, & (vt quisque decipitur specie recti) ob duas causas Vna quidem est saporis illecebra, ob quam aliqui eas cum vino temperãt, bibuntq; suauiùs, vt vsu venit de quibusdã Acidis ad vrbem Romã, de quibus mox paulò dicemus. Altera occasio ex vulgari fama sumitur, cùm quæpiã balnei aqua perinde solet in suauitate saporis celebrari, ac si simplex esset, & potabilis, cùm non sit: haud enim id absolutè intelligendũ est, ac minùs vsu recipiendũ: sed ad respectũ duntaxat cõpositarum illarũ, quæ planè aut in sapore, aut in odore quampiã præ se ferunt insuauitatẽ, eatenus suaues sunt intelligendæ, non tamen dulcibus cõparandæ. Quo nomine celebrantur in Puteolanis permultæ aquæ: Fontanalis in primis dicta aqua, Crypta item, & Iuncaria, & aliæ, quæ ibi nitratæ sunt, ac bituminosæ mistura. Aliæ & in Baianis, quæ cũ videantur non adeo differentes à simplici aqua, sunt omnes tamen plus aut minus compositæ. Salsæ sunt Aquarij aquæ quanquã eas alioqui vsurpent in cibarijs. In aquis ad Borbonium Ancerici in Gallia nihil adeo inamœni saporis reperitur & cum in edulijs conficiendis vsurpentur, cæterũ sunt altera Bullicanũ, & sulphuratissimæ. Tales perperã vsurpantur in Hispania ad Orensem ciuitatẽ, cum tamẽ ex minij mistura ac sulphure, sint admodum calentes. Acidæ omnes, quas hodie Romæ permulti sanè viri illustres cum vino bibunt, ex communi consensu chalcanthum obtinent, vel salis quidpiã, vel cineris, vel aluminis Sunt enim acido insigni sapore, ac linguã suctu quodã carpunt, & relinquũt decoctæ in vase albißimi pollinis speciẽ gypsi, aut calcis instar salsiusculæ. Quanto autẽ versentur in errore hi, qui vtcunq; medicatis abutũtur aquis, duabus potißimũ rationibus demonstratur: primò, quia aquã, quæ mista est, vsurpãt pro simplici: deinde rem quæ est medicamentũ, vsurpãt pro alimẽto, & iã scimus quòd medicamẽti substãtia cũ non poßit à natura digeri, necesse est vt in malũ conuertatur humorẽ, qui plurifariã posteà sese exerit noxius. Cui periculo argumento esse possunt pluuiales illæ aquæ, quæ cum ex tonitru pluerint,

Præcedat potio propter purgationem.

Potio & lauactrum eadem die nõ instituatur.

Baccio non bibendæ aquæ medicatæ cum cibis.

Acidæ ad vrbẽ Romã.

Aquæ Puteolanæ.

Aq. Borbõ.

Aq. Orẽses.

Acidæ Rom.

aut per tegulas excolatæ sint metallicas, acrē quandā potuerint cōcipere qualitatē, ob quā æstuosæ, ac noxiæ stomacho, & intestinis, ab vniuersa Medicorū schola dānantur, non sine dysenteriæ aut inflāmationis alicuius viscerū periculo his, qui eas sumpserint. Multo ergo magis damnandæ veniūt potibus sponte manātes aquæ quæ manifestā ex natura alicuius mineræ mistura conceperint, quæ omnes siccāt, ac aliquā idcirco obtinent medicamentariā qualitatē. Porrò constat Alimenti, ac Medicamenti esse oppositā rationē, etiā in vsu aquarū ipsarū. Sane aquæ balnearū, vt sunt omnes quoddā medicamēti genus, operantur, tū quantitate ipsa qua ebibitæ cōprimunt ad excretionem, tum qualitate, quam obtinent, absterfiua: quin natura ipsa cooperante detrusæ, interna quæcunq; trāseunt mēbra expurgāt omni excremēto. Contra verò accidit vbi aut in cibarijs, aut in potibus sumendæ veniūt: nā ob modicā quantitatē, neq; sollicitāt naturā ad excretionē, neq; grauāt, sed cū alimento simul ad intima vsq; viscera distributæ, necessum est alterū duorū. Vel vt corrūpantur, & in malū conuertantur humorē: quā ob causam vidimus quandoq; ad aquas potabiles balnearū homines, indigestas, corruptasq; in bilem aquas, copiosissimam simul bilem, & vitā miserè euomisse. Quod omnes qui ad balnea versantur Medici attestari possunt: Vel certè necesse est, vt ebibitarū eiusmodi aquarū potio, aliquā relinquat in venis, ac in sanguine ipso, eius mineralis qualitatis impreßionē: quo fit, vt nisi subitariā inferat noxā, eo offendat grauiùs, quo paulatim afficit, cōtaminetq; mala aliqua qualitate sanguinē, ac spiritus vitales, vnde ex insperato aliquo oritur humorū ebullitio, aut viscerū inflāmatio, aut vrinæ difficultas, aut lapis, aut dysēteria, aut eius generis aliquod vitiū perniciosum. Quo planè sensu, de assumptis scilicet in cibarijs aquis, quæ aliqua mistione infectæ sint, intelligenda est ea Hippocratis cēsura in libro de Aëre, aquis & locis, Calidæ aquæ (dicit ipse) aut vbi ferrū nascitur, aut æs, aut argentū, aut aurū, aut sulphur, aut bitumen, aut alumen, aut nitrū, omnes duræ, & æstuosæ, quæ & difficulter minguntur, & ad alui egestionē sunt cōtrariæ. Intelligas si in cibis sumūtur, & potibus, non iure balnei. Sicuti & quod subdit. In salsis similiter decipiuntur homines, in eo quod per aluū secedere, eamq; soluere putātur: sunt enim crudæ, & coqui nō possunt, ad egestionē contrariæ, ac adstringētes potiùs, quā eliquātes. Manifestū est ergo quā planè aberrēt ij, qui in cibarijs id genus admistas bibunt aquas, easq; meritò ab omni victus ratione ablegamus, atq; interdicimus. Hæc ille. At verò Iac. Theod. in suo thesaur. aquatico scribit l. 1. c. 2. vinosos esse fōtes in Lāgēschwalbach in valle Mūntzbach & aliū fōtē Lindēbronnē: eius autē in Mūntzbach mineralia dicit esse copiosū ferrū, vitriolū misy siue bergschwebel aut gelbē atramēt, succinū, sal gēmeū siue Cristallin saltz, caphurā fossilē & parū sulphuris: Incolas nihilominꝰ vti ꝑ quotidiano potu asserit, & vt plurimū sanos esse, robustos, nō nimiū pingues, boni coloris, sanos senescere, si ꝑegrinādo incidāt in morbos facilè restitui, nō multa coaceruare excremēta, immunes à morbis capitis, defluxionibus, à morbis vētriculi, vteri, genitaliū partiū, renū, vesicæ, hepatis, splenis, febrib. ictero, hydrope, articularib. mor-

Quomodo operentur aquæ medicatæ.

Aq. in bilem conuersæ mortiferæ.

Hippocr. de aq. sententia.

bis, elephantiasi, leprâ, maligna scabie, epilepsiâ, calculo & lumborum doloribus. Ego sanè fontibus pluribus acidis adfui, Griesbachianis, Schauwenburgensibus & S. Petri, Ribelsauwensibus, Antegastensibus, Obernauwensibus, Göppingensibus, Yebenhausensibus, Hatheuensibus & alijs aliquot ad Nicarum vbi multi bibunt vulgò salubriter inter cibos sine vllo nocumento, quod audiuerim, imò celebrant eorum potum: Principes etiam bibunt: Ipse etiam per 10. septimanas salubriter potu quotidiano bibi acidos fontes potissimùm Yebẽhausenses hoc anno qui mihi restituerunt appetitum afflicto insigni inappetentiâ cibi & potus. Ante aliquot annos cum meo Illust. Principe Griesbachianas per mensem integrum nullo alio vsi potu, inque ijsdem lauimus. Quò fit vt nihil mihi videatur periculi imò iuuare posse si mediocriter cum cibis bibantur aquæ medicatæ, quæ constet non malignis & insalubris mineris, & potissimum quibus earum insunt tenuissimæ partes & spiritus (quales sunt in ijs quas modò cõmemorauimus) qui facilè exhalant vt nulla remaneant vestigia aciditatis, nec vinosi quidquam, ac similes redduntur vulgaribus non infectis nisi diligenter fuerint obturatæ & loco frigido conseruatæ: Nec video cur reijciendæ eiusmodi aquæ, quia medicatæ, nisi velimus omnes medicatos cibos etiam reijcere: Nihil in illis quod putredinẽ generare possit deprehendo, nec etiam ex se facilè corrumpuntur. Concesserim fortè aliquos bibentes aquas medicatas etiam acidas copiosissimam bilem & vitam miserè euomuisse: verùm illud valde dubium an hoc ascribendum aquis medicatis veniat, quas inter cibos biberint. Quid si ante insigniter cacochymici coaceruata bile à praua victus ratione, seu etiam viscerum intemperie, nec benè priùs repurgati? Nisi fortè fuerint aquæ medicatæ calidiorib⁹ mineris multum permixtæ, vel malignis: de acidis minùs calidis & quibusdam planè frigidis an id sentiendum, acutioribus dijudicandum relinquo. Si qua ex nostris acidis cõtaminarit mala aliqua qualitate sanguinem ac spiritus vitales, vnde oborta sit humorum ebullitio, aut viscerum inflammatio, aut vrinæ difficultas, aut lapis, aut dysenteria, aut eius generis aliquod symptoma perniciosum, id, meo iudicio, nimiæ quantitati assumptæ nec tamen excretæ esset tribuendum: si alia aliqua mineralis id efficeret, iudicarem id euenire, non quia mineralis, aut quia moderatè sumpta esset cum cibis pro potu: sed quia malignitatem in se haberet, aut nimium esset medicamentosa pro potu quotidiano. Nec sanè in Hippocr. lib. de aëre & aquis inuenio interdici potum medicatarum aquarum inter cibos. In genere quidem improbat aquas calidas minerales quæ per violentiam caloris nascuntur: non tamen ita spernit, vt inter cibos vel alio modo, vsum earum tollat: Ait enim: Quorum verò molles ventres & humidi ac pituitosi sunt, his durissimæ ac subsalsæ aquæ conferunt. Sic enim maximè reficcari poterunt. Cur non liceat nobis, in personis quibus conuenit, bibendas præscribere inter cibos aquas medicatas, prout vtimur sale, sinapi, aceto, pipere, zinzibere, & similibus vt citrijs, capparibus & alijs medicamentosis? Addiderim præterea nec præter rationem, meo iudicio, potum acidorum fontium nostrorum salubriorem in multis etiam

Acidi fõtes varij salubriter inter cibos bibuntur.

Acidæ Yebenhausenses.

Hippoc. nõ interdictus potus aquarum medicatarum cũ cibo.

sanis (de perfectè sanis non loquor, qui rari, plærique homines sunt neutri) & morbidis quàm ipsius simplicis aquæ, vel etiam vini. Experientia enim constat multos non posse ferre potum frigidæ, qui tamen huius ferunt etiam copiosè assumptæ ieiuno ventriculo. id quod mihi ipsimet euenit. Spiritus subtiles mineralium gratam aciditatem præbentes corrigunt nimiam humiditatem & frigiditatem aquæ simplicis, ac robur addunt visceribus laxioribus & imbecillioribus (nolo hæc inaudiri de ijs qui se ingurgitant) Quin imò docti & celebres medici ad leuandam sitim miscent aquæ communi tantillum spiritus, vt vocant, vel olei feruidißimi & adurentis vitrioli: Id quod vidi facientem clarißimum meũ Præceptorem Gesnerum cum siticulosior esset: Id etiam præscribebat insignis Medicus & Philosophus memoriâ dignus Dominus Zwingerus, naturalē acidularum mixtionem ementientes, fortaßis Galeni imitatione aceti parum aquæ affundentis: quæ miscella minùs tamen grato naturæ humanæ est sapore quàm temperamentum mirabile à Deo acidulis, vino pauperum inditum. Adhæc dixerim subtiles spiritus aciditatem nostris acidulis imprimentes facere vt minùs diu hæreant in hypochondrijs, & citiùs communi aquâ cum cibis concoqui & distribui. Quid dicam de ijs qui ob calidius hepar vel etiam calidiorem ventriculum vel imbecillius cerebrum vinum ferre non possunt? An non his magis ex vsu fuerint acidulæ (attestante etiam experientia) nostræ, si ventriculus facilè ferat, vino fumido & vaporoso. Illust. Mater Illust. mei Principis, quam honoris gratiâ nomino, quæ nunc in Haßia moratur, salubriter à plurimis annis nullo alio potu vtitur quàm acidularum vicinarum. A vino sanè citiùs potest excitari humorum ebullitio vel viscerum inflammatio quàm à nostris acidulis. Hæc scripsi vt constet quibus rationibus motus, non solùm permittam potum inter cibos acidularum nostrarum, sed ipse etiam non verear paßim in vsu balnei fontis admirabilis eas præscribere: Quam meam opinionem consuetudinemque (vti omnes alias) paratus sum mutare si veris rationibus experientiâ comprobatis demonstretur melior. Alijs quidem medicis peritis liberum est de suis fontibus, mihi nec expertis nec notis (de quibus non loquor) suas obseruationes scribere: mihi de notis idem ius esto. Illud obiter subiunxero, aquas Plumarias refrigeratas destitui sapore & odore minerali claras & puras esse, similesque videri vulgaribus simplicibus, vino denique misceri cum cibis, nullo quod audiuerim aut viderim, nocumento. Idem vidi factitantes pauperes ægros plurimos, nec nõ quosdam diuites in Balneo admirabili sua sponte me nec imperante: nulli tamen in noxam vel leuißimam, multò minùs perniciem obseruaui ceßisse, vt luculenter apparet ex historiarum quas superiore libro commemorauimus sylua. Cui opinioni de quibusdam aquis medicatis salubriter bibendis cum cibis, astipulantur sequentia Baccij scribentis lib. 6. cap. 2. de ferratis aquis. Rusellæ vetusta fuit in maritimis Senarum ciuitas, hodie paruus vicus, vbi balneum, cuius mentionem inuenimus apud Annium in Commentarijs Antonini Cæsaris. Est autem aqua clarißima super cæteras aquas, nec valdè calida: quin vbi refrixerit suauis

Spiritus vitrioli.

Aquæ Plumariæ.

Fons admirabilis.

Rusellæ ciuitas & balneum.

Rusellana aqua vinũ diluitur vtiliter.

adeo gustanti apparet, vt vix eam mineralem agnoscas, ac iucundè admodum cum vino diluta bibitur, cum manifesto hepatis, ventriculique iuuamento. Minera (vt pluribus experimentis comperimus) ferrea pluri ex parte est, cũ quinta aluminis parte, ac sulphuris: Vnde tantisper incalescit, fomite & momento argenti. In balneis mediocriter digerit, atque exiccat, scabiem, atque id genus cutis vitia delet. Crurum manantia vlcera persanat. Consueti autem sunt ex tenui plebecula aliqui, eius aquæ molli tepore allecti ea balnea ingredi, ac diutißimè quindecim etiam dierum spacio in eis permanere, ac mirum est vt extenuati alioqui, ac ad ossa etiam eneruati, pingues ac robusti exeant. Vt sciant qui legunt, lentè hæc balnea, ac inoffensè operari, tota æstate, atque etiam sub Sirij feruore vtilia. Hæc Baccius. Et certè quanquam nouum videatur, nouum tamen non est, ad cibos medicatas aquas adhibere: Siquidem Tryphon Gortyniates, Galeno teste lib. 5. de comp. med. secund. loc. cap. 2. spleneticis balneo egreßis salsamentum citra panem exhibet, & vinum mari mixtum, sequentique die eadem offert. Potus medicatarum in balneo & cum cibis reuocat in memoriam nos vidisse plures vtentes etiam cucurbitulis dum balnearent tum in thermis Plumarijs tum alijs: Quibus suffragatur Andernacus: In ditione Senarum sunt aquæ medicatæ à Cometis vocatæ dulcis aquæ similes, in ijs cucurbitulas applicare solent. Ego sanè non improbo earum vsum, si cum consilio medicorum peritorum admoueantur potißimùm scapulis & humeris in affectibus capitis & faciei: coxarijs verò femori, natibus & circa inguina. Baccius vtitur in scabie corniculis cum scarificatione, vt videre est lib. 3. & copiosius alibi dicemus.

Rusellanæ aq. mixtura.

Rusellanæ aq. vires.

Cucurbitulæ cũ scarificatione.

Aquæ à Cometis.

Aquas aluum potu soluere, tum alias tum admirabilis fontis Bollensis: qua ratione purgent: & quædam alia notatu digna.

CAP. VII.

DE lauatione, omnique quæ ei præmitti debet, præparatione, tam per purgantia, quàm per alia instrumenta medica, totoque adeo eius vsu, quantum quidem instituti nostri ratio postulat, sufficienter exposuimus. Iam de aquarum potu acturis, inquirendum videtur in causas, propter quas potißimùm bibuntur: in qua quidem re, ne mihi multum sit laborandum facit & scriptorum & ægrotantium consensus, calculum simul adijciente experientiâ. Solui enim per eas aluum fatentur laborantes: idem scripto testantur omnium ætatum Medici, qui in hac artis parte operam posuerunt aliquam. Habet enim Galenus lib. 4. de sanit. tuenda cap. 4. In laßitudine considerandum an exercitatione, purgatione per vomitum aluumuè, gestationibus aut vsu aquarum sponte nascentium soliti superuacua expellere id intermiserint. Fallop. de thermis cap. 27. de balneis Pistoriensibus: Vnum il Bagnuolo vulgò, alterum il Tettucio: Primum habet paucum sal, alterum magis copiosum in vsu potißimum ad potum pro soluendo vẽtre, quod facit validißimè, etiamsi non exhibeatur in maiori quantitate quàm duorum triumuè cyathorum. Andernacus, Aquæ medicatæ in

Balnea Pistoriensia.

oppido Losingen, constant sale nitro & modico alumine: non diu nimis calefieri igne nec longiùs deferri debent. Potæ aluum ducunt: vteri fluorem album & strangulatum tollunt, fœcunditatem pariunt. Item: aquæ Borlæ in ditione Sesnarum nitro infectæ, sed adstringentium expertes eoque aluum probè subducunt potæ. Item: Aquæ Pulicani in Italia admodum feruentes, eodem die mutãt colorem in aureum & argenteum. Exustos humores purgant, iecori vtiles. Item: Aquæ Paganelli in Italia nitro, alumine, & modico ære infectæ potæ ventriculi affectibus vnicè salubres, purgant, confirmant, appetentiam excitant. Iac. Theod. Tabern. asserit se acidularum Langenschwalbachcensium potu repurgatum. Pantaleon cap. 18. obnoxijs colico dolori manè exhibet poculum aquæ thermarum Tigurinarum, dicens aluum mouere. Baccius lib. 4. cap. 10. Aqua balnei Corneliani Aquisgrani calida quæ sulphure, alumine, sale ac bitumine participat, pota aluum, renumque calculos ac arenulas pellit. Item: Aqua balnei Porcetani Aquisgrani, calidæ admodum qualitatis vt & obsonia percoquat Ruremondano teste, nullo aut sapore aut odore ingrata & minus sulphurea, cum multo sale ac multo alumine, in alueis lapidem facit. Soluit hæc aqua ventrem si largiùs bibatur, sudores excitat ob substantiæ tenuitatem, tam sanis quam ægris in quaque ætate ac sexu perutilis. Hæc ille. Si aqua calidissima actu lapidem faciens tam salubris, cur non & nostri fontis admirabilis aqua erit salubris? Reliquæ vires aquæ Porcetani balnei adscribentur capite de hydrope. Aquæ Montis falconis in Carnis eidem Baccio tepidæ, odor ac sapor sulphureus salsusque: nec mirum influentibus in eam ex occulto fluctibus, littore longè omnium latis hic cuniculis dehiscente. Proinde notum est quod prodidit Plinius de refluxu horum fontium. Nam intumescit in his aqua æstuanti mari, moxque residet illo quiescente. Hanc, qui nouiter eam sunt experti, ebibitam infernè purgare asseuerant: quod causæ non dissentit, pluri ea sale, ac sulphure participante inter alias misturas. Exsiccat in balneis, ac moderatè calfacit, digerit, ac abstergit, ex quibus multa postea tum ex tertiis, tum ex quartis facultatibus, operatur. Sunt in vsu tota æstate item Balnea S. Martini sub Como inter montes, qui vulgò Branlia, à Strabone autẽ ac Plinio iuga Rhetia nuncupantur. De minera, sunt hi mõtes metallis ditissimi, auri, argẽti, æris. Gignunt Crystallũ gemmarũ instar splendidissimam, magnis massis sexangularibus: nec non Amethystorũ innumerorum sobolem, quos granatinos à similitudine appellant lapillos. Nec caret hic tellus intimo suo fomite caloris. Quare harum aquarum natura mista est, nec sine eius fomitis vestigio: nam ad tactum blandissimè calent & quæ acrimoniæ, ac salsuginis quidpiã gustui referunt, multam nitri, ac ferri misturã ostendũt, quod & ex sublimationis experimẽto, & ex adiacentiũ recremẽtorũ qualitate confirmatur. Odore suaues, nec vllatenus ingratæ: vnde non solũ natu grãdiores, ac natura validos, verumetiã tenellos pueros æquè, ac mulieres, & senes leuissime iuuãt, vel certe (quod plurimi faciẽdũ videtur) innocẽter attigũt. Sumũtur in omnẽ vsũ, nõ aliter atq; Porretanæ aquæ, imprimis tamẽ vsu balnei electissimæ. Virtutũ vero

Baln. in Losingen. Aq. Borlæ. Aq. Pulicani. Aq. Pagan. Aq. Langẽschvvalb. Aq. Tigur. Baln. Cornelianum. Baln. Porcetanum. Aq. Montis falconis. Balnea S. Martin.

admirandarum perhibentur, vt nulla plane sit à capite ad pedes affectio, quam non visæ sunt vel sanasse, vel admodum iuuisse. In potibus quidem, quanquam modicè purgatoriæ sint ex mistura, stomachum tamen, & reliqua alia nutritionis membra omni exuunt intemperie, frigida præsertim, atque humida. Ad ducciam vero faciunt ad catarrhi omnigena vitia discutientium aliarum aquarum more, capitis, neruorum, iuncturarum. Imo si in particulam quampiam, aut imbecillam aut laxam, aut tumidam in aspersionibus sumantur, roborant, ac discutiunt. Luxata firmant. Contractiones & tendinum, & chordarum in artubus, cœno ipsarum illutato, eoque ad solem (vt moris est) resiccato, & subinde abluto in balneis, in pristinam habitudinem restituunt. Et denique non hominibus solum verùm bestijs quoque, & domesticis iumentis auxiliares reperiuntur.

Caldanæ aquæ in Corsica. Item Caldanæ aquæ in Corsica sunt mediocriter calidæ & in vsu frequenti tam balnei quàm potuum ad multas infirmitates vtiliss. Per aluum enim soluunt, vi sane purgatoria perexigua, ac vermes interficiunt. Ducunt & per vrinas. Item, est quædam potabilis aqua sub Meldula Æmiliæ opido, quam quod nocte sancti Laurentij singulis annis oriri dicatur, eam sibi nomenclaturam comparasse prodidit Menghus Fauentius, qui parum ante hanc ætatem super aliqua Italiæ balnea breues edidit censuras. Ad vsum potionum medicatarum hanc vtilem asserit, per 15. dies. Nam ebibitam mox se subducere, laxare ventrem ac ciere vrinas. Item quatuor millia passuum sub Fauentia, quandam eiusmodi aquam commemorat, Sancti Christophori nomine, ad cuius festum 25. Iulij frequentari assolet, &, vt mos est indigenis, calefacere eas ac bibere pro solutionibus vẽtris. Est enim frigida, gustui salsa, & inodora. Stomachum mundare, obstructa aperire, calculos frangere, ventositati & colicis opitulari traditur. Rulandus: Aluum laxant aquæ nitrosæ salsæ, Lencenses potæ. Item balneum calidum dulcis aquæ. Bilem purgant acidulæ in Mendich & Pontterborn: bilem vtramque euacuant aquæ Cellenses: biliosos morbos iuuant acidulæ Göppingenses, Auwenses, Vberkingenses, Fideris, Cellenses. Item ventrem laxant & purgant acidulæ Kißing Heilborn, Sultzbrun. Item purgant ventrem & corpus per aluum & vrinam Antegast Condertbal, Niderlaustein, Heilborn & salsulæ aquæ. Dortomannus, Aquæ Bellilucanæ actu simul & potentia calidæ & salsæ: quarum pabulum potißimum bitumini in venis & extra contento tribuendum: argumento lapides, quorum pingue oleosum & lentum, humidum bituminosum scilicet, quòd extra venas solidiores, gagatem ampelitum foßilem referentes lapides eruti, quibus etiam succino quid simile sæpe adnatum accretumque reperitur, & ipsum bituminis genus genuinum existens. Sulphur hîc nusquam vestigando repertum, nitrum & sal habent. Aquæ hæ purgant flatus, serum, pituitam & melancholicum succum. Ex prædictis apparet testibus omni exceptione maioribus vim purgatricem aquis naturalibus nonnullis inesse. In quarum etiam classem admirabiles Bolienses nostras vt accenseam, faciunt innumera

Marginalia: Aq. S. Laur. in AEmilia. — Aq. S. Christoph. sub Fauentiæ. — Thermæ catharticæ. — Aq. Belilucanæ.

mera experimenta historicè nuper mihi proposita. Qua autem methodo, vt id præstent exhibendæ sint sanitatis conseruandæ studiosis, postea dicemus. Priusquam tamen hoc caput finiamus placet subijcere obseruationes quasdam Bacij lib. 2. cap. 11. Planè videtur aquas medicatas potulentas esse purgatorias. Nam educunt causam morbi: vt aquæ ebibitæ quarundam balnearum, quæ vacuando serositatem humorum, medentur hydropi, & quæ sanant similiter icteritiam. Item authoritate Rhazæ, qui dixit æneas balneas naturales purgare tanquam medicinas. Et demùm, quia tam balnea naturalia quàm pharmaca exagitant, purgantque excrementa variè. His tamen non obstantibus, verè equidem purgatorias vix vllas existimo medicatas aquas, sed abstersorias potiùs dicendas esse, ac lato duntaxat vocabulo intelligendum, cum interim vel purgatorias eas, vel soluere, vel deijcere vsu euenit dici. Purgatorij enim medicamenti vocabulum, quod καθαρτικὸν est Græcis, solis videtur conuenire pharmacis: quæ Galeno teste v. simpl. & in libro de his quos purgare opor. qualitatis familiaritate proprium sibi attrahunt humorem, vt magnes ferrum, & rhabarbarum choleram. Atque id genus omnia calida esse aliquo insigni excessu. At aquas medicatas non ita agere palàm est: quandoquidem pleræque (vt diximus) frigidæ sint, ac siccæ substantiæ cum aliqua tamen tenuium partium portione: & quæ quantitate sua comprimente non minùs operantur quàm qualitate. Nec verè lubricant, cum nullæ sint pingues aquæ, quæ non etiam siccâ aliqua præualeant qualitate, vt bituminis vel sulphuris. Minimè item leniunt: quæ dulcia esse natura conuenit, frigida, humida, mollia, non sicca. Abluere ergo rectius dicemus medicatas aquas: Nimirum quâ aqua sunt, & planè balneum corporis intrinsecum. Et abstergere, qualitate aliqua misturæ modicè nitrosæ (vt vult Galenus) vel amara, vel etiam dulci, ac tenuium partium substantia. Et tales diximus nos, ad hunc vsum aquas idoneas, talesque esse eas experimur. Ad argumenta proposita, medentur ex accidenti: accidit enim in quibusdam morbis, vt causæ sint præuiæ, itaque eis balnea medeantur. Vel cum abstergunt, euacuantq; cruditates à ventriculo & flatus, viscositates à renibus ac vesica, arenulas, lapillos, obstructionem forte quæ fecerat ictericiam: Vel per sequelam partis ad partem, vt si quandoque promoueant aquas hydropi, quod tamen rarius est. Alioqui operantur violenter, quod intellexit Rhazes: Quod non est electiuè operari, sed promiscuè, & quæcunque fortè fortuna contigerint. Qua exagitatione nullum est accidens, aut periculum in balneis neque maius neque deterius. Post hæc non minus vtile est scire, quâ verè ebibitæ aquæ transeant, an ex hepate penetrent in venas, & exinde in renes. Ex modo quidem purgationis, ac breui simul interuallo, quo ebibitæ purgantur, non tam videntur penetrare, quam sui copia comprimere, vt diximus, ac deijcere. Ex altera tamen parte, penetrare eas satis indicant exeuntia ipsa, tenniori saltem, sui parte si non totas penetrare. Nam ebibita aqua, primo crassa alimenti excremēta ex amplis vijs deijciuntur, simulq; vrinæ: sanguinis serositates. Postea dum aquæ suam moliuntur operationem, deter-

Aq. medicatæ educunt causam morbi.

Non tamen sunt verè purgatoriæ, sed abstersoriæ.

τ καθαρτικῦ propria acceptio.

Aq. medicatæ non lubricant.

Non leniūt.

Sed abluūt.

Et abstergūt.

Respōdetur ad obiecta.

Ad. 1.

Ad. 2. & 3.

An aq. ebibitæ penetrēt, an verò cōprimant.

Penetrant.

1. Arg.

guntque ex dictis vijs, quæ inhæserant, superflua, aquæ claræ, & puræ min-guntur. Exhausta iam ebibita aquæ quantitas, vrinæ tinctæ redeunt, & croceæ,
2. Arg. *quæ scilicet genuina sunt venarum, & sanguinis recrementa. Præterea vide-*
3. Arg. *mus, quòd permultis euacuant per sudorem. Et quos accidit post aquas ebibitas aliquam incurrere offensam, ij nimirum offenduntur retentis aliquibus earum vestigijs, vel in renibus, vel in hepate, vel in venis, vel in toto corporis ambitu, vt*
4. Arg. *multiplici nobis experimento compertum est. Huic sententiæ quod vsquequaq; ebibitæ aquæ penetrent, facit illud Plinij testimonium (quanquam vix mihi credibile sit) visos quosdam bibendo turgidos in tantum, vt annuli integerentur cute. Vltimò videndum est, quænam ratio diuersitatis sit, vt dum ebibitæ aquæ ex hepate, & per renes excolantur, non æquè tamen omnibus relinquant sedimenta aliqua. Nam hoc nomine damnatæ sunt in vniuersum aquæ, tum limosæ, tum medicatæ, & acidæ, quæ à nonnullis hodie Romæ sumuntur in alimẽtis, quod relictis sedimentis, vel arenulas gignant, vel lapidem, vel id genus affectionem aliquam, sanè quoniam eiusdem rei longè alia ratio est, an medicamenti vice vsurpetur, an alimenti.*

Cur aq. medicatæ per renes & hepar excolatæ non relinquant in iis sedimẽta

Resp. *In vniuersum quidem, ebibitas in balneis nulla relinquere sedimenta, consonum rationi sit. Natura enim non facit saltum, teste Philosopho: sed procedit in suis operibus digerẽdo, hoc est sequestrando, ac separando vtile ab inutili, III. de Gener. animal. cap. II adeoque crassæ, & terrestres partes cum aqua bibitæ, non penetrant meseraicas: sed à stomacho ad intestina sequestrantur ad aluum, cuius vim excretricem ipsæ simul extimulant, vnde ferme raras id genus inuenies aquas, quæ non primo per aluum educant, virtute, scilicet ac stimulo crassiorum illarum partium, & deinde per vrinas: subtiliores verò trahuntur à meseraicis venis ad hepar, ac vigore saltem ipso penetrant ad venas vsque, & exinde resluunt ad renes: vbi si renes sint synceri, ac meatibus liberi, & non oppleti, transeunt & ipsæ: imò sua vi abstersoria verrunt omnem secum ichorem, dilatantque vias, ad arenulas vsque emundandas. Sin renes oppleti, nec antè (vt debuerunt) præparati multis scateant crassis ac viscidis excrementis, hæc ipsa inquã viscida exerementa fiunt omnium arenularũ antecedentes caussæ, ac propria calculi materia, authoritate vniuersæ scholæ medicorũ, & non sed mẽta terrea vllius ebibitæ aquæ: quæ nimirũ viscida excrementa cum inepta sit virtus balnei dissoluere ac extergere: tenacius cũ sedimẽto aquæ adglutinata, perniciosas illic gignũt obstructiones, phlegmata, callos in vesica, arenulas, calculos. Quod periculũ vidi frequẽs in obesis corporibus, vel quæ non adeo ad mensurã ebibitarũ reddebãt aquas: seu his somno consopitis, seu aquarũ eius anni insalubritate, seu propria mineræ imbecillitate, seu quopiam alio sumentis errore. Ad quã cautelã tria repeto, ac moneo seruanda esse præcepta: Primũ, vt diligens fiat eius electio balnei, quod & authore, & experientiâ comprobatũ sit, & tali affectui, & tali naturæ esse idoneũ. Alterum, vt studeant qui bibũt aquas, vt integra fiat ebibitarũ excretio. Et tertium, vt nullũ interim cõmittant errorem: Semper huius experientiæ memores, raros ob culpam balnei periclitari solere in balneis:*

Per accidẽs gignunt aq. arenulas in renibus & vesica.

Obseruãda ne ex aquarũ potu obstructiones arenulæuè gignantur.

plurimos ob errorē & culpā propriam, quæ falso postea ipsi balneo, vel authori, vel medico vitio vertitur. Hæc Baccius. An aquæ quædā medicatæ nullā habeāt purgatoriam vim inditam à proprietate quadam occulta, & verè cathartica, ac tantum ablutione, abstersione vel copia & pondere euacuent, asserere non ausim: multas quidem euacuare abluendo, abstergendo & grauando facilè crediderim. Aquas autem medicatas nullas purgare qualitatis familiaritate proprium sibi attrahendo humorem, quia pleræq; sint frigidæ ac siccæ substantiæ cum aliqua tenuium partium portione, vereor vt satis firmiter hæc ratio poßit subsistere: quum plerunque aquæ medicatæ inficiantur metallicis, in quibus facultas illa potißimum ad se trahendi elucet vt apparet in magnete & succino vtroq;. Quod si tanta esset vis mineralium vt aquas reddant siccas & tenuium partium, cur non etiam calidas, cum ipsa calida esse in confesso sit apud omnes? Præterea illud ineuitabili demonstratione erat priùs concludendum proprietatem occultā purgandi pendere à qualitate manifesta caloris in aliquo insigni excessu: quæ tamen doctis Philosophis & medicis propono pensitanda. Alterum quod hîc desidero, eiusmodi est. Si ea existit sagacis naturæ prouidentia vt crassæ & terrestres partes cum aqua ebibitæ non penetrent meseraïcas, sed à stomacho ad intestina sequestrentur per aluum, cuius vim excretricem ipsæ simul extimulant: quæ ratio est vt potæ cum alimentis id non agant, sed arenulas gignant vel lapidem? An natura quæ separat copron & terrestres partes ciborum, non potest idem facere admixta aqua medicata? An pars aliqua succorum terræ acrium magis terrestris remanens cum fœcibus non idem poterit facere? Non video quid obstet. Solet enim natura attrahere quod sibi familiare. Iam vero cum eiusmodi sint duntaxat alimenta, verisimile euadit medicamenta & medicamentosa, (quorum proprium est vincere, non vinci) non trahi, hoc enim vinci est, sed cum alimentorum excrementis saltem craßiorem eorum partem in intestinis relinqui; eoque etiam faciliùs, quod vbi cum alimentis assumuntur, non cogit alimenti defectus naturam vt ad aliena se conuertat trahenda. Quod si quis miretur, cur cibi admistæ aquæ medicatæ omnes partes, non etiam cum cibis à natura trahantur? miretur idem segregatricis facultatis vim: miretur idem supra omnem admirationem mirabilem totius corporis œconomiam.

Exercitatio in opin. Bacchii.

Aq. medicatas verisimile est ratione metallicorum calidas esse plærasque.

An omni ætati conueniat vsus aquarum medicatarum.

CAP. VIII.

QVemadmodum ex Medicorum placitis, non omni ætati imperatur purgatio: ita profectò nec illa quæ aquarū medicatarū ope perficitur. Quare rectè & prudenter mihi facere videtur, qui, quibus minùs competunt, interdicūt: neq; empiricorū more, omnes sine discrimine ad thermas ablegāt. Pueris citra annum 12. nisi quid vrgeat, catharticū non propinamus: qua de causa nec his aquas purgatrices obtruderem temerè. Est tamē vbi & in hac ætate purgatio-

Pueris an conueniant aquæ medicatæ.

nem licet cum deliberatione moliri: id quod alijs remedijs alij: Fallopius etiam aquarum potu ad cyathum vnum aut alterum in bimulis & trimulis, grassante Pisis dysenteria pestifera fœliciter præstitit. Senilem quoq; ætatem viribus effœtam ab aquarum potu exclusérim. Affatim enim pro iure balneorum haustæ languidas caloris réliquias restinguunt, mortemque præcipitant: infra si subsistant, cum non penetrent, aut certè difficulter, distento ventre retentæ viscera refrigerant aliaue qualitate labefactant. Quæ si calidæ sint, nec mediæ ætati tutæ, præsente febre, existunt, nisi fortè ex eo genere sit, quæ ad vlcus aliumuè affectum, ad quem eiusmodi aqua idonea est, consequatur. Sic enim primario affectu sublato, non magno negotio secundarius tolletur. Sed & aquam bibituro illud ex Fallopio obseruandum, vt vias habeat latas, & sit de ijs qui possunt aquam acceptam reddere. Si enim venæ essent angustissimæ, aqua non pertransiret, & sic valdè obesset, quod ego, inquit, in meipso sum expertus. Ter enim bibi Aquarianas aquas & nihil vnquam ipsarũ per lotium aut per secessum excreui: sed post duos aut tres dies, tã copiosæ per sudorẽ exierũt vt scutellã ferè potuissent colligi. Gal. 1. de sanit. tuenda: Infantibus haudquaquam salubria balnea, quæ vim aliquam præ se ferunt mineralem. Omnia enim talia manifestè siccant. Nec minùs à frigidis abstinendum, quæ eorum prohibent augmentationem. Paulò post: difficilimè omniũ senes balneum ferunt, ob humorum paucitatem & multam spirituum resolutionem: Habenda tamen habitudinis ratio est in singulis ætatibus, Galeno teste, quando sint ex pueris senibusque robustis, quos per balnea, etiam in potu rectè curamus.

Senibus an conueniãt. — Bibentibus aquas medicatas vias oportet esse latas. — Aquarianæ aquæ. — Balnea quibus nõ conueniant.

Quomodo instituendus potus aquarum medicatarum tum aliarum, tum Mirabilis fontis: de quantitate sumenda, & tempore.

CAP. IX.

AEger, inquit Andernacus, purgatus defatigatusque vel ex itinere vel ex medicamento, die vno & altero aut etiam pluribus se recolliget, & tandem aquæ istius medicatæ potionem assumet. Verùm diligenter curabit antequam illa vtatur, vt cibum pridie assumptum concoxerit tum in ventriculo, tum in iecore: Quod cognoscet si nulla tensio in præcordijs nec grauitas sentiatur. Si autem æger nihil acidum nihil nidorulentum aut cibi qualitatem & grauiter olens quippiam eructet, sed aluum quotidie pro assumptorum ratione deijciat, quæ si natura quotidie aut saltem altero die non descendat, tertio die sollicitari debet. Quinetiam si vrina pro consuetudine tincta reddatur: si sputa & pituita è pectore excreata sint, ne in corpore diutius retenta ad imbecilliores eius partes deferantur, potio aquæ meliùs proficiet. Corpore iam hisce omnibus recrementis libero, æger non labore, non inediâ debilitatus, nec curis animi affectus, sed alacris & quietus aquam istam bibere incipiet, abstinebitque interea, dum bibit, a venere. Bibet autem manè post solis exortum, vbi sponte experrectus est,

Signa peractæ cócoctionis. — Balneando abstinendũ à venere.

& cœnam frugalem concoxerit, tam calidam quàm ferre potest, ex ipsa scaturigine sumptam. Imbecilles autem in lecto aut sedili ex fonte ipsa allatam bibent. Sin autem non satis calida per se fuerit vitreo vase condita ad ignem calefiet ea mensurâ quæ ventriculo grauis non sit. Qui volet bibere aquam, inquit Fallopius, id faciat non continuata serie, sed partiatur in quatuor vel quinque vices, vt exempli gratiâ, si viginti cyathi aquæ essent assumendi, quatuor pro singula vice bibet, hoc est quinque vicibus: si sexdecim, quatuor vicibus: si duodecim, tribus vel quatuor vicibus, non debet bibere ingurgitando: inter cyathos cuiuscunque vicis deambulet parum, postea bibat cyathos alterius vicis assumptis videlicet duobus cyathis continuata serie, ambulabit saltem par quartam partem horæ moderatè, nec eousque vt sudet aut incalescat corpus, deinde bibat duos alios cyathos & ambulet, & sic deinceps: Sufficit si spacio vnius horæ vel vnius cum dimidia assumatur quantitas aquæ quæ assumenda. Nam si citò & continuata serie, vt quidam imperant, in ventriculum ingurgitetur, pylorus obstruetur & non egredietur aqua. Cùm totam biberit aquam, inambulet vsque ad horam prandij: quæ erit cùm excreuerit circiter tantum aquæ quantum bibit, siuè sint duæ, tres, aut quatuor horæ: vel obseruet quando vrina quam reddit, non erit amplius alba, & cum ad luteum mutationem videbit, poterit prandere. Si sistatur aluus & nihil amplius per secessum, aut per vrinam aut per aliam viam aquæ egrediatur, licet media pars tantum excreta sit, præteritis quatuor horis ab assumptione aquæ sumat prandium, & non expectet donec reijciatur altera aquæ pars: quia vt plurimum nocte primum adueniente per aluum excernitur. Sunt qui interpolatis tantum diebus exhibent, altera ægrum in balneum immergunt, tertia die iterum exhibent, sed non placet. Alij mane exhibent aquam & vesperi infundunt corpus: sed nec hoc mihi placet. Ego non infunderem corpus, quousque absoluta esset potatio, & exhiberem aquam non interpositis sed continuatis diebus. A pauca quantitate incipiendus potus, vt legimus apud Aëtium fecisse Archigenem. Incipiendus igitur erit à tribus vel quatuor vel quinque, sed non pluribus libris, & eò vsque augendus, donec quantitas fuerit reduplicata, vt si, exempli gratiâ, corpus esset imbecillum prima vice exhibendæ tres libræ quæ erunt sex cyathi, altera 7. tertia 8. quarta 9 quinta 10. sexta 12 sed non procedatur vlteriùs: Si corpus fuerit validius, exhibeantur prima vice octo, & quotidie augebitur, donec perueniatur ad sexdecim, sed nunquam excedatur numerus 20. cyathorum. Cùm ad summum peruentum fuerit, non insistendum in illo numero, sed retrocedendum sensim donec deueniatur ad minorem numerum, quo cœptus potus. Aqua nullo modo debet assumi frigida, sed calida, ita vt excedat teporem: Si calida actu naturali calore non fuerit, calefiat in duplici vase. Hæc ille. Ne quis autem existimet me non facere discrimen inter nationes, & earum mores diuersos ac naturas aptas vel ineptas ad potum & balneum aquarum medicatarum, addam hîc quæ tradit Andernacus Germanus: cùm propter Germanos potißimum & eis vicinos conscripta hæc nostra sit historia, quamuis vtilis etiã

Qua hora diei & quomodo bibendum.

Potus & baln. simul improbatur.

A pauca quantitate incipiẽdus potus.

Mensura bibendi ex Andernaco. *alijs nationibus. Verba igitur Andernaci haec sunt: Mensura aquae medicatae bibendae huic maior illi minor conuenit: hinc alij tres alij quatuor, alij quinque cyathos sustinere citra incommodum possunt. Quantãcunque autem vnusquisq; requirit, eam omnem horâ dimidia aut certe integra assumet: deinde leuiter inambulabit, sed extra aërem frigidum. Sunt qui tribus vicibus ac paulatim illam bibendam esse dicunt, prima libram, altera sextarium: id quod prudenter faciunt, si aliam non antea assumant, quàm prior sit reddita. Vulgares tres sextarios propinant, sed ita vt singulis potionibus interponant horam. Hîc autem aduertendum est, quemadmodum paruas, ita copiosas nimis aquae potiones nihil proficere. Hae enim ventriculum grauant, relaxant, & statim sine humoribus educendis effluunt, vt etiam nullam vim corpori insinuent: illae imbecilliores sunt, quàm vt in corpus aliquid agere poßint. Minimus itaque modus non multò infra librã, praesertim in adulta aetate subsistet: maximus sesquisextariũ non excedet. Hae mensurae corporibus mediocribus, hoc est non nimium exiguis & imbecillis, aut contra plus aequo amplis & valentioribus, bibacioribusque satis esse poterunt. In Italia tres sextarios aegris permittunt, imo quatuor & dimidium cum triente, (vocant Bocalia) & vncias quatuor. Singula illa constant sesquisextario. Germani etsi φιλοπόται sint, tamen aquam siue dulcem siue medicatam copiosam ferre nequeunt. Qua de causa medicus cuiuscunque nationis & naturae cognitionem rationemque habere debet. Hoc interim negligendum non est, vbi locus longißimè à ventriculo dißidet, maiorem copiam aquae permitti solere, modo ille hanc sine molestia digerere poßit. Vbi iam aqua pota rursus aut semel aut per vices reddita fuerit omnis vel certè maior eius portio, siue per vrinam siue per aluum, (vrina autem tincta, quae aquam subsequi solet, excretam illam esse plerunque, sed non semper indicat) cibum capere tempestiuum est.* Clyster. *Si primis diebus illa inferiùs non descenderit clystere educenda, & cibus longiùs differendus. Idem etiam faciendum est, si illa per vrinam aut vomitum duntaxat reddita fuerit: nec cibus ante sumendus est, quàm venter eâ liberatus fuerit. Nihil enim est deterius in medicatae istius aquae vsu, quàm si pota retineatur, eóque, si id fiat post tertiam eius potionem, vitanda est. A prandio sicut etiam post aquae medicatae potionem, somno interdici debet.* Somnus. *Sin autem caueri nequit, saltem duabus horis post cibum ineatur, non decumbendo, sed in sedili capite eleuato: quanquam praestiterit vigilem esse, & tempus iucundis honestisque colloquijs terere, & si aër non dissuadet, modicè deambulare vt cibus faciliùs ex stomacho descendat.* Coena. *Vesperi autem coenandum non est, nisi aeger valdè esuriat, & cibum in prandio probè concoxerit. Tunc enim duorum ouorum lutea, albumine reiecto, assumet, & modicum vini meraci superbibet. Sin oua abhorreat, micam panis vino intinctam comedet, & coriandri Zaccaro conditi, quod satis est, sesquihorâ post lecto se committet quiescetque. Iob. Göbel. de thermis, scribens de potu ad purgationem, suadet ijs qui sufficientem quantitatem bibere non possunt vno haustu, vt post horam vnam sumant alium haustum. Ego meis aegris non prae-*

scripserim eam vtendi rationem: eis potiùs consulo vt tantillum deambulent, paulò post iterum bibant. Si ventriculus sit nauseabundus, eò magis se cogant ad potum, deinde moueant vomitum, vel digito vel penna in oleo intincta: Sæpe hac ratione viscida pituita & bilis crassa quæ difficulter per intestina descendit, magna cum vtilitate ejicitur. Dum aquæ medicatæ bibuntur ad mouendam aluum & purgationem, non probo exhiberi tabellas Diamoschi dulcis aut Aromatici rosati: quas non improbo pro ratione personarum in morbis, vbi ad roborandas partes internas præscribuntur cum potu aquarum medicatarum. Porrò quod ad tempus generale attinet, grauis est illa Fallopij censura de thermis cap. 11. Sunt qui nullum tempus in exhibendis aquis medicatis obseruent: aliquando istos secutus exhibui & bibi etiam ipse hyeme, sed maximè lædunt. Ego præterquam quòd non excreui aquam illam, incidi in crurum conuulsionem, ita vt amiserim quasi omnem motum earum partium. Idipsum vidi accidisse cuidam nobili, cui hyemali tempore thermales aquas exhibui, & ei conuulsa sunt crura, vt ne extendere quidem posset pedes: & hoc etiam alijs accidisse vidi. Sed obseruaui aliquos quibus aquarum medicatarum potus hyberno tempore profuit. Hyeme præterita in hac vrbe exhibebam aquas mulieri, & cum in eadem domo habitaret altera mulier eius consobrina, videretque potum aquarum eo tempore illi prodesse, voluit & ipsa thermalem aquam tunc bibere, & post aliquot dies incidit in magnam conuulsionem, doloremque crurum, & imbecillitatem ventriculi talem, vt egereret excrementa viridi colore tincta. Cum itaque ad potum harum aquarum hyberno tempore soleant vt plurimum succedere conuulsiones, moneo vt non exhibeantur hyeme, & si sint exhibendæ corrigatur aër cubiculi & calidus reddatur, ac si esset æstiuus. Aqua quæ calida est exhibenda pro potu tempore quidem calido, sed non calidissimo. Tempora oportuna pro exhibendis aquis calidis, erunt principium autumni, principium æstatis, & vltima pars veris. Si ad refrigerandum & contemperandum totum corpus opus esset exhibere frigidam aquam, tempus oportunum esset constitutio anni calidissima. Errant illi qui vno & eodem tempore exhibent aquas calidissimas & frigidiss. Falsa est omnino opinio, dicens potum aquarum thermalium non esse tutum anno bisextili. Eadem ex eodem Ioannes Gœbelius Potum aquarum medicatarum quamuis minus probē hyemali tempore, non tamen in totum rejciendum hyberno tempore existimarim, si confusis alijs aquis vires non sint imminutæ: Siquidem hyeme ventres ex Hipp. calidiores meliùs concoquunt: id quod de potu qui per secessum vel vrinas vim suā exserat inaudiri volo, non de eo per quem sudores mouere consilium est. Periculum enim ne ambientis algidi frigore poros constipante & difflatione euacuationemq́ propulsatorū ad cutim humorum impediente, aliò viam capessentes aquæ dolores artuum pariant. Valeāt inquit Morellus de balneis Patauinis, qui tēpore hyemis aquas thermarum nolunt exhibere, existimantes eas brumali tempore aliquid virtutis acquisitæ dimittere: cum tamen eo sint tempore perfectiores o-

Aq. medicatæ hyeme quibusdam nocēt, aliis non.

Crurū conuulsio à potu aquæ.

Aëris correctio hyeme.

Tēpus anni quo conuenit exhibere potum aquarum medic.

Nullū periculū à bisextili anno

Aq. potus hyemis tēpore non in totum reijciendus.

Aq. medicatæ præstantiores hyeme.

mnibusque qualitatibus potentiores. Frigus enim ambiens non finit aquas ita difflare & spiritus exhalare, vnde perfectior illarum actio redditur. Quare ex parte aquarum hyems videtur magis oportuna quàm aliud tempus: Idem ex parte ægrotantis est, quandoquidem virtus sit fortior ad sustinendam tantam aquæ copiam, nec aër frigidus debet hanc aquarum administrationem impedire, cum ad libitum nostrum poßit alterari. Ideo quotiescunque adest neceßitas & datur occasio aliqua exhibendi, fiat quocunque tempore, alterato aëre prout exigit morbus curandus. Hæc ille Baccius lib. 2 cap. 10. de tempore potulentarum aquarum medicatarum hæc scribit: Tempus sumendi aquas confusè expreßit

Error Archigenis.

Archigenes: nam matutinum proponens, benè quidem, vt communiter fit, sed subinde hora, subiungens, calidiore confusionem fecit: nisi hæc fortasse culpa sit errantis interpretis Nos distinguemus de vniuersali tempore, & particulari. In vniuersum anni tempus idoneum est inter vtrunque æquinoctium per æstatem,

Tempus vniuersale.

& omnino temperatæ qualitatis, vere & autumno, ex Galen. IIII. de Sa. tu. Sub Cane, & ante canem difficiles fiunt purgationes, dicebat Hippocrates. Et

Solstitium æstiuum vitandum.

ratio triplex Galeno ibi interprete, quæ & in purgationibus medicatarum aquarum militant. Primò, quia corpora tunc exusta non sustinent medicamenti acrimoniam: quare plures hoc tempore purgati incidunt in febres. Secundò, quia imbecilles dissoluuntur. Tertiò, quia aëris ambientis calor in partem trahit extrinsecam, contrariam ei, ad quam purgatio ducit humorem: quo nomine vidimus sæpe non purgatas aquas putrescere in corpore, itáque conuersas in acrem bilem accendisse maximas febres. Militat & Aphorismus in altero solstitio:

Bruma vitanda.

Hyemis enim frigore hebetantur tam balnearum vires, quam corporum: nam aquæ ipsæ variarum confluxu aquarum non modicè alterantur, vt pluries diximus. Aëris vero ambientis frigiditas aduersatur balnei operationibus, quæ sunt aperire, fundere, laxare: at frigus constipat, & vel planè nocet, vel non facit ad vsum. Cæterùm sunt quædam aquæ, quarum priuata ratio in electionibus esse debet: tum ob specialem earum naturam quolibet tempore vsui idoneam, tum

Aq. quædã quolibet tempore idoneæ.

Aq. S. Caff. Porretanæ &c.

ob patientis vrgentem neceßitatem. Ergo quæ semper syncerę seruantur, semper vtiles. Quo modo Sancti Caßiani aquæ, Porretanæ, Villa Lucæ, Salsulæ Montis Catini, & quædam aliæ, quæ deferuntur per vniuersam Italiam, atque etiam in Galliam, ac toto anno (quando scilicet cumque vtendæ veniunt) tepefactæ bibuntur vtiliter, etiam in medijs solstitijs: quanquam vel me tacente patet, quod nulla balnei aqua eodem cum successu, ac laude bibitur longè exportata, quo ad fontem proprium. Maxima enim pars ex ipso fonte haustæ, ac delatæ amittunt

Aquæ non parẽ vim ad scaturiginẽ bibitæ & exportatæ habent.

omnem virtutem. Rectè ergo dictum est, quod quas non constat experientia esse vtiles, eæ bibendæ non sunt, nisi ad proprias venas, ac proprio tempore. Quapropter quæ nõ adeo accidentalibus pluuiarum riguis contemerantur, quales multæ habentur, diuiti vena latis, ac opertis cuniculis, vere statim ineunte possunt as-

Quales aq. vere bibẽdę

sumi. Hoc enim tempus, vere scilicet ipso, ac per æstatis initium, totius anni electißimum est, vt cæteris purgationibus, ita & balneis. Quæ autem ipso etiam

vere,

vere, vel pluuijs, vel longis niuium destillationibus sunt obnoxiæ, vsque ad Caniculæ ortum non sunt eligibiles: tuncque per quadraginta circiter dies, vbi maxime illa obstacula cessant, optimè eliguntur. Quo tempore Aquæ vallis Sancti Marini bibuntur communiter. Nisi aliquid obstiterit. Sunt enim quæ magnis caloribus sumptæ non digeruntur (vt iam diximus) vnde vel opplent, vel in malum cõuertuntur humorem. Sunt aliæ, quæ quanquam forent æstate electißimæ, ob aëris tamen illius temporis eo loco inclementiam, sunt omittendæ. Hæc Baccius. Porrò autem quandoquidem constat ex mixtione metallorum & succorum Bollensis fontis, nec non ex historijs aquas eius non tantum impunè, sed & cum emolumento bibi posse, non displicebit à medicis eius vsum præscribi in potu, eo potißimum modo quem proposuimus ex Andernaco, & quidem ijs qui acidularum actualem frigiditatem ferre non possunt, præsertim verò ad morbos quorum postea fiet mentio libro tertio. Quamdiu medicatæ aquæ sint, inquit Andernacus bibendæ morborum naturæ & status indicabunt: Alij siquidem diebus sex aut septem, alij quindecim aut pluribus indigent. Certior autem absolutæ purgationis nota est cum aqua talis excernitur qualis assumpta est. Post absolutam potionem balneum experiundum. Nam hoc cum singulare & partibus idoneum sit remedium, potionem & in vniuerso corpori accommodatum sequi debet. Baccius lib. 2. cap. 20. scribit: Bibenda aqua balnei tres dies ad minùs consulitur, in leuibus scilicet casibus. Communiter ad 10. vsque vel quindecim etiam dies bibendum : quod & pro morbi ratione & pro tolerantia patientis, medicæ prudentiæ determinandum relinquitur. Non sine ratione, obiter hoc loco instituimus scribere de acidulis ac earum potu. Nam præterquam quod frequentißimè in potu vsurpantur, sæpius earum sparsim mentionem facimus, & cum vsu nostri fontis admirabilis præscribimus: magna est etiam ijs vtendi commoditas. Siquidem primo libro plures fontes acidos bonos prope balneum admirabilis fontis esse diximus, quorum etiam vsum magni facimus in potu tum per se ad varios morbos, tum in fine lauationis balnei nostri, denique & inter lauandum: Adde multis constare mineralibus communibus nostro fonti admirabili. De fontibus autem acribus & acidis scribit Andreas Baccius de thermis lib. 1. cap. 12. quæ sequuntur. Acres aquæ, fortes, acidæ, per gradus suos vnius sobolis sunt. Acres igneam magis & siccam indicant qualitatem misturæ: fortes cum ignea terram admistam: acidæ minùs igneam & mediocrem. Acris saporis propriè est argentum viuum, & vapor eius: deinde æris materia & eius excremẽta præcipuè, quales emanant ex æris mineris acerrimæ aquæ in Cypro, & in Neusola Daciæ. Horum acrimoniam consequuntur atramenta, nec non Soryos, aut Misyos, chalcitidis succi, ex quibus fortes dictæ fiunt aquæ: quo nomine celebres in Volaterrano ex atramento. Acidæ tandem sunt quæ in substãtiam suam acrimoniam aliquam suscipiunt vaporum aliquorum terrestrium, nimirum metalli alicuius, quæ plus minùs participant argento viuo, ærugine, chalcantho. Acidulæ aliquæ manifestam in se continere videntur misturam vel aluminis,

Quales æstate.

Aq. vallis S. Marini.

Cautio.

Quamdiu sint bibẽdæ aquæ.

De acidulis.

De fõtibus acribus & acidis.

Argentum viuũ acris saporis.

Aeris materia.

Atramenta.

Acidæ.

Argentum viuum.

Cinis. Vinolentæ.

vel nitri, vel salis, atque cineris. Harum porrò naturam consequuntur vinolentæ, quæ & ipsæ aliquam imbuunt metalli acrimoniam. Sunt verò rariores inuentu, vt quem in Paphlagonia fontem scribit Theophrastus. Nisi superstitiosa aliquorum fontium exempla posita sint: qualem Andriæ fontem Liberi patris recitant Mutianus & Plinius, quem statis diebus septenis eiusdem diei vinũ mittere, sed si auferatur è conspectu templi, saporem transire in aquã, euaporata forsitan tasse illa virtute. Et quæ vini, non saporẽ, sed potestatem imitantur, vt Lyncestis aqua, quæ ebibita vini modo temulentos facit: quo effectu, ac etiam sapore ipso, aliqua bituminis impreßio notatur. De asperis autem, austeris, & huiusmodi stypticis, ac adstringentibus, haud aliam hîc rationem habebimus, nisi hanc, quòd quia communes sunt differentiæ, misti alicuius consequuntur naturã, aut ferri, scilicet aut aluminis, aut lapidum eiusmodi. Item lib. 6. c. 21. Omnis metalli acrimonia habet proprietatem ad acorem. Quod constat experientiâ, nam alio loco reperitur chalcanthũ, vel æris lapis, alio loco cinis, & calx. In Hispania, & Aquitania acres sunt putei, qui aquas longè concipiunt ex fibris argenti viui. Quandã acrimoniam imprimit quoq; vena ferri, subinde alumen dulciorem, & nitrũ. Alterum haud minus est manifestum, quòd inter omnes succos, ac materias ad acrem impreßionem idoneas, idonea super cæteras est acidis gignendis aquis, materia æris atque chalcanthi. Primum veluti seminarium, ac matricem æris suprà ostendimus esse Chalcitim, Sory, Misy, Melanteriam, Chalcanthum, quæ gustu omnia mordent, aspera, acria, ac vbi madorem aliquem senserint, acescunt. Et postea, quod multi in hoc est momenti: Nullum est inter cætera metalla, quod tantam aggeneret in se excrementorum copiam, & acrium, quam æris metallum. Quæ quanquam de essentia æris non sint, sed mera eius excrementa, quæ redundant in formam aut succorum, aut salium, aut vaporum: prudentißima tamen natura, quæ nihil patitur ociosum, per aßiduam cum eo metallo digestionem, in aliquam reducit perfectionis speciem. Nam in metallo æris ex alio excrementi genere facit cæruleum, ex alio chrysocollam, ex alio diphrygen, quasi terreum, & bis vstum totius lapidis excrementũ, & aliqua præterea genera relinquit indigesta, aut quæ in via sunt ad digestionem aliquam, vt est ærugo, quam viride æris æmulatur, gustu mordacißima, & acida, chalcanthi materia, ochra, rubigo, & id genus multa: Quorum omnium nulla est acida aqua, quæ non aliquod educat, præseferatq; vestigium, ac argumento pariter sunt nobis certißimo, saporem acidum in terris, si aliquam habeat propriam materiam, nullam habere magis certam, aut idoneam, quam metallum æris, quod & operationibus earum aliquibus postea confirmabitur. Cur verò non omnes ex æris materia nascantur Acidæ, iam manifesta est ratio, quoniam hæc acritas vt plurimum ipsorum excrementorum est potius, quam æris: atque hæc vbi plus, vbi minus redundant, vbi alterum, & non alterum. Acidæ refrigerant in primis atque exiccant, præsertim ebibitæ. Deinde pro tenui essentia, próque acquisiti caloris igniculo, penetrant crassasque humiditates dissoluunt. Hinc tertia virtute lapi

Fons Paphl. Andriæ fõs statis dieb. vinum mittens. Lyncestis aqua temulẽtos faciẽs. Bituminis impressio in vinosis. Asperæ & austeræ. Omne metallum acre aquis aciditatẽ conciliat plus, minus. Sed præter cætera, æris atque chalcanthi materia. Aeris metal. super reliqua plurimũ gignit excrementorum. Cur nõ vbi æs, ibi aq. acidæ sẽper. Acidarum facultates.

dem tam in renibus, quàm in vesica frangunt, arenulasq; eiiciunt, quæ prima est, ac insignis harum aquarum prærogatiua. Vbi enim venter crassa redundat pituita dantur vtiliter ad tenuandum, ad siccandum ad tergendum. Obstructiones aperiunt hepatis, meseraicarum, ac etiam lienis per initia. Resistunt putrefactioni, vt acetum exiccatoria facultate, nec non tota substantia, vt sal, alumen, nitrum, cinis, chalcanthum, cuiusque horum soboles sunt. Lumbricos enecant, ab ebrietate vendicant, partim repressis, partim dissipatis vaporibus. Porrò tandem non adeo Melancholicis laudantur: nec his qui multam congregant in corpore pituitam. Nec stomachis frigidis benè faciunt, nec neruis nec vtero, nullis frigidis affectibus conueniunt. Hæc Baccius: cuius sententiam de cinere acidulis admisto minus probare possum, nisi actu calidæ sint. Nec scio quid velit lib 2. cap. 5. de iudicijs particularibus operationum aquarum naturalium, vbi ait, de facultate à coloribus infirmissimum iudicium esse. Nam in albis vel alumen subsidere, vel calcis misturam vel cineris vel gypsi vel etiam argillæ: A calce, inquit, calidam ab alumine aut gypso adstringentem, ab argilla simplicis naturæ aquam emanare videmus. Miror vbi terrarum conficiatur per se vi ignis subterranei spontanei calx propriè veteribus dicta, quæ colore albo inficiat fontem aliquem. Verùm vt ad fontes acidos euehamur, cùm pro instituto nostro, sufficiant quidem in genere quæ modò diximus, operæ pretium fecerimus, si subiungamus aliquid de acidulis balneo admirabili vicinis, de earum mixturis & viribus. Scribit Martinus Rulandus in suo balneario Acidulam in Ducatu Vvirtembergensi iuxta oppidum Göppingam infici chalcantho, ære, ferro, sulphure, pyritæ saxis atque calcarijs. Iac. Theod ait habere spiritus pyritæ, æris, ferri, vitrioli, bituminis, & sulphuris. Vires ex sequentibus subijciemus. Fuchsius in institut. lib. 2. sect. 5. cap. 28. In ditione Vvirtembergensi prope Göppingam vrbem ad fluuium Vilsum, fons est alter acidus, quem Germani etiam Saurbrunnen vocant, quòd aciditate iam dictum longè superet, & ob acidum suum saporem, in potum hominum illic degentium magno studio hauritur, & expetitur. Ventriculum & iecur propter insignem adstrictionem iuuant, & corroborant, hócque nomine luxatis corporis partibus prosunt. Cum verò acidulis penetrandi & abstergendi vis insit, iecoris lienisque obstructiones soluunt, adeóque ictericis & malo corporis habitu laborantibus succurrunt. Febres tertianas propter causam paulò antè expositam, discutiunt, & calculos frangunt. Vomitum biliosum restringunt, & vlceribus medentur. Iacob. Theodorus addit pellere lumbricos, sedare dolores magnos colicos & iliacos, extenuare adustam bilem & pituitam, euacuare aut præparare ad facilem euacuationem per cathartica, purgare refrigeratũ vterum à viscidis & putridis humoribus: venenũ assumptum expellere & dissipare: intoxicatis acidulas bibendas, esse eis vtiles. Narrauit (inquit) mihi Il. Frider. III. Elector Palatinus, tẽpore Il. Ducis Vldarici Vvirtembergici intoxicatos his aquis feliciter vsos, eius etiã filiũ Il. Ducem Christophorum, [illegible] variè affligeretur ob reliquias assumpti

An cineris mistura in acidis.

An calx mineralis inficiat colore albo.

Vires acidularum Göppingensiũ.

Intoxicatis conuenire ex historia.

veneni, primo anno quo bibit, meliùs habuiſſe, non tamen omnino reſtitutum donec etiam tertiò bibit ad duos menſes, tandem integram ſanitatem recuperaſſe. Rulandus addit prodeſſe balneo & potu contra teſtium inflammationes & tumores, hydropem, profluuia ventris, menſtruorum fluxum ſuperfluum, vlcera, ſcabiem, pruritum, ſpirandi difficultatem, pectoris compreſſionem, ſitim, ſanguinis fluxum ex naribus alijſque locis, ſemen augere & venerem ſtimulare: Huius aciduli fontis vſu abſtinendum ijs, qui patiuntur chronicos morbos, quartanam febrem & hypoſarca, hydropem eiuſuè initium. De Yebenhauſenſi fonte vicino dicit Iac. Theod. ratione virium ſubtilium eadem ferè præſtare quæ Göppingen. Minus tamen habere pyritæ, & plus ſpirituum vitrioli. Rulandus verò fontem Ebenhuſanum qualitate & viribus æquiparari acidulis Göppingenſibus. Iacobus Theodorus tertium fontem noſtro vicinum (de quo ſuprà lib. 1.) aſſerit eandem habere mixturam & vires cum Göppingenſi. De fonte Hathmenſi propinquo etiam ſcripſimus in præcedentibus. De quibus omnibus, vt & alijs alibi acidulis, cùm metallicorum & mineralium, quorum impreßiones recipiunt, mixturam temperationemque conſidero, illud ſemel dictum ſit, mihi videri eas non eſſe ſimpliciter & potentiâ frigidas, quantumuis ex acido aut vinoſo ſapore id adſtruere nonnulli conentur. Quod autem refrigerent (ſæpè enim id facere non diffiteor) id partim frigiditate actuali, partim ex accidente facere, mihi perſuadeo, & quatenus aqua ex ſe frigida eſt, quæ ſuperat ſua frigiditate calorem qui imprimitur per metallica. Scio doctißimum Baccium hæc dicere, Ratio dictat aliquas thermales aquas refrigerare per accidens, diſcuſſo ſcilicet per calorem balnei calore noxio: aliquas per ſe, ob maiorem aquæ quantitatem in pauca miſtura mineræ, etiam calidæ: aliquas ne calefacere quidem poſſe, quarum miſturas (ſi non in ſummo) ad humanæ naturæ temperamentum, frigidas eſſe experimur: multas ſalſas, nitroſas, & aluminoſas: multas etiam ferreas, & aliquas plumbeas: quæ omnes ebibitæ manifeſtè refrigerant. Baccio concedo multas aquas medicatas infectas metallicis calidis refrigerare, & quidem ſalubrius quàm aquam communem vel ſimplicem, non tamen magis refrigerare niſi id faciant per accidens: nec vllas exiſtimarim ratione ferri frigidiores: neſcio etiam an experientiâ conſtet plumbeas ebibitas refrigerare. Nondum mihi conſtat acidas participare argento viuo, in acidulis à me viſis nihil tale hactenus animaduertere potui: nec etiam argentum viuum acris ſaporis propriè eſſe, niſi per chymiam mutatum ſit, vt fit per præcipitationem vel ſublimationem. Agricola lib. 8. foſſ. Mauri cùm ardore ſolis omnia torrentur, id in lacum infundunt, atque iniecto corio ſuper ipſum ſtrati ſe refrigerant. Nuper cum improba vxor marito aliquot vicibus argentum viuum dediſſet deuorandum, id ſine vllo nocumento egeßit per aluum: quæ in manifeſto maleficio deprehenſa, pœnas legibus dedit. Matthiolus in 6. Dioſc. cap. 28. Argentum viuum ſi largiùs bibatur, exceſſu ſummè frigido & humido, putrefacit ſuo temperamento innatum cordis humorem ac ſubinde congelat ſanguinem, vitales ſpiritus & ipſam denique

An acidulæ ſimpliciter & potentiâ frigidæ.

Metallicæ aq. per accidens refrigerant.

Plũbeæ aq.

An argento viuo participent acidæ, & an acres.

Mauri argẽto viuo ſe refrigerant.

Quidã ſine nocumẽto aſſumunt argentum viuum.

cordis substantiam. Quandoquidem id medicis experientiâ compertum est, vt Conciliator testatum reliquit de pharmacopæo ardentissima febre correpto, qui multum ex eo potauit, & paucis post horis congelatus interijt: in cuius ventriculo libram inuenerunt, quin & sanguinem circa cor concretum. Quo argumẽto palàm fit magno admodum recessu frigidum esse. Auicenna scripsit non deesse qui bibant, & nullam inde sentiant noxam. Goritienses mulieres ægrè parturientibus vltimo remedio potandum præbent scrupuli pondere. Fallopius de metall. cap. 37. Argentum viuum tutò potest exhiberi per os: nam video & brutis exhiberi sine noxa. In mea enim patria solent pastores, quando anhelitu cognoscunt vitulos laborare vermibus in eorum ventriculis existentibus, solent in aquam, ne vituli macri fiant, accipere nucem auellanam, eamque diuidunt, & alteram testæ partem explent argento viuo & deijciunt in gulam: idque ter & quater aliquando faciunt, & nihil mali vnquam visum successisse. Ego soleo, quando video puerulos positos in extremo periculo, & iam omnia alia sunt frustra tentata, exhibere argentum viuum quantitate duorum vel trium granorum milij & vidi semper à vermibus sanatos. Licet itaque ex sententia auctorum sit suapte naturâ, & ab occulta quadam proprietate inimicum naturæ humanæ: tamen si in pauca quantitate exhibeatur, nihil certè obest, nec erodit. Hoc dixi quoniam Diosc. asserit quod hydrargyron corrodit intestina, nos tamen videmus hoc non fieri: Quando dicit quod non seruatur nisi in vasis vitreis, plũbeis, stanneis, & argenteis rectè à recentioribus accusatur. Solent nostri seplasiarij seruare aliquando per integrum annum in testa nucis auellanæ clauso foramine cera, conseruatur etiam in vesicis, atque in vasis ligneis. Hæc ille, qui post longam disputationem de temperamento argenti viui, concludit calidum secũdo gradu intenso vel in principio tertij: siccum autem in tertio intenso, nulla facta acrimoniæ aut rosionis mentione. Verùm hæc sint per transennam dicta indagandæ veritatis ergò non contradicendi. Reuertamur ad acidulas & bibendi modum subiungamus, quem medici ægris assistentes aut consulentes sequi poterũt, vel aliter instituere, personarum & morborum habita ratione. Talem autẽ præscribit Iacobus Theodorus in suo thesauro aquario. Qui acidulas volet bibere, surgat oriente sole, & purgatis aluo, vesica, & ore, sole benè exorto lentè (ne nimium incalescat corpus) deambulandum vsque ad fontem (senes sumant ante potum tabellam conuenientem morbo quo affliguntur ne ventriculus offendatur frigore) Primum bibat libram ß. ex scaturigine quam vasculo tecto manibus aliquandiu fouebit, vt imminuatur nonnihil frigiditas, & non resoluantur subtiles spiritus, in quibus horum fontium latent vires: deglutiat paulatim & supercomedat aliam tabellam, & deambulet moderatè donec sudor appareat: qui vt meliùs promoueatur, tectum ingrediatur, mediocriter tegatur: prima vice per mediam horam benè sudet, se tergat calidis linteis, induat, caueat ab ambiẽte frigido donec occludantur pori, obambulet parum donec tres horæ à potu elapsæ sint, deinde prandebit. A cibo ad horæ semissem minimùm sine multo motu &

Phatmac. mortuus ex multo potu argẽti viui.

Parturientibus datur argentum viuum.

Vitulis datur argentum viuum.

Pueris datur aduersus vermes argentum viuum.

Argentum viuum non corrodit, vt vult Diosc.

Conseruatur in variis vasis.

Tẽperamẽtum argenti viui.

Modus bibendarum acidularum ex Tabernamontano.

ſomno maneat. A prandio circa tertiam pedetentim pergat ad fontem, comedat tabellas duas, ſuperbibat vncias 12. deambulet per trientem horæ, ſudet, poſtea exſiccatus in cubiculo, vel extra, ſi cœlum ſerenum, deambulet vſque ad cœnam: A cœna etiam abſtineat à multo motu. Tribus horis à cœna bibat ad minimum libram ſemis, deambulet parum, & deinde in lecto ſe componat. Sequenti die bibet libram, per horam ſudori vacabit, à prandio horâ tertia bibat 20. vncias: in cæteris aget vt dictum. Sequentibus diebus perget eâdem ratione, & potioni mane ac à prandio addet tres aut quatuor vncias, donec bibat ad duas libras plùs minùs pro ratione perſonæ & morbi. Hanc methodum bibendi ſequetur donec elabantur tres ſeptimanæ: quibus præteritis incipiet paulatim potum minuere, eo modo quo cœpit bibere, donec redeat ad libram vnciarum 16. & ſic perſeuerabit ad 30. diem. Tunc verò poterit deſiſtere, potiſſimùm ſi meliùs habeat. Solet autem ſanitas primùm ſequi poſt menſem aut ſex ſeptimanas: quamuis primis octo diebus & in quibuſdam poſt 14. mediocris conualeſcentia percipiatur, quæ in alijs metallicis aquis non ita citò apparet. Circa ſudorem idem obſeruandum, quod iam de potu diximus, paulatim ad duas horas aſcendendo & deinde diminuendo ad horam, atque ita perſeuerando ad finem. Quidam curantur intra 24. dies, alij intra 20. Quotidiè poſt cœnam antequam ingrediatur lectum toto potus tempore bibendæ acidulæ, quotidie aucto potu donec bibatur ad libram. Si potus acidæ moueat vrinas & aluum, omittendus eſt ſudor. Hæc Tabernam. Plura ex eo non addemus cùm non ſit nobis de acidulis particulatim aut copioſè ſcribere propoſitum, ſed ex vicinitate obiter arrepta occaſione. Hoc tantum moneo me non futurum authorem meis ægris, vt bibant acidulas vel de fonte admirabili à cœna cubitum ituri (ne videlicet perturbetur concoctio) niſi tanta eſſet ſitis quæ ſomnum impedire poſſet.

Quid agẽdum vt aquæ medicatæ potæ melius vires ſuas, pro morborum varietate, exſerant: quamque diu ſint bibendæ.

CAP. X.

SÆpè fit vt bibantur quidem aquæ, ſed vel quòd minore quantitate aſſumptæ ſint, vel quòd viæ impeditæ ſint, ſiue quia nulla præceſſit per catharctica reſeratio, ſiue quia naturâ arctiores ſunt, minime reddantur: id quod cum euidenti periculo non poteſt non eſſe coniunctum: quamobrem Medico opera danda eſt, vt tarditati deſcenſus & ignauiæ aquæ obuiam eat, ita tamen vt, quæ pro calcari addet, morbo & loco affecto ſint accommodata: hoc interim in omnibus adiuuantibus obſeruato, vt aquæ cruditatem, ne flatus pariat, corrigant. Si ergo per aluum ducere eſt conſilium, oportune primis cyathis ſolutiuum aliquod, imitatione Hetruſcorum & Fallopij, admiſcebitur: cuiuſmodi ſunt.

Aq. medicatæ vim euacuantẽ iuuantia.

mel rosatum, manna, & id genus alia: vel etiam salis pauxillum, hoc enim vi abstersoria ignauiam aquæ excitat, & maturius per secessum deducit. Itali purgatricis alterius cuiusuis aquæ vt Montiscatini præmisso cyatho, expetitæ aquæ potionem auspicantur. Vbi verò ea se non offeret commoditas, oportunè pharmaco, vt dictum, adiuuabimus. Altera via est, vt longiore itinere per venas ad vrinæ destinatos meatus perferatur: quo casu illa addi possent, quæ eam qualitatem aquæ imprimant, vt à venis faciliùs, allecta sugatur: qualia sunt dulcia: quæ eadem vi detersoria, vlcus renum, vreterum, vesicæ (si tale quid ad aquarum potum hominem pertraxerit) expurgabunt, & ad sanationem fæliciorem apparabunt. Sed nihil ad hæc loca citius aquam deducet, quàm aromatica diuretica: quorum omnium is erit modus & delectus, vt affectui locóque affecto sint accommodata: id quod Medico in Medendi Methodo exercitato indicationes dogmaticæ insinuabunt. Idem enim de alijs affectibus, quorum gratia aquæ naturales bibuntur, erit iudicium. Aquæ verè cruditatem distributionísque moram corrigit Andernacus Tabulis ex cinamomi ℥ j. ß. nasturtij, calami odorati vulgaris ana ʒ. ß anisi, fœnic. ann ℈ j exceptis saccharo, in aqua artemis. soluto. Quorum tamen si nihil sit, sed citra adiumentum accessorium satis efficaces aquas deprehenderimus, puras putas propinabimus eousque, donec desiderio Medici periti satisfactum erit, quod, ceu de lauatione suprà nobis dictum est, circumscribent morbi conditio, habitus corporis, vires debiles vel robustæ, & similia. Neque enim, quod nonnulli dictitant, decem duodecímue diebus negotium concludemus: aliquando enim paucioribus, sæpe pluribus sperata sanitas obtinetur. Obiter illud quoque admonere licebit, in lauatione si infirmiores sint aquæ, posse eadem methodo efficaciores & ad morbum accommodatiores reddi: quò faciet & hoc, si plures diuersis affecti morbis in idem solium non descendant. Abusus enim est, si quis existimet eodem remedio diuersos affectus discuti.

Ad distributionis morã & cruditatem.

Baccius lib. 2. cap. 10. Error, quem frequenter videre est ad quasdam in Hetruria aquas, quæ ferreæ à prædominio mineræ cum sint, & cum quadam deiectoria facultate, quando minùs ebibitæ vacuantur, stimulo aliquo indigent. Nobilioribus enim cum manna commiscentur, vulgaribus cum salis gemmei frustulo, & pauperculis cum rosarum infuso, vel tartari momento. Quòd si tormina, aut id genus inflationes quandocunque gignant, discussorij aliquid, ac aromatici cõmisceri cum aquis Medici imperant, vt cinamomi, zinziberis, macis, gariophyllorum, galangæ, similiumque pollinem.

Ferreæ in Hetruria.

Purgãtia aq. vacuantib. addenda.



De Sudatoriis, atque vsu vaporum balnearum naturalium. Cap. XI.

QVem locum habent Stuphæ in Thermis vrbanis, eundem obtinent in naturalibus Sudatoria. Hoc excepto, quod stuphæ, vt pote concalefactæ simplicis aquæ calidæ vapore, magis humectant, sanis idcirco vtiles, & imbecillis. Sudatoria autem naturalia, pro ignea actu, & potestate virtute minerarũ, impensè exiccant, calfaciunt, ac pro exacta tenuitate summe penetrant, valẽter discutiunt, promptissiméque sudores eliciunt. Vsus idcirco eorum præcipuus, est ad calefaciendum, ad exiccandum, ad emolliendum induratas partes, ad euacuandum denique per sudorem vniuersum corpus. Commodissimæ atque naturales sudationes hydropicis sunt, & quocunque seu humore, seu flatu distentis. In his enim (vt inquit Celsus) euocandus est sudor, non modo exercitatione, Laconico, & Clibano, sed & arena calida, & sicco vapore, quales maximè vtiles suo tempore prodidit super Baias in Myrthetis, quæ ad hanc etiam ætatem manent. Faciunt similiter ad œdemata, quacunque in parte corporis soluenda, in abdomine, in pedibus, in testibus: nam ex ipso didicimus hernias quacunque ex caussa generatas, ac in principijs potissimum hisce sudatorijs percurari. Faciunt item ad induratos iuncturarum, ac neruorum affectus, ad ischiadem, ad podagram, ad distentiones quascunque, præsertim ex resolutione factas, ac interdum etiam ex vulnere. Si qua verò in parte balnei, necessaria in hac est vniuersi corporis præparatio, atque purgatio. Nam hoc maximè vsu possunt humores impensè eliquari, atque hominem lædere. Porrò vtendi modus (me iudice) esse debet, vt, quoniam vim adeo subitariam vix vlla corpora benè reciperent, per suaues priùs alias balneas disponerentur, vnde quasi exonerata multis superfluis natura, assuefactáque lenibus balnei sudationibus, faciliùs ad hos vltimos reliquiarum conatus alliceretur. Intret patiẽs, vt in alijs vsibus iam diximus, ieiunus, ac ventre vacuo, ac intret totus excepto capite: quod vel pileo, vel auerso situ à vaporibus tueatur. Comparantur autem sudationes penes diuersam locorum aptitudinem varijs modis. Sunt qui ad aquas ipsas medicatas, & calidas, vapores excipiunt, vbi per aliquam loci angustiam exhalent, constructa super ipsos (quantum locus patitur) domuncula, saltem posititia: quod genus sudationum haud acris admodum virtutis est, pro aliquo, qui cum ipsis vaporibus eleuari debet, aquarum humore, ac innoxiè fere sumuntur. In alijs vero naturales terræ cauitates reperiuntur, quas (vt in Puteolanis videre est) subiecti caloris ignei vehementia, ac ars simul dilatauit, vbi stãtes tanquam in hypocaustis, confertissimos statim sudores mittunt. Atque hoc genus acres admodum sudationes, & supra Laconici vires, molitur, nisi quantum quisque eas contemperare sibi potest, aut humi iacẽs, aut medijs assidens gradibus, aut supernis, quo maximè vaporis ignei copia eleuatur. Nec deesse debent in benè ordinatis spiracula quædã, vnde astantes, & ægri, aura interdum extrinseci aëris recreentur, & vt ratio exigit, vaporarij

Sudatoria naturalia exsiccantiora stuphis vrbanis.

Sudatoriorum vsus.

Præparatio necessaria ante Sudatorii vsum.

Modus sudatotiis vtendi.

Multifariã sudores in balneis cõcitantur.

Sudaria humida ex aq. vapore.

Sudatoria sicca.

Spiracula euentilationis ergò.

rarij halitus ad condecentiā euentetur. Quin etiam aliquibus locis hæc altera habetur commoditas, vt immißis in quædam foramina, ad hunc vsum conflata, membris solis affectis, vaporum vi tius vbi tantam opus est, recipiatur, in quo membra ipsa affecta sensim dimouere oportet, ac paulatim ad naturalem situm, quem intenderis, assuefacere, ac exceptis sudationibus, eadem condecenti aliquo præsidio tota die, ac nocte custodire, vt vel vnguento, vel cerato, vel puluere id genus aliquo, quæ communiter in contractionibus, induratisq; iuncturis vsurpari solent. Cæterùm qui hoc remedij vti volent, commonendi sunt, quod ad sudatoria naturalia, etiam balnearum salubrium, cryptæ etiam quandoque reperiuntur insaluberrimi halitus: quare haud minime cuiusquam interest, loci naturam vtcunque prius habere compertam. In vniuersum vero, nocent naturales omnes sudationes naturis primum calidis & siccis, item longo morbo imbecillis, & his denique qui facilè propter æstū animi deliquia incurrunt. Præfert Montagnana quas vocat vaporationes ipsis balneis, quia vapores meliùs se imprimendo in membra sedent dolores, emolliant durities, consumant humores, vti longa experientia se obseruasse ait: quod mihi etiam placet in multis morbis, vt suis locis particulatim dicetur, vbi agemus de morbis quibus conuenient. Quamuis autem non ea est vaporationum oportunitas, quæ in Italia multis in locis propter aquas sponte & naturâ sua calidas occurrit, qualisque in Germania quoque nostra in thermis Marchionum Badensium, nec non Badænis Heluetiorum, ac Plumbarijs magno cum fructu haberi posset non magno negotio: Nihilominus tamen, quoniam (vt suo loco dictum) defectum hunc hypocaustorum tubulorumque è caldarijs vapores artificiosè conducentium adminiculo supplere possumus (siue ea mauis cum Cicerone vaporaria, siue cum Columella Laconica, siue denique cum Seneca sudatoria) non pigebit ea, quæ Fallopius lib. de Thermis cap. 15. scripsit, summatim subiungere. Habemus in balneis loca quædam vaporibus calidis plena: quæ duûm sunt generum, alia magna vt duos tres & quinque in se recipere possent, & ista à recentioribus vocantur Stufæ: alia sunt parua, in quæ duntaxat vnum vel ambo crura possunt inseri, & ista loca appellantur cauernæ & foueæ à recentioribus. Stufæ cum sint refertæ vaporibus elatis ab aquis medicatis, & medicamentum sint magnum, in earum vsu omnia ea sunt obseruanda, quæ in vsu balnei, & habitus totius corporis, sexus, ætas, tempus quod debet esse serenum, & similia requirunt. Purgatio magna & maior quàm in stillicidio. Summo mane oriente sole surgat æger, & necessariò excernat alui fæces: deinde ingrediatur Stufam toto corpore excepto capite si opus sit Stufa pro toto corpore. Sudorem copiosum emanantem non sistat. Cum egredietur è stufa ingrediatur lectum, & in eo maneat per horam, deinde prandeat. Si pars tantum est affecta, ea sola inseratur in foueam, & pars superior quæ non inseritur in foueam, tegatur optimè. Cùm pars affecta ibi manserit quamdiu oportet, extrahatur, siccetur & inungatur aliquo oleo, quod eiusdem sit facultatis cum vapore illius foueæ, & interim dum æger habet partem insertam in foueā,

Foramina particularia ad sudores è certis mēbris eliciēdos.

Vtendi modus.

Cautio in Sudatorii sicci delectu.

Sudationes naturales quibus noxiæ.

Purgatio.

moueat ipsam continuè. Vtatur Stufis & foueis mane vel vesperi, mane luto, vesperi laconico : vel contrà mane balneo, vesperi autem luto & stufa, nam potest ad libitum permutare. Stufam oportet semper calidam esse, nunc magis nunc minùs considerata constitutione aëris, anni, habitus corporis, ætatis, morbi, & aliorum dictorum de potu & balneo. Vtatur stufis vel foueis bis in die vel permutet, vt dixi: Nunquam vtatur stufis vel foueis plùs duabus vicibus in die : Numerus dierum sit quindecim aut viginti ad summum. Baccius varia sudatoria naturalia recenset ad thermas in Sicilia, Sudatorium ad Baias, Sudatorium in Myrtetis ad Baias, Sudatorium ad lacum Agnani in Puteolano, Sudatorium ad Cumas, Sudationes in Vesuuio, Vaporarium ad Petram Malam, Sudatorium cum balneo in Ænaria insula, Sudatorium ad Minium fluuium in Hispania, Specum vaporis ignei ac pluuiosum in Pantalaria insula. Scribit Guillelmus Philander commentarij supra Vitruuium ad Borbonium Ancerici ad Ligerim fluuium esse balnea aquæ calidißimæ vbi Caldaria, id est, Sudatoriæ ollæ, vbi aperto per latus alterum canali perfluentes ea calidißimo complent vapore: Earum aquarum vsum coquendis cibis nihil inamœni saporis habere. In Baianis est Balneum saxi cum spelunca, vbi sudatorium. Balneum in Calaguria Hispaniæ parte ex calidarum aquarum venis abundātibus sulphure: Habet sudatorium sub reposita antri cellâ perobscura, quod per fenestram, à primo ipso amiculo vapores aquarum calidos recipiendo, attemperatur: vtile ad dolores artuum antiquos, duritiesque iuncturarum, quæ ex vulneribus, vel alijs etiam causis solent accidere. Ad thermas plumarias est etiam sudatorium, ibidem plura parari possent valde vtilia.

Sudatoria naturalia varia.

Balneum ad Borboniū.

Baln. saxi.

Baln. in Calaguria cum sudatorio.

Ad thermas plumarias sudatoriū.

De aquarum medicatarum stillicidio, clystere, & fotu.

CAPVT. XII.

Asperſionū vſus apud veteres rarus.

ASpersionum verò vsus ad balnea naturalia rarior videtur fuisse antiquis. Siquidem eius proprium vocabulum (quod sciam) nec apud Græcos legitur, nec apud Latinos authores ἐμβροχὴ καὶ ἐμβρέχειν, communius est, quasi impluuium, & impluere, infundere, conspergere. Nec tam ex Galeno colligimus vsum, quàm ex eo, atque Archigene corrigi abusum, vt infrà ex 6. de San. tuen. videbimus. Plinius, quem habemus rituum omnium antiquorum obseruantißimum, inter vsus quos commemorat aquarum, de hoc non meminit. Meminit obiter Horatius, cum esset in Baianis balneis, ad Vallam illis versibus,

Qui caput & stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt, & frigida rura.

Ducciæ vocabulū nouum pro aſperſione.

De hoc ergo vsu nos ad recentiorum nostrorum instituta tractabimus: & quam vulgus communiter Ducciam, nos idem vocabulum, pro re noua, aliquando vsurpabimus, aliquando ad latina vocabula accommodabimus, ac modo stillici-

Adminiſtrandi modus.

diam, modo aſperſionem appellabimus. Sunt ergo in balneis, quæ ad hunc vſum probantur, continuæ fiſtulæ, vel vna, vel duæ, vel plures, quæ volubuli epiſtomio clau[illegible] aquas à communi fonte, pro eo ac quiſque voluerit, vel reddere, vel retinere poterit. Delabuntur autem ex alto aquæ, palmi vnius, vel ad ſummum cubiti ſpacio, vel in balneum, vel in ſubiectum ad hunc vſum alueolum. Nam

Iſq; duplex.

duplex eſt modus: Vnus quidem, vt is qui ſola vti debet aſperſione, ſuper oblongo ſedens ſcamno, vel ſuccumbens pectore affectam tantum capitis irroret partem. Alter, vt ſe in balneum de more immergens, ſtillicidium ſuperne recipiat: qui modus in robuſtiore corpore, ac ventris affectu vtilior eſt, attrahente ſimul infra balneo, ac aqua ipſa ducciæ ex ictu vehementer diſcutiente. Atque

Cauſſa inſtitutæ ducciæ.

hæc fuit cauſſa inſtituti huius, vt addito ictu ex alto cadentis aquæ ad calorem, vehementior fieret diſcuſſio. In duobus potiſſimum morborum generibus,

Ducciæ facultates.

frigidis ſcilicet & inueteratis, ad calefaciendum, ac ſiccandum, ad reſoluendum, ad emolliendum induratas, & ad corroborandum imbecillas partes. Aut ratione ſitus, vt poteſt vel in alto corpore hæreat affectus, vt exempli gratia, Iſchias: vel (qua potiſſimum cauſſa laudat Galenus perfuſiones in caput) ſi affectus duro oſſium & caluariæ obice ſublatens, vim aliquam præſidij poſtulet, vt penetrare valeat, ac diſcutere. Qualem obtinent eo inſultu virtutem quædam

Sulphureæ ad ducciam commendatiſſimæ.

aquæ medicatæ, ſulphureæ in primis, quæ naturaliter ſunt calidæ, & ſubtilis eſſentiæ. Ac potiſſimum ſi vel nitri, vel æris quidpiam admiſerint, quorum miſtura, maiorem acquirunt tenuitatem, ac penetrãdi virtutem: quo nomine Sancti Philippi balnea ſunt Senis, multis alijs anteponenda. Vtiles & aquæ,

S. Phil. Baln.

Sulphureæ cum adſtringenti miſtione ad ducc. probantur.

quæ vel alumine participent, vel ferro; vel adſtringenti miſtione aliqua cum ſulphure, vt & diſcutere valeant, quæ eſt prima intentio, & membra ipſa ſubinde corroborent. Tales hodie ducciæ mirificæ habentur ad Corſeni balnea in agro Lucenſi: incõparabiles alioqui ob commoditatem, ac amœnitatem. Sũt & Patauinæ

Corſ. baln.

perutiles admodum calidæ, cũ cineris, atque ſalis miſtura, & amœniſſimæ. Cum ferro, & ære ad Viterbium. Cæterùm ſi vſus vnquam apud veteres fuit ducciæ

Ducciæ neceſſaria præceptio.

vſus, vtiliſſima in primis, ac notatu digna eſt Archigenis præceptio, quam Galen. in 6. de Sani. tuen. & ex eo deinde Aëtius aſſeuerant, Siquidem animaduertendum eſſe calidarum ſponte manantium aquarum vſum noxiũ eſſe capitibus natura calidis: frigido alioqui exiſtente affectu. Quod declarans Galen. Calidarum enim (inquit) quæ ſponte naſcuntur, ſulphuroſæ, ac bituminoſæ, propterea quod calefaciunt, nocentiſſimæ ſunt capitibus natura calidis: aluminoſæ verò, quoniã anguſtos claudunt poros. Id eſt, quia aut incendere nimium poterunt caput, & febrem excitare: aut potius humores diſſoluere, ac liquabiles nimis ad aliquam nobiliorem particulam reddere, ac ſuffocationis inferre periculum. Quamobrem his naturis (vt recte monet Galenus) eæ duntaxat calidæ aquæ erunt vtiles, & citra noxam, quæ vtique dulces ſunt, id eſt minus medicamentoſæ: quoniam (ſubdit) nec calidæ eſſent, ſi omnis calefacientis ſubſtantiæ expertes eſſent. Ex

Quib. propriè duccia conueniat. *quibus colligitur ducciam frigidis esse proprium remedium: hisque tribus affectibus, naturis, membris frigidis. Facit ad affectus omnes frigidos, ac inueteratos, primum capitis, deinde neruorum, ac iuncturarum id genus morbis. Cæteris locis, vt hepati, lieni, ventriculo, vtero quæ minus sunt natura frigida, frigido quanquam teneantur affectu, aut perperam duccia adhibetur (quod nonnulli tamen omittunt) aut certe non nisi contumaci, ac iam desperato affectu concedendum. De vsu: debita ac diligenti supposita præparatione, tum corporis vniuersi, tum laborantis ipsius particulæ, maxime verò capitis, res ita ineatur. Incipiendum prima die leuiter, id est exiguo, ac tepido stillicidio, & quandiu non molestentur subeant, mox calidiùs indies erit comparandum. Moris est autem caput prius deradere, qua parte saltem guttæ subeundum est, quatuor digitorum latitudine, & duorum instar longitudine à coronali in sagittalem suturam: mox circundata leui pileo capitis corona, super scamno balneario subeundum. His quidem qui frigido, humidoque catarrho, aut alioqui humido, neque multum calido afficiuntur, vt verbi gratia surditate tenentur, bregma supponendum, quo loco cranium tenuißimum est, atque rarißimum. Qui autem aut resolutione debilitati sunt, aut detentione, aut spasmo, aut alicuius partis infirmitate, aut neruorum contractione, aut aliqua huius generis mollificatione laborant, super occiput, vbi neruorum principium, impluuium recipiant, quod cadens per humeros totam spinam perfundat. Si defluxus verò cessauerit, partes ipsas solutas, contractasque duntaxat irrorandum: quod multum, ac diu pro primario, & iam consistente affectu fieri debet. Hemicrania denique, aut alterius membri frigido, vel antiquato affectu detenti, imbecillam, obsessamque iam particulam subijciant: idque mane diluculo, & vespere factitandum, aluo exinanita semper, ac ieiuno ventriculo: Vel si minus validi sint, semel in die subeant, & vbi solitum est quindecim plus minus dies succumbere, hi suppleant dierum numerum, ad viginti circiter dies, atque amplius. Tempus vero particulare est pro conditionibus antea positis varium, & omnino ad horæ spacium, & amplius, pro tolerantia: Vel, quæ certior meta est, quandiu sentiant ægri aquæ caliditatem ad intrinsecas capitis partes penetrasse. Tum exiens, ac deterso lenibus linteolis capite, derasa capitis particula panno laneo, & scuffia obtegenda est: tum quidem vt impressa diu aquæ medicatæ qualitas conseruetur, tum vt ne lædatur extrinsecus, quin crustam etiam ipsam relictam capiti ab aqua ducciæ, multis à duccia diebus seruandam consulimus. In die cauendum à somno, qui hoc maxime vsu solet obrepere. Simul atque noxiæ à capite rheumati defluxionique, quam adeo detestati sumus, occurrendum, cuius caussa sacchari rosacei semiunciam horâ somni sumendam consulimus, ac interdiu sacchari candi quidpiam elambendum. Subinde per quadraginta dies, victu vtantur regulari, caput non lauent, ne crustam (vt dixi) remoueant. Solem vitent, ventum & venerem: Baccius. De stillicidio inter alia*

Quib. partibus parũ cõueniat. Vsus ducciæ. In catarrho. In paralysi & spasmo. In hemicrania & parte frigido affectu inueterato κατα ϖρώτοπάθειαν laborante. Tẽpus vniuersale ducciæ. A duccia facienda. Somnus diurnus cauendus. Rheumati occurrẽdũ. Regimen victus.

ſcribit Fallopius: Riuulis aquæ ſalientis vel arte vel naturâ ita inſtructis ſubijciebatur corpus vel corporis pars aliqua, in quo vſu maxima eſt vis medicamentoſa, quia ratione illius motus imprimitur vis: & iſta vtendi ratio fuit frequentiſſima apud veteres, ita vt aliqui præter modum etiam vterentur, &, vt ait Galen. in 4. de tuenda valetudine, quidam ſubijciebant caput ſtillicidio aquæ ſulphureæ. Frequentiſſ. quoque vſus iſte eſt apud nos & frequentior quàm fuerit ante, cum vigebat Sauanarola & reliqui illius ætatis. Item cap. 15. Balneum de Ducijs in agro Lucenſi habet paucum nitrum & marmor combuſtum copioſum, & ideo valde ſiccat ſed parum calefacit: ſunt in vſu pro capitibus humidæ & calidæ temperaturæ & præſertim humidæ & proſunt. Sed mirum eſt quod aqua illa ſcateat feruentiſſima, & tamen nihil ſulphuris in ſe contineat, & quod etiam auget admirationem eſt quod inter quatuordecim ſtillicidia, vnum vocatum deſperatorum eſt vſque adeo feruidum vt depilet pullos ſi ſubijciantur & tamen humanis capitibus nullam affert noxam, ego bis in meipſo ſum expertus anno ætatis 14. & 18. Cum reciperem ſtillicidium videbatur mihi quod virga ferrea ignita attingeret caput in tota ea parte per quam fluebat aqua: Vnde mihi videtur quod à Deo optimo fuerit ſtillicidium illud extructum. Vtuntur ſtillicidijs bis ad ſiccandos catarrhos, & ſunt ibi in vſu tantum pro capite. Andernacus, Inſtillatio, barbaris gutta, Italicis ducia vocatur: cùm ſyncipiti inſtillanda eſt caput linteolo circumdetur, ne illa diffluat, vt poſtea dicetur: fiat non primis lauationis diebus, ſed vbi corpus aliquandiu illi aſſueuerit. Inſtillanda autem quotidie ad horam dimidiam, qua nimirum ad interiora penetraſſe iam deprehendi poteſt. Id porrò obſeruandum eſt omnes aquas ſulphureas, bituminoſaſque, ſi vehementer inſtillentur, capiti, ventriculo iecorique adeo eſſe periculoſas vt perſæpe mortem inferant. Præterea Germanis & alijs qui copioſiore alimento vtuntur, cuiuſcunque aquæ etiam non admodum calidæ, inſtillationem eſſe periculoſam. Hæc ille. Aquæ admirabilis fontis etiam non paruo cum fructu poſſent in vſum vocari (non ſunt enim vehementer calidæ) modò ex medicorum præſcripto diligentem victus rationem & ſtillicidij vſurpationem inſtituant. Poterunt quoque periti medici pro diuerſitate morborum & partium, additis ſtirpibus vel metallicis conuenientibus, aquarum vires augere. Medicatarum aquarum alter vſus eſt in Clyſmate: quod genus remedij vtiliſſimum, tam præſentis præſidij vt non tantum derepente tanquam incantamento dolores immanes & intolerabiles partium in ventre inferiore ſedet, ſed etiam plerique earumdem morbi grauiſſimi vix alij vlli remedio cedant: nec abdomine ſolùm affecto, verum etiam ſuperioribus partibus, potentiſſimè reuellendo. Quid autem faciat Medicus vbi aſtrictiſſima aluo inferiore, per os exhibita reuomuntur? Quare meritò accuſanda venit præpoſtera Germanorum noſtrorum verecundia, vt ipſi loquuntur, vel, vt ego interpretor, inepta & damnoſa

Balneum de Ducijs.

Periculũ aq. valde calidarum.

Clyſteres.

sæpe pertinacia, qui magno suo incommodo, non rarò præsente periculo, Medicorum autem molestiâ & tædio tam generosum suo tempore remedium fastidiunt: quod omni ætati (imò menstruæ & à matre rubenti ac grauidæ, experientiâ mea frequenti & fœlici) sexuique non tantum salutare, sed & honestum (contra quàm vulgus dictitat) si exceptus liquor injiciatur, syringe stannea vel argentea aut aurichalcea citiùs, commodius, ab vna etiam sola persona, & salubrius ac honestiùs quàm cum vesica aut sacco scorteo. Oportet autem geminâ fistula mobili donatam esse, quarum alteram sibi quilibet interposito linteo pertuso, indere potest: & ita tectis omnibus partibus pharmacopœus vel obstetrix aut pharmacopœi vxor indere alteram ac intropellere liquores, vt ne hîc rusticum pudorem nobis obiectent inepti. Illud interim non in syringæ tantùm fistula, sed alia quacunque studiosè cauendum venit, ne, vt, assolent, nimio tenuitatis acumine anum eiusuè sphincterem offendat: quod fiet si craßiusculus nucleo glomeretur fistulæ finis. Iacobus Theodorus Tabernæmontanus ad tormina ventris ex acidulis in Langenschwalbach *infuso clystere educta materia biliosa dolores compescuit: Quid ergo de Bollensibus nostris sperandum, quas præter teporem intestinis amicum, tot mineralium, quibus cum neruosis partibus maior consensio quàm sit acidulis, mixtura commendat? Et certè impunè aluum naturaliter calidis aquis prolui, attestari possum ipse, vt qui iuuenis in Heluetiorum thermis Badensibus, periculum facturus quantum caperent intestina, ipse mihi liberaliter per syringam thermales aquas aliquoties citra noxam iniecerim. Quanta autem cum vtilitate, quo modo, & in quibus injiciendi clysteres, quæ etiam addenda, passim varijs in locis ex prædicto Iacobo Theodoro, Andernaco, alijs item Germanis medicis, Italis & Gallis dicetur. Bollensem calidam non nimiùm, etiam solam & multoties injici posse non solùm sine vllo periculo, sed etiam magna cum vtilitate asserere non dubito. Idem sentit Baccius de thermis libro 2. cap. 19. Sanè equidem ne errorem nunc dixerim clysteres ex aqua balnei comparare: id tamen in certis casibus factitandum, vt in colico affectu atque hydrope: Haud tamen eorum vsum communiter consulimus, neque ex quacunque balnei aqua duabus rationibus: tum quia ignorandum non est in plerisque casibus, qui curentur ad balnea naturalia, clysteres vel non sufficere vel nequicquam esse, tum quia non minoris noxæ esse possunt quàm vtilitatis vbi per eos intempestiuè natura ad deiectoriam partem proritetur, fortasse inuita. Item cap. 10. Quibus ex affectu naturæ, vel aquæ ipsius vitio, vel ex constitutione eius tempestatis non adeo balneis oportuna, minus purgatio ebibitarum aquarum successerit, infuso rosarum ex saccharo nihil suauius est neque commodius. Ob quam causam vti aliquibus ex eadem aqua clysteribus non habemus absurdum, & tam ex simplici ipsa aqua balnei, quàm incoctis aliquibus vel lenientibus vel discussorijs, saccharo addito atque oleo & sale, vt moris est. Prorsus enim oportet*

omnem ebibitarum aquarum mensuram exturbare è corpore. Aliqui si quid reliquarum remansisse suspicio sit, post vsum potulentorum, lauacra calida exudationesque instituunt. Verùm de his hactenus. Paucula nunc subijcienda de fotibus qui in nostris aquis admirabilis fontis vires non paruas, vt patet ex historijs, habent: de quibus Fallopius de thermis cap. 14. Aquæ thermarum possunt nobis inseruire per fomentum, quando in eis madefacimus spongias vel pannos & fouemus corpus, qui vsus frequentißimus est apud medicos Veronenses in aquis Calderianis, in alijs autem locis & balneis non viget huiusmodi vsus. At Baccius lib. 2. cap. 19. de thermis: Fomentorum nullus inquit vsus esse debet in balneis naturalibus: quippe balneum vniuersam simul corporis temperaturam, atque eius affecti membri respicit: fomenta verò ipsa quodpiam veluti refugium sunt ijs, qui vbi non possunt ex aliqua occasione vti balaeo, fomenta ipsa pro locali vsurpant remedio. Vel, vti fit ad Porretanas aquas, si adbibeantur circa pectinem fomenta his, qui sumptas minus reddunt aquas. Vt ego magnis viris Fallopio & Baccio subiungam meam sententiam, fotus ex balneis medicatis non parui facio, potißimum ad balneum aquæ fontis admirabilis & similes aquas quas ars calefacit, vbi etiam hypocausta quæ calefieri possunt, qualia multa diximus esse in splendido ædificio ab Illust. meo Principe instituto: in quibus commodè administrari potest ægris imbecillioribus, qui non facilè solium subire possunt, aut certè diutius in eo manere. In ijs etiam, qui vnam partem corporis magis afflictam habent: quæ maiori fotu opus habet quàm totum corpus balneo: Cuius sanè etiam fotu externis accedente prudentiâ Medici, additis morbo & partibus conuenientibus augeri commodè vires possent, exempli gratiâ, si caput, ventriculus, hepar, & splen afficiatur, per fotum impetrari quædam possunt vel corrigi quædam impreßiones aquæ medicatæ, quæ minùs vtiliter in vna parte corporis existimantur balneando.

Fotus.

Aq. Calder.

Apud fontẽ admirabilẽ cubicula disposita ad fotus administrationẽ.

De cœno, crassamento, fœce siue limo thermarum aquarumuè medicatarum, & eo deficiente in Balneo admirabili & fonte medicato Bollensi quid substituendum.

CAP. XIII.

OMnis terra (inquit Galenus 9. Simplicium) vim poßidet desiccandi. Vnde & pinguis agrorum terra, quæ colitur, vtilis est ad curationem omnium partium resiccatione indigentium, quomodo ea in Alexandria, & in Ægypto vtuntur. Vidi enim (inquit ipse) in Alexandria hydropicos, ac lienosos aliquos terræ Ægyptiacæ illutatione vti, qui sibi suras, femora, cubitos, brachia, tergum, latera, pectusq; linirent, ac perspicue iuuarentur. Eundem in modum & veteres inflammationes, & laxos tumores, quæ Græcis œdemata dicuntur, hoc lutũ persanat. Quinetiã noui quosdã toto corporis habitu aquo-

Terra quauis siccat.

sos, ex immodica hæmorrhoidum euacuatione redditos, inde manifestum sensisse auxilium. Et quidam diuturnos dolores iuxta partem aliquam firmatos, prorsus hoc luto sanauerunt. Hæc Galenus. Exercitatio ad verba Galeni. *Quam tamen facultatem haud equidem omnem terram, quæ colitur, æquè arbitror obtinere, sed illam Ægyptiam maximè: quæ nimirum Nili quotannis diluuia recipit, ac tota harenosa idcirco, & salsa, & nitrosa redditur, pro naturali, quam diximus, soli illius fluminis qualitate. Nec terram solum dixit, sed lutum pingue. Hoc enim differe lutum à terra videtur, quòd hæc cum aut pinguis sit, aut arida, aut compacta multis modis lutum dicitur si cum humido misceatur, seu terra simplex, seu mista sit.* Lutum medicamētosū seu aquarum medicatarum residentia. *Propriè autem ad hunc vsum, lutum intelligimus medicamentosum, quod in fundo medicatorum fontium residere solet. De quo & Plinius meminit lib. XXXI. cap. I. & VI. Vtuntur, inquit, & cœno fontium balnearum naturalium vtiliter, sed ita si illitum Sole inarescat. Qui vsus hodie est frequentissimus.* Facultates. *Ad emolliendum induratas partes: quo in genere balneum Sancti Bartholomei in Patauinis, est in toto orbe percelebre.* Baln. S. Bart. *Ad calefaciendum, ac siccandum, ad discutiendum, soluendumque contumaces in aliquo membro impactas, materias, infixos (vt dicebat Galenus) alicui parti dolores æmouendos. Ad roborandum denique, ac firmandum maximè iuncturas, ac neruosas partes. Est autem lutationis vsus duplex: post balnei vsum plures dies, & cum ipso balneo decem, vel quindecim dies, & vterque est laudabilis.* Vsus. *Quo fit, vt ij, qui vel particulam quampiam ex longo morbo, imbecillam confirmare velint, vel relictos tumores, vel dolores discutere, vel contracta membra extendere, vbi prius condecenter se præparauerint, ac balneo vsui fuerint plures dies, affectam partem luto huiusmodi, actu calido, & quale ex ipso fonte sumitur, illinant. Vel balneum ingrediantur calidum summo mane, mox sole inualescente vtantur luto, quod subinde resiccatum, reliquo interim corpore, & capite defenso à sole, ad horam immutent. Vel facto cumulo nouum super imponant, donec resiccatum ad duas circiter horas, vel cadat sponte, vel amoueatur. Tunc lauent eodem balneo membrum ipsum affectum, ac exiccent linteo, mox adhibito condecenti ad id quopiam præsidio, vel vnguento, vel oleo, vt dicemus, prandendum est. A prandio quatuor ad minus horas supersedendum est: hoc siquidem tempus naturæ totum condonandum est ad digestionem alimenti primam, & vt quiescant interim affecta membra. Facta verò in ventriculo coctione (quo nomine parcius prandendum erit, quam cœnandum) ad lutum redeant eodem tenore. Vespere autem conscendant rursus in balneum, vel paulisper vtantur perfusione, vt vna aqua, vnaque opera, & lutamentum abluant, & membra ipsa iam lutata confirment, mox inungant, & cœnent. Sunt qui anarsarcam patientes, prægressa aliqua diligentia (vt monet Aëtius) inter initia admisto ipsi illutamento ex discutientibus quopiam, totos (si oportuerit) illinant, moxque in fine in balneis abluant. Ad dolores verò, & tumefactiones laxas, & neruos contractos, affectam partem illinire à balneo quoque*

vniuersas

vniuersali satius est: ac ita aßiduo illutamento vti, quod efficacius tũ dissoluat, tum roboret. Vtile vero, ac recipiendum quod Montagnana consuluit, vt qui contumaces id genus duritias, vel contractiones, aut balneo, aut illutamento curant, aliquo ad eandem intentionem proprio linimento, per reliquum diem, ac noctes vtantur. Quale ipse habet, quod recipit, Olei sesamini, olei amygdalarum Vnguentũ. *dulcium singulorum sescunciam: medullæ crurum bouis, sepi castrati, pinguedinis gallinæ, singulorum vnciam: vitellos oui duos: croci drachmam: cum aceto postea, in quo dissolutum sit ammoniacum, conformetur linimentum: addito, si libet, pro narcoticis opio, aut chamæmeli floribus, ad dolorem leniendum. Vel esto ex bdellio vnguentum apud Mesuem, vel aliud huiusmodi. Cinerei, vel* Illutamentum cinereum & salsum. *salsi cæni illutatio tumores lienis aliarumq́; partium, ac cæteras inflationes ex crasso, frigido, ac impacto alicubi phlegmate valenter discutit. Cocturas item ignium sanat vel etiam factas aquis feruentibus, si aut cinerem, aut calcem, aut lithargyri recrementa lutum præ se ferat, & ex terra ipsa, cretosáque intritum vesicas eleuari prohibet, vriginemque penitus abolet. Sunt qui illutamenta* Illutamẽta artificialia. *sibi arte quoque componant, quale extat apud Aëtium, Ad tumẽtes corporis eminentias: Atramenti sutorij partes quatuor, aluminis scißi madefacti partes sex: luto fusco subigito, & ægro nudato, ac præloto, corpus illinito, deinde lauato, ac rursus eodem modo foueto, linito: quod vbi terfeceris cum rosaceo inungito, ægrumq́; per totam noctem contegito, reperies sanum. Dortomanus de thermis Belilucanis: Vtuntur cœno fontium vtiliter si illitum sole inarescat, teste Plinio: aut potiùs si prius impositum, & sole seu aprico loco arefactum eluatur, & deinde recens quoties inaruerit. Possumus eo vti liquido, exsiccato, vsto, quod tũ exsiccabit magis mordaciúsque erit nisi eluatur plantaginis seu rosaceo stagmate. Fallopius de thermis cap. 16. Luti facultas est emolliendi partes induratas: cuius luti ratione balneum Diui Bartholomei in agro Patauino celebratum in toto orbe & balneum de aquis. Luto etiam hoc modo vtimur: Aeger habeat alueolũ in quem imponat partem affectam, madefaciat eam in aqua calida balnei statim superponat lutum primùm parua quantitate, quã paulatim augeat, donec multum sit supra partem, quod sinet supra eam, donec refrigeretur, & tunc abijciatur, aliud superponatur, & id ter vel quater faciat: vltima vice abluat partem aquâ balnei, siccet, inungatq́; oleo aliquo, & pannis obuoluat exerceatque si potest: id faciat manè & vesperi. Lutum oportet esse calidum pro ratione morbi, habitus, ætatis, temporis anni, & reliquorum supra dictorum. Solent vti luto spatio quatuordecim vel 15. dierum, idque vesperi & manè per horam & semissem: qui excedunt solent incidere in febres acutas. Paulatim procedendum vtendo luto, & paulatim desistendum. Nos qui luto in Bollensi balneo destituimur, eius loco succedaneum parabimus lutum ex puluere lapidis fißilis nimirũ, bitumine, succino nigro & argilla cœrulea (quam suggerunt loca fonti vicina & rimæ lapidis fißilis, quamque verisimile est & bituminis & lapidis fißilis naturam redolere) subactis ex aqua Bollensi ad luti vsq;*

crassamentum: poterit etiam addi sulphur, vt facit Anderr acus ad ramleem, vt dicetur suo loco: licebit deinde eo modo uti quo præscribũt Baccius, Dortomanus & Fallopius, æstate ad Solem, vel si cœlum minùs calidum, ut plærunq; existimo esse circa fontem mirabilem, ad ignem aut ad vaporem ebullientis aquæ in vaporario, destinato ad vapores recipiendos, vel in hypocausto.

De victus ratione quæ in sex rebus non naturalibus dictis consistit, ijs obseruanda qui aquis medicatis vtuntur, quidque post vsum tandem aquarum sit faciendum.

CAP. XIIII.

Non eadem in specie victus ratio omnibus conuenit, qui aquis vtuntur.

Cùm varias ob causas in usum veniant aquæ medicatæ, & varijs sint prædititemperamentis, varijsq; morbis obnoxij, qui ijs utuntur: difficile est victus rationem præscribere, quæ omnibus ex æquo conueniat. Qui enim podagricorum effectuum causâ defluxionumque ad aquarum usum accedunt, his non est dubiũ quin victus præscribendus sit tenuior, ubi humores frigidi, viscidique: At si non ex eiusmodi humoribus pendeat morbus, quis non videt pleniorem victum & posse & debere interdum usurpari? Qua in re quoque affectuum constitutio obseruanda pertinax aut leuis, quique faciliùs cedat. Si quis tamen expectat quid nobis de victu sit sententiæ, eiusmodi proponemus rationem quæ cum latitudinem habeat quandam, poßit utentibus quibusuis obseruata prodesse. Et primùm quidem illud pro confesso accipiunt plerique, quod aliâs in quæstionem tamen solet vocari: parciùs prandendum esse quàm cœnandum his, qui balneo uti volent. Rationem adferunt, ut vesperi quoque balneo uti poßint: Cauent scilicet illi, ne si largius prandeatur, diutius protracta concoctio vespertinæ lauationis oportunitatem excludat: Scitum enim est medicorum, vi balnei euocatum ad exteriora calorem hærentem in ventriculo cibum minùs fœliciter concoqui, crudumque in venas rapi, vnde obstructiones & ex ijs pendentes morbi infiniti oriantur: Quod cùm ita sit, illud in genere potiùs suaserim, siue de matutina siue vespertina lauatione inaudiatur sermo, non priùs in solium esse descendendum, quàm absoluta sit concoctio: quæ cum in alijs maturiùs, in alijs seriùs absoluatur, nullo horarum numero circunscribendum hoc tempus esse videtur. Sed vnusquisque suæ naturæ & idiosyncrasias conscius ubi ex cessata ventriculi grauitate descendisse cibum nouerit, intrepidè se aquis committat. Vtq; cibum modicum bonique succi exigimus, ita quoque & potum intra mediocritatis terminos requirimus: qui qualis esse debeat mox explicabimus, ubi priùs cibos aquis medicatis utentibus ex usu futuros, obfuturosque recensuerimus. Probantur quidem quicunque boni sunt succi & concoctu faciles. Cibos sequentes concedit Montagnana lib. de balneis tract. 3. Panem recentem benè fermentatum & præparatum, carnes pullorum, vitulorum, hœdinas, agni unius anni,

Parciùs prãdendum quàm cœnandum lauantibus.

Regula generalis.

Sibi vtentibus aqua medicata concessi.

arietis iuuenis, anatulorum, perdicum, phasianorum, leporum: Inter herbas betam, spinachiam, borraginem, fœniculum, petroselinum & similes: iuscula ex ciceribus rubris vel albis, panico, hordeo. Aceto, inquit ille, aliquando uti possunt vel (si timeatur nocumentum propter neruos) succo arranciorum, malorum punicorum acido dulcium, & similibus incidentibus, aperientibus, non multum astringentibus. Idem in tract. 2. permittit aues non degentes in aquis, oua, pisces non viscosos, caseum recentē, lac coctum, colostra & alias partes lactis conueniēter assumptas. Quidam laudant rupicapræ carnem ac ceruinam, iuuenem sanè non improbarim. Scribit Plinius lib. 8. cap. 32. Febrium morbos non sentit ceruus quin & medetur huic timori. Quasdam nos principes fœminas scimus omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, longo æuo caruisse febribus. Ceruina caro impedit febres.

Non improbo etiam iuscula ex auena, ouis & oryza, nec cerasa acidodulcia rubra, amygdala, ficus, passulas, limones, citria, arantia & mala punica, pyra & poma tosta cū aniso, & cotonea cocta, in fine pastus sumpta. salmones paruos & locustas fluuiatiles. Prædictis addit Andernacus: Iuscula sint ex capis pullisque cohortalibus elixis, deinde etiam eorum carnes: ex venatione capreoli, inter aues autem attagenes, palumbi, turdi, & turtures, omnesq; auiculæ montanæ: ex piscibus saxatiles, thymali, lupi, trutæ, funduli, percæ & id genus. Potus sit vinū album & non acerbum austerumq;, sed modicè astringens, tenue, clarū, leue & generosum. Vesperi etiam rubellum stomacho optimè conuenit. Si vinum valentius sit, rectè aquâ cocta diluitur, quod dimidij calicis instar vna vice sumi potest. Nam satiùs est modicum singulis vicibus, quàm copiosum simul assumere. Potus.

Hæc Andernacus, cui improbantur in hoc casu oua dura, frixa, caro agnina, leporina, nec non grandium, animaliū præsertim sale & fumo indurata, ut bubula, hircina, ceruina, suilla: quanquam iuuenum adhuc ferarum aliquando concedi posit. Inter aues quæ pedibus nituntur, anatum, anserum, pauonum, & gruum esus obest. Ex piscibus indurati, glutinosi, molli carne præditi, anguillæ, cyprini qui vulgò carpæ dicuntur, & tincæ minùs laudantur. Inter olera brassica & quælibet legumina, poma, omnes surculorum fructus: insuper acida omnia, salsa, lactaria, omne genus pistorium, pulmentaria ex farinis facta, panificia, caseus. Vinum non sit acerbum austerumque. Aqua cruda & frigida noxia est, vinumque dilutum, maximè autem refrigeratum: si tamen valentius sit, rectè aqua cocta diluitur. Non malè dudum Montagnana similia docuit cons. 303. & inter alia, ut qui balnearent cauerent à cibis valdè frigidis & qui facilè corrumpuntur, lacte cerasis, & alijs fructibus valdè humidis aut valdè calidis & acribus, aromatibus, allijs, cæpis & similibus & totaliter ab aqua frigida, nec bibant in balneo: esse enim valdè nocuum potum. Item de bal. tract. 3. Omittant lactucas & reliqua olera, & fructus frigidos siccos: ut pyra, castaneas, cytonia, &c. vitent coitum propter resolutionē humidi substantifici. Cibi aqua medicata vtentibus interdicti.

Digna consideratione sunt quæ ex Baccio lib. 2. cap. 20 sequuntur: Alimenta tres conditiones in totum obtineant: ut sint boni succi, concoctu non difficilia Alimenti cōditiones.

& quæ gustui inoffensè sapiant. Sunt rursus de primarum rerum delectu, quarum multa efficacia est ad sanitatem tuendam, hæ communissimæ regulæ: prima, vt ipsa regio aëris habeatur inculpatè sani: secunda vt aquæ quæ in potibus sumuntar & cibis, sint syncerę, sanæ, & laudabiles incolis qui bibunt eas, nec balnei aquâ vtantur, vt quidam perperàm faciunt: sit panis benè fermentatus, & conuenienter coctus, non calidus vt statim è clibano mittitur, nec vllatenus vitiosus, nec compactæ massæ, & duorum ad summum vel trium dierum. De reliquis, balnearij quidam medici à balneis interdicunt rebus omnibus azymis pastilibus, herbis præsertim crudis, piscibus, caseo, recocta, butyro, lacticinijs omnibus, fructibus, leguminibus, acribus, salitis, frixis & id genus alijs liberæ vitæ. Sed hæc nimis exacta est regula, nec seruatur in balneis: sed communiter cum laudentur bonæ carnes, oua recentia, & condimenta familiaria, haud propterea intelligas interdictum esse, vt aliquando non liceat pro ratione transire ad fructus, atque herbacea, ac id genus alia minùs regularia alimenta. Nam iure balnei (vti diximus) nulla fit præscriptio, nisi vt electa sint omnia. In primis autem de vinis danda est opera, vt vina eligantur sine vitio, mediocris substantiæ & quæ facilè nutriant, minùs austera, neque dulcia: nominatim verò hac potissimùm careant noxa vt non sint fumosa, quæ caput tentent, vnde bibentes in somnũ præcipitant, multisque defluxionum generibus redduntur obnoxij. Ex æquo subaustera laudantur potius, quam quæ exactissime penetrant: hoc enim penetrationis nomine cauendum aliquibus est, qui per balneum, ac ieiuniũ dum exucco ac sitibundo corpore fatiscunt ad pocula, statim in prima mensa panem ex vino puro intinctum ingurgitant: nocet enim subitus vini occursus neruosis partibus, ac iuncturis, viscera inflammat, quæ scilicet attrahunt vinum auidiùs: penetrantibus verò rebus ac liquoribus præsumptis, vix ulla periculi excusatio est, quin dilatatis per balneum poris, & corpore cibi indigo, quàm citissimè quæcunque ingerent alimēta, ea incocta statim ad penitissimas usque partes protrahuntur, quæ multarum fiunt ægritudinũ, causæ hoc tamen vitio damnanda veniunt imprimis nostra acetaria, quibus iam adeo vesci consueuimus in antecænijs. Nam ea ratione fuisse diuersum morem apud antiquos existimo, qui assiduis utebantur balneis, ut postponerent cœnæ acetaria non anteponerent: nimirum quia excercitatis ac lotis, timendum fore videbatur ne primo statim occursu acetariorum læderent inanem ventriculum, sicque corpus famelicum succo statim imbuerent non satis utili: & contrà, approbatam diutissimo usu consuetudinem legimus, ut ab ouis, perinde boni nutrimenti cibo suas cænas inciperent, & finirent ad mala: unde ortum prouerbium, quod legitur apud nostros Latinos, Ab ouis ad mala. Veri autem simile fit, per abusum postea quorundam, præsumi cœpisse acetaria, proritata nimirum per oxygarum ac lactucas auiditate, quod videtur subnotasse Martialis in carminibus Xenijs d.

Claudere quæ cænas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Aquæ.

Panis.

Balneantibus interdicta.

Animaduersio in strictam, quæ præscribitur balneãtibus, diætam.

Vina.

Vinum iejunis nocet

An acetaria cœnis præponẽda vel postponenda.

Cur veteres postposuerint.

Ab ouis ad mala vnde ortum.

Ad exemplū scilicet illud, quod ponit Cato in libro de re rustica, Si voles inquit, in conuiuio multum bibere, cænareque libenter, ante cœnam comesto crudā brassicam ex aceto, quantum voles, & item ubi cœnaueris, comesto alia quinq; folia, reddent te quasi nihil ederis, biberisque, bibésque quantum voles. Porro victus ratio in balneis, non solum de regimine circa cibum & potum intelligenda est, sed de omnibus etiam rebus, sine quibus, dum viuitur, neque corpus consistit, neque vita: de somno scilicet & vigilia, motu & quiete, excretis & detentis, animi affectibus, atque de aëre, locoue in quo versandum sit. Ea quæ aliquis minus accuratè neglexerit, vita etiam immuni, in uarias transire solent affectionum caussas: multo ergo maiori diligentia præscribenda sunt ac seruanda in balneis, tum ut non impensè noceant, tum etiam ut promissas balnei utilitates non defraudent. Primum itaque de somni & vigiliæ ratione præsciuisse hoc est operæ precium quod somnus balneis est aduersissimus, dormiendum his, qui balneo utuntur, noctu, & minus etiam quam consuetarum horarum interuallum: nec tamen ad multam noctem vigilent, quominus cogantur peruigilia noctis supplere die: imò quantò dulciùs interdiu somnus obrepserit, tanto cautiùs, & quasi insidiosus syrenum cantus, euitetur: in uniuersum enim omnis somnus nociuus est, si intempestiuè ineatur: omnis autem intempestiuus dicitur: qui præter naturæ ordinem fit. Ordo vero conueniens naturæ est, ut dormiendum noctu fit, non interdiu. Esto ergo somnus nocturnus, qui super unam horam ad minus, vel etiam duas post cœnam leui præmissa exercitatione ineatur. Tantū vero dormiatur spatium, quandiu perfecta sit in ventriculo coctio, septem ad summum horarum, nonnullis minus, pro virtutum nutritioni inseruientium, facultate. Hic verè quies, ac dono diuûm mortalibus à Poëta dicta est, quæ animi ægritudines obliuione delet, spiritus uiuificat, calorem unit, concoquit quæ concoquēda sunt, & inæqualia reddit æqualia, laßitudines abolet, intenta laxat, dolores alleuiat: quæ omnia necessaria sunt in balneis emolumenta. Intempestiui autem rationem subit immodicus, si peracta scilicet concoctione diutius dormiatur, quem terminum plerique à consuetudine definiunt. Hic enim inter alia, hoc potißimum adfert incommodum, quòd ne excrementa suo tempore expellantur, impedit. Damnabilis igitur ac noxius somnus immodicus, noxius & diurnus. nocentißimus vero diurnus ad balnea naturalia, duabus præcipuè de caußis. Prima quia impedit operationes balnei, siue (ut melius dicam) naturæ, balneo præsertim in potibus sumpto. Nam iuuare, sanare, mouere, superflua expurgare, non ipsius balnei, neque medici est (sunt enim hæc instrumenta) sed naturæ opera: natura verò consopita, non perficit, sed relinquit, relicta aliquando vincuntur, reducuntúrque (ut aiunt) ad benignum pro robore virtutis: persæpe verò redundant, & perinde ut res ex toto præter naturam, in aliquam corporis partem detrusæ putrescunt: & non sine flagitio, cum aliquos ob hanc solam causam viderim in balneis lusisse vitam. Altera causa cur diurnus somnus dānetur, est quod is somnus non naturæ est, sed à fæculētis

Somnus.

Somni tempestiui cōmoda.

Somni intēpestiui incommoda.

minerarum vaporibus excitatur: qui primò quidem caput aggrauat, immoderatè calefacit, & deinde humores ex capite colliquãdo, fluxiones concitat: fluxiones verò ubi in subiectas partes fiunt, omnis vitij fiunt genitrices: alios enim defluxu facto impetu in principem aliquam partem, repente suffocat: alios vidi qui cum aqua balnei, non bene digesta, & corrupta, euomuerunt animam: alios resoluit, neruis oblæsis: alijs tussim contrahit, alijs tabem, alijs alui profluuia: alijs in aliquam partem imbecillem mediocris notæ delapsa, vel inflammationes inducit, vel erysipelata, vel apostemata id genus aliqua. Quæ equidem somni pericula eo velim diligentiùs unumquemq; nosse, quo inter balnea nullum est accidens frequentius illo, neque molestius. Ad quam sane cautelam duo hic præcepta repetenda sunt: unum quod iam paulo ante diximus, ut parcè, & tempestiuè prandeant, ac omittant interdum cœnam, est enim cibus somni materia qua aucta augetur & somnus. Alterum præceptum est, si somnus alioqui urgeat, ut medicetur, ac euitetur per remedia. Hanc verò cautionem à somno, exercitij ratio confirmat in balneis, quod ad potulentas aquas inter pocula ipsa faciendum idcirco diximus, quoniam moto corpore integra magis euacuatio fit, ac somni materia tota educitur. In lauacris autem à balneo quidem, & à cibo quiescendum, subinde certis horis moderatè se exercere conuenit, ut vaporum balnei reliquiæ, quæ caput aggrauare solent, & sommun inducere, excutiantur. Si quis verò ad motum ex imbecillitate, vel ægritudine sit ineptus, exercitij loco, si ex usu sint, gestationibus uti poterit. vel leuibus frictionibus. Quod frictionibus quoque interdicantur, puta ob ulcera, vel dolores, vel imminentem aliquam fluxionem, hi studeant per latas vias, & maximè per aluum, naturales saltem vacuationes habere. De animi autem passionibus, quoniam corpora sequuntur animas, animæq; velut nauta nauigium, regunt corpora non mediocrem sane curam habere oportet. Perturbationes ergo animi omnes eliminent & præsertim à cibis, si velint quoque corpus optata perfrui iucunditate. Curas omnes imprimis obliuiscantur, iram amoueant, tristitiam, timorem, impatientiam, omnem causam solicitudinis. Et contra: cum firma spe, ac fiducia balnei, omnem suauitatem que è rebus exterioribus perficitur, sibi procurent, quantum possunt. Verbis utcunque, & gratis sodalium inuitationibus indulgeant: semper dati illius præcepti memores, ut à nimio luxu se temperent. Eadem quoque de causa ad venerem iocosam quandoque indulgendum, cæterum ludentem omnino excludant: ne hanc aliquis per omnia detestetur, gratis sonis, musicis & cantionibus delectentur. Minus legant, nec studeant, ac parcius ardua nimium commentaria, quantumuis delectare ea animum videantur. Ad mentis torporem euitandum, somnumq; arcendum ac meridianos æstus, quos oportet cum quiete traducere, varijs alijs oblectamentis, ludicrisq; citra fastidium, paulisper sibi indulgere poterunt. Quo in genere cum sint aliqua permolesta, quæ maiore animi indigent studio, quam difficilis admodum in re aliqua speculatio, omnia huiusmodi explodantur: & ex æquo omnes ludi, qui ad

De somno præceptiones.

Exercitium, & quies.

Animi πάθηματα.

nequitiam, anxietatem, ac insolentiam prouocare valent, sacro ipso iure balneorum interdicantur. Deniq; de ambientis aëris constitutione: aër quidem, quem velimus, nolimus per habitum continuò inspiramus nō solùm inspiratus intima corporis penetralia sua qualitate afficit, verū ipso etiā ambitu, ubi quidpiam à sua tēperie recesserit, fit nocentissimus, maximè in balneis, ubi peruium usquequaq; corpus efficitur, & aër ipse pro sui tenuitate exquisitè penetrans, statim soluitur, cōmouetque, præsertim cerebrum, magis nocens suo occursu corpori, quā aqua frigida. Sit ergo locus boni, atque laudati aëris ex natura: ubi rursus tempore balnei, omnē caueant cœli intēperiem, nempe æstus, frigora, vehementes flatus, Lunæ radios. Prohibendū quoque esset pro aëris salubritate iure publico, ut iuxta balnea neque lina macerarētur, neq; canabis, neq; coria neque id genus alia in aquis fætētia, quæ postmodū lacunas aquarum relinquūt putidissimi halitus, itaque aërem, autumno potissimum, insalubrem reddunt. Esto habitatio alta, ad orientem, vel occasum hybernum spectans, lacunis quantum fieri poterit auersa (quæ præceptio saltem in posterum in balnearijs structuris seruabitur) non terrena, non humida, nec quæ facilè vitiosas lanugines in pariete contrahat. Inter primas autem partes collocanda esset ad ipsa balnea, & ad ipsos fontes porticus spaciosa, ubi non solùm salubres diei captarēt auras, sed quæ ad usum potationum in matutinis faciendarum esset idonea, ægrosq; bibentes ab insultu, ac frigore aëris defēderet. Tales videmus ad magnifica balnea, antiquaq; præsertim, ordinationes: Nam quæ scaturigines sub dio à bibentibus frequentantur, non adeo aliquos sua salubritate possunt iuuare, nisi cautè ministrētur, quàm multo plures ob incommoditatem lædere. Sint & lauacra ipsa sub diuersorio, vel prope diuersorium benè collocata: sin minùs, contra infestas aëris constitutiones, benè assamentis sint munita, ac storeis, & quæ opportunis ministerijs omnino nō careant. Vbi verò loci situs non adeo tutus, ac balnea pauperis impensæ extiterint, pro frigore, imbre, aut graui nubilo obstante, eoq; magis si æger imbecillus sit: tunc satius fuerit priuatas in diuersorio paratas habere tinas, ac tepefacto per caminum aëre, lauationes exercere. Aër

Errores insignes & abusus nocui admodum, qui committuntur ab ijs qui sine consilio peritorum Medicorum, vtuntur aquis medicatis potu, balneo, vel alijs modis.

CAP. XV.

Antequam à balneo profecturis regimen præscribamus, expediet abusus, qui ab ægris in thermis passim cōmituntur, notare: eoq; grauiori censurâ, quanto isti errores hoc seculo latiùs grassantur. Apud Romanos, inquit Dortomanus, Principum aucta luxuria, publicæ balneæ extrui cœptæ cum alibi, tū Romæ in modum prouinciarum, si Amiano credendum, in quibus etiam cum plebe Principes promiscuè lauabantur, puta Commodus, Gordianus, Galienus Romanorū luxus in balneis.

iuniores: alijs ter, quinquies, uel septies æstate, bis vero hyeme in die lauisse, & in thermis cœnitasse placebat, ut tradit Capitolinus. Admittebantur unâ fœminæ, ne voluptatis lenocinio quid deesset. Deinceps decrescente Romani imperij potestate, decreuit pari passu luxus cupedia: sic ut infrequentior post thermarum fuerit usus. Dum Dominus de Puissum thermarum Belilucanarum effectu in se agnitarum vires promulgat vix quartus elabitur annus, quo tanta hominum multitudo in hunc usque diem bis quotannis eò confluit, idq; nulla habita affectuum, temperiei, ætatis, vitæ anteactæ, sexus, regionis cæterorumq; distinctione, ut viliores thermas posthac ob abusum quam famosiores ob usum fore sit metuendum. Ferulâ digni, qui (causarum indicatione aliter suadente) calidis simul ac frigidis eundem fontē sine discrimine usui fore contēdunt, &c. Turpiùs labuntur in thermarum usu, seu ab usu veriùs, cum cunctis quantitatem potuū tantam quantā capere possunt, præscribunt. Contra naturæ & artis medicæ præcepta faciunt qui ad potus satietatem se saturant. Qui existimant potum triduanum, quatriduanum & deinde balneum totidem dierum sufficere, temerè credunt. Montagnana tract. 2, Cons. 100 de balneis Patauinis: Qui voluptatis inquit ergò balnea quærunt, qui assolent esse repleti & nulla victus ratione vtuntur, balneando incidunt in febres putridas & alios prauos affectus. Communis modus comedendi & bibendi in balneo lasciuia est: Si cibi siue potus sint calidi actu & potentiâ, augent caliditatem, & à balnei calore disponūtur ad corruptionem & putredinem. Si sint frigidi impediunt ne dissoluantur quæ per balneum oportet dissolui, & obstructiones faciunt difficiles curatu. Siue sint frigidi siue calidi impediūt actionem caloris innati. Fallopius de thermis cap. 11. Si æger sit inobediens, velit interdiu dormire, omnino indiscriminatim comedere & quacunq; horâ, & similia agere, quæ essent in causa ut aquæ potiùs obessent quàm prodessent, non exibeatis illi ullo modo thermales aquas, etiamsi ratione morbi conuenirent. Abusus ille erat insignis de quo Plinius lib. 31. cap. 6. vbi scribit de ijs qui videbantur sibi magni viri qui maiorem copiam illarum aquarum bibissent: Vnde aliqui tantum bibebant, & tumidi adeo fierent, ut annulus quem gestabant digitis tegeretur à cute. Fallopius scribit lib. de therm. cap. 10. se vidisse quendam Presbyterum qui tantum Aquarianæ aquæ biberat, ut trium dierum spatio tumidus ita manserit, ut non ampliùs ab aliquo agnosceretur: excreta illa aquâ, desijsse tumorem, & redijsse ad pristinam gracilitatem, refrigeratum tamen illi mansisse totum corpus. Idem Fallopius de therm. cap. 11. Sunt Medici qui postquam valdè defatigarunt ægros & aliquando præter rationem, & institutum viderint res non succedere statim, nulla habita alia consideratione, relegant ad aquas thermales tanquam ad anchoram sacram, in eo peccantes. Andernacus, In Germanica gente quidam totos dies noctesque mergorum instar balneis incubant: cibum potumque in eis ad satietatem usq; sumentes, nullo vel breuissimo spatio ad aluum deijciendā interposito, aut saltem exiguo, ad illa reuertuntur. Nuper apud Rhetos in balneis

Concursus promiscuus ad Belilucanas, animaduersione dignus.

Abusus in potu aquarum medicatarum.

Abusus in dierum numero.

Ex mala victus ratione in balneo, febris alijque affectus praui.

Susque deque omnē victus rationē facientibus interdicenda balnea.

Abusus Romanorū nimio aquæ medicatæ potu.

Incōmoda ex nimio aquæ potu.

Taxantur medici indocti.

Germanorū in balneis error quod ad victum & somnum, non ferendus.

neis Tauorinis vidi nonnullos tum cibo refletos tum prorsus ebrios in illis obdormire, vt mirum fuerit eos cruditate, colicisque aut alijs perniciosis morbis nō laborasse, & vires eorum concidisse, aut febre, aut lippitudine correptos, aut subita etiam morte oppressos esse. Idem Germani nostri φιλόποτοι, si quando bibūt, quod tamen rariùs accidit, id in ipsis balneis plerunque eademque hora & die faciunt, qua balneis insident magno errore & incommodo. Nam quæ per aluum & vrinam excerni debent, balnei calore per totum corpus rapiuntur, fiuntque humoris motus contrarij. Idem, In Germania Medici ægris alijs octoginta, alijs nonaginta, alijs centum, alijs plures lauationis horas imperant, cum tamen ignorent quot quisque ferre potuerit. Hinc fit communiter, vt qui multis horis quotidie lauant, diebus octo aut quindecim curationem absoluant, qui paucioribus 20. aut 10. Verùm sine vllo ordine & iudicio. Idem, Valde errant qui tamdiu lauandum esse censent donec cutis erodatur. Nam inde sæpius apertiones vel obstructiones aliique multi affectus oriuntur, qui ad mortem vsque perseuerant. Quare non est expectanda exulceratio. Nonnulli violenta & continua lauatione vim naturæ inferunt, & ne sic quidem cutis ruborem contrahunt, sed mortem potius sibi accelerant, aut tantam viscerum imbecillitatem accersunt, vt nunquam ea ad pristinum robur restituere possint. Idem de aquis Fabarijs Pfeffers: *Vidi nonnullos qui totos dies noctesque per integram septimanam aquis insiderent, non multum medicinæ præceptis obseruandis solliciti: cibum potumq; in lauacro sumebant, somnoque indulgebant: Diuersoriorum incommoditas, angustia, & spurcities, & sæpe tantus fœtor vt animi defectionem hominibus paulò humanius educatis accersat. Reinerus Solinander de caloris fontium causa lib. 2. cap 1. Est in Sicilia fons calidus, cui non solum nomen ex superstitione est impositum, sed ex rerum naturalium ignoratione ridicula quædam obseruantiâ accessit: vt scilicet vnicuique morbo curando sua propria sedes attribuatur, quasi immutatis sedibus impossibile sit, eadem tamen in piscinâ, ægrum conualescere. Item in epist. ad Vincentium Arnulphinium patricium Lucensem: Grauiter incusabam vulgarem aquis sponte calidis vtendi modum, qui nobis Medicis cum vulgo passim communis est, siue potionis siue lauacri, siue stufæ vsum intelligas, siue etiam embrochæ. Hæc cum ego ostenderem, docerenque vicina Porretæ balnea admodum salutifera propterea hoc tempore iacere neglecta quòd elapsis his annis patres nostri perperam ijs essent vsi: Idem eo tempore vestris salutiferis alioquin & celeberrimis balneis euenturum prædixi, nisi occurreretur: quandoquidem, quot quæso ex innumeris qui ad ea confluunt valetudinis ergo sanitatem recuperant? profectò pauci: neque id ratione vlla quam quòd passim sine discrimine ijs & ratione vtuntur. Multi eò ablegantur à Medicis, qui alijs remedijs minori negotio restitui possent: nonnulli eò amandantur quibus omnino non sunt ex vsu. In ἐμβροχαῖς Corsenæ balnei, plurimi salutem quærunt capite calido siccoque & destillationibus salsis calidisque affecti: quibus tantum abest vt prosint, vt etiam mirum in modum obsint &*

Error in præscribendo balneis tēpore.

Erosio cutis, neutiq̃ baln. terminus esse debet.

Error lauātium in Fabariis.

Superstitiō ridicula in fonte quodā Siciliæ.

Baln. Porretæ vicina propter abusum neglecta.

Medicorū error.

Noxa ex abusu ἐμβροχῆς baln. Corsen.

grauiter noceant. Villæ aquarum calidarum omnibus eadem quantitas potanda datur in quibusuis morbis, in quacunque corporis parte affecta: item in diuersis ætatibus, in diuerso sexu, intemperaturis oppositis etiam conceditur eadem aqua & eiusdem assumendæ quantitas datur, hocque eodem fit tempore eisdémque conditionibus. Vnde euenit ut pauci perexiguum inde iuuamentum percipiant: multi nihil iuuentur, ut taceam quod plerique detrimentum persentiant. Gœbel. de thermis S. Iobi lib. 1. Hîc mihi non est silentio prætereunda peruersa quorundam consuetudo, qui, quocunque tandem conflictentur morbo, siue externo siue interno, magna valetudinis iactura & Medici contemptu, intempestiuè lauant, atque in ipso solio potitant, pergræcantur, dormiunt, sæpenumero etiam vix à venere se abstinent. His si quid sinistrè accidit, id balneis imputant, meliùs ante ac post balnea habuisse se dictitantes. Qualis autem vsus talis & successus: ipsique adeo temeritatis inconsultæ sibi pœnas accersunt: ex quo fit vt thermæ, ex se quidem salutares, propter abusum malè audiant. Pantaleon de thermis Tigurinis cap. 20. admirandum proponit abusum circa scarificationes: maiorem partem existimare se non euacuasse, nisi corpus oneretur incisis cucurbitulis quasi senticeto erinacei horreret: cùm sæpe potius eis esset emendus sanguis: uti quibusdam scarificationes utiles, ita etiam nocuæ macilentis & ijs qui frigidis fluxionibus obnoxij: addo accelerari senium & mulieres citò deformes reddi. Idem subiungit: Qui thermas adeunt non repurgato corpore, ijs subtiliores humores resoluuntur, craßiores condensantur: vnde magna nocumenta: alijs eliquati humores petunt faciuntque animi deliquia, alijs nauseam inuehunt, alijs pariunt obstructiones hepatis & splenis, excitant febres, ictcrum, & alios morbos. Idem ijs euenit qui voluptatis ergò balneant: hinc fit vt multi sani ad thermas profecti, ægroti domum reuertantur: quæ culpa non thermarum sed ineptorum hominum qui consilium non petunt: In consilium enim aduocandus fidelis & peritus Medicus de purgatione instituenda. Euacuatio bona quantitate non est metienda: multa deiectio quibusdam plus obest quàm prodest: Instituenda purgatio pro diuersitate humorum, interdum secanda vena: quæ omnia requirunt prudentem & doctum medicum: Verùm, proh dolor! apud has thermas & penè per totam Heluetiam grauiter peccatur, quilibet se Medicum iactat, cui ne brutum quidem animal tutò committas rhizotomus, agirta, odontothryptes, theriacæ falsæ institor, vetula, Iudæus, carnifex, magna pollicetur, ac non solum simplici vulgo sua garrulitate sed etiam Sat apis imponit: phaleras ostentat, curatos commemorat: de læsis & deceptis altum silentium. Si quid didicit, sinistro usu peccat: vno calopodio omnes calceat: conatur cum summa temeritate omnibus morbis mederi. Vtile esset, si obseruaretur mos Italiæ, Galliæ, & quorumdam præcipuorum locorum Germaniæ, vt de suis medicamentis à peritis medicis examinarentur. Tum verò mysterijs malèferiatorum patefactis, in clara luce apparerent eiusmodi belli homines numella aut exilio digni. Factum est vt dum es-

Abusus in scarificationibus.

Nocumēta omissæ purgationis præparatoriæ.

In Empiricos & circūforaneos

sem in thermis Helueticis, etiam ibi esset Iudæus qui se nominabat Simonem & medicinam faciebat: ad eum confluebant multi electuarium magno pretio ementes: Ibi tunc eum quoque consuluit Polemarchus quidam emeritus Zugensis: Iudæus sanitatem pollicetur acceptis aliquot coronatis: Cum frustra essent omnia, aduocor & ego, comperio phthisicum, balneum ei valde nocuum: sciscitatus diligenter quid dedisset Iudæus, comperi illum habere oliam plenam succo baccarum sambuci inspissato, adhæc libram scammonij, cuius dabat interdum drachmas duas cum vncia semis rob de sambuco, exigebatque coronatum: atque is quidem ἀναλφάβητος *nec scribere nec legere poterat: quare vehementer increpui hominem, vt qui multos perdidisset & decepisset, breui moriturum Polemarchum (quod etiam euenit) quo prognostico vsus nolui ei medicamenta exhibere, sed consului vt domum reuerteretur. Iudæus territus aufugit. Vereor ut similes multos habeat Heluetia: sed, vt dicebat ille, Mundus vult decipi. Atque hi quidem abusus & errores in alijs aquis medicatis: à quibus ne nostræ quidem in hac sua infantia, vt sic loquar, immunes Vidi enim qui plus iusto biberent, vim etiam naturæ inferrent: simul semelque sine more modoque pocula ingurgitarent & solio vterentur, susque deque facerent omnem purgationem & præparationem, qui neglectionis suæ pœnas grauioribus morbis afflicti luerunt meritas: cum non tantum impunis interim, sed & salutaris sit vsus legitimus, ex consilio Medici docti institutus: (Nam ab agirtis quid sit expectandum Iudæus ille satis superque docuerit) quales multos habet totus ille tractus.*

Iudæi impostura flagitiosa & perniciosa.

Quænam vitæ ratio esse debeat proficiscentium à balneis.

CAP. XVI.

Balnearum verò ad vsum sicut diligens præparatio requirebatur, & in usu ipso seruanda erat, quam præscripsimus methodum: ita post balneum recta aliquandiu vitæ ratio teneri debet. Non enim pluris est, aliquid benè incipere, ac diligenter prosequi quàm fœliciter absoluere. Id autem cum singularis obseruantiæ esse debeat: ut communiter tamen dixerim, quamdiu quis non senserit se bellè esse restitutum, à susceptis vitæ præceptis non debet discedere. Pauci enim in magnis morbis, solent in ipso statim balneo insignem aliquam experiri vtilitatem: sed ad tempus, tardius aut citius pro virtutis robore, pro affectus magnitudine, pro ea quam seruauerint victus ratione: Alij ad viginti dies iuuari videntur, alij post mensem, alij amplius, dum sanè in dies virtus ipsa euadat robustior. Imò quarumdam balnearum est certus terminus efficaciæ ac iuuamenti, quæ seu propria natura, seu cœlesti virtute, perparum solent non decurso anni spatio prodesse. Quarundam verò singularis condecentia videtur ad hominem, vt huic quidem semel profue-

Susceptum vitæ regimē à baln. continuandum.

Balnea non eodē semper modo & tempore vires suas exserunt.

riat; huic verò visa semel inutilia, secundo, & tertio anno reiterata fuere vtilia.

Quo tardius balnei auxilium, eò certius.

Quin etiam hoc longa veterum obseruatione compertum est, ea balnearum iuuamenta firma esse magis, & certa, quæ non subitò, sed ad tempus post vsum balnei sentiuntur: quod quidem in magnis, ac inueteratis affectibus intelligendum est, quicquid de paruis, ac leuibus sit. Sublatet enim in his, quæ repente operantur, vis aliqua vt plurimum: & natura vim non tolerat subitam, & minimè in magnis affectibus: Longo enim curantur tempore, iuxta Hippocratis sententiam, quæ longo item tempore contracta sunt vitia: quæ vero breui, breui.

Profectionis apparatus.

Profecturi ergo à balneis, hinc incipiant conceptæ spei, ac salutis seruare rationem. vt si multo interuallo abfuerint, ad posterum diem, atque etiam tertium differant: dum sane immanes à ministerio balnei, se recreent. Postea se cautè exponant itineri, maximè si pedestri eant itinere, vt duriores quotidie visuntur, ac sani.

In itinere obseruanda.

Nec minus qui equo vehuntur, maximè imbecilles lassitudinem quantum fieri poterit, euitent, æstum, fastidium equitandi, & alia eius generis, quæ vix enarrari possunt viæ incommoda. Imò si algor aëris, vel pluuia intercidat, vel in lectica vehantur, vel in arceris vulgaribus, non equitent. Somnum, famem intempestiuam, eóque magis exhausti in balneis non sufferant. Ad postremum,

Domum reuersis obseruanda.

ubi domum peruenerint, post gratiarum actiones Deo Optimo Max. consilium prudentis medici ineant. Qui perspectis eius dispositionibus, iuuantibus ac nocentibus ab usu balnei, salubria, & quæ iuxta naturalem statum inuenerit, conseruabit: & si quid à propria natura recesserit, ad pristinam symmetriam restituat. Nam usu uenit frequenter, quòd ex diutina aliqua consuetudine victus, exercitij, medicationis alicuius, paulatim aliqua à propria recedant natura. Maximè verò in balneis, ex quorum assidua caloris mineralis actione, ac impressione eius aliqua relicta in corpore, solet facilè intemperantia alicuius partis calidæ emergere, ægris cæteroqui à principali affectu, quo tenebantur, liberatis. Præter

Iecoris supercalfactio.

cætera verò iecur, dum regreßi à balneo pleniori tum cibo, tum potu utuntur, ac liberaliori se dedunt vitæ, quasi fomite adhibito ad impressum calorem solet incalescere. Ac robustis in eo existentibus viribus [illegible] intemperiem ipsam transmittit, uel ad imbecillam aliquam [illegible] caloris excitat

Curatio.

sensum, uel inflammationem, vel erysipelas, & aliquando febrem. Optimi ergo consilij est, vel minima etiam apparente eius visceris intemperantiæ suspicione, ut susceptam iam in ipso balneo viuendi rationem per aliquot dies prosequantur: adhibitis nihilo secius tum forinsecus, tum intro, quæ paulò antè diximus, modice refrigerantibus, & quæ robur visceri adiungant. Perseuerante verò affe-

Venæsectio.

ctu, si cætera consentiunt, dextri brachij iecorariam venam secare conueniet, eumque victus, ac reliquorum remediorum modum instituere, qui in id genus intemperantijs solet institui.

Alia symptomata digressis à balneo superuenientia.

Aliqui ex acritate nimia potulentarum aquarum, ventris dolores postea, perinde quasi marinas ebibissent, solent perpeti: Alij urinæ ardorem, alij sitim, alij deiectam appetentiam. Nonnullis lassitudinis quædam species oboritur, atque insolita in actionibus pigritia: nimirum vel non exquisitè

purgatis ex debili natura aquæ, uti debuerant, vel quod frequentius euenit, dilute nimiùm balneo prægressis imbribus. Qui singuli uictum seruare debent aliquandiu, qui ad frigidum atque humidum inclinet. In uniuersum autem saluberrimum omnibus esse censemus, vt post balneum nihilomagis sibi indulgeant, quam in balneo. Summa vero eius obseruationis est quadragesimus dies: qui sicut motuum naturæ, ac morborum, ita & medicinæ in suis ministerijs est terminus, veluti peremptorius. Interim repletionem tum cibi, tum potus cauere debent, somnum diurnum, immodicas noctu vigilias, nimia exercitia, pariter atque ocium; omnem malam ambientis aëris constitutionem, molestias animi, iracundiam, ac paßiones huiusmodi alienent. Aluus, ut quotidie bis eat, procuretur: vel saltem non minùs consueto. Venerem, tanquam pestem, nocituram sciant: maximè imbecillis, valentioribus autem per mensem ad minus, non adeo concedendam. Caput non lauent. Si verò aut cutim rugosam, resiccatam, atque astrictã à balneo viderint, aut si laßitudinem senserint, temperatarum ineant aquarum solium, præsertim si eo uti consueuerint: aut leuibus frictionibus ex tenui oleo ac vino, mane diluculo vtantur. Postquam autem è lecto surrexerint, cæteras corporis superfluitates, tam per nares & screatum, quàm per obscuros meatus excernere studeant, capite etiam depexo. Subinde non ocientur, nisi quidpiam obstiterit, & dum ad consueta se conferant exercitia, omnem euitent laßitudinem, ac in singulis auream seruent mediocritatem. Pantaleon in lib. therm. Tigurinarum, relinquentibus balneum hoc dat consilij, vt eligant cœlum serenum: caueant à pluuioso, ne corpus pluuiâ madefactum à balneo corripiatur affectu erysipelatoso dicto Rottlauff & Carfunckel. Tria indusia aliquoties madefacienda in aqua thermarum & sine expreßione exsiccanda, vt eius vires penitus combibant. Induãt, vt, si corpus sudet, sentiat aliquid virium balnei neuè fiat subita mutatio: gestent vnum indusium per triduum. Domi vult per tres vices tertia quaque die institui sudationem pro vniuscuiusque natura cum chamæmelo & origano. Fallopius à Stillicidio priuatim monet, vt 40. dies caput tectum gestet laborans, quo tempore nunquam etiam caput sibi abluat, caueatque à Sole à pluuia, à vento: A lutamento verò, vt præter uniuersalia paulò ante dicta, partem oleo inungat aliquo accommodato, eamque continuo exerceat, moderatè tamen.

Vt iis occurrêdum.

Dies quadragesimus finis strictioris à balneo regiminis.

A stillicidio caput sit tectum per 40. dies.



LIBRI SECVNDI SECTIO POSTERIOR

De symptomatum, quæ iis, qui aquis medicatis vtuntur, superuenire assolent, ac etiam euenire possunt in admirabilis fontis vsu: eorumque remediis.

HIs ergo, quos diximus, modis conclusa est omnis aquas medicatas vsurpandi ratio. Quoniam autem non tantum ex indebito earum vsu, verùm etiam interdum rectè vtentibus accidentia superueniunt nonnulla, ijs quo modo obuiam sit eundem operæ precium fecerimus si doceamus, id quod & ad præparationis accurationem, & ad dietæ obseruandæ maiorem religionem inuitabit.

De dolore capitis. CAP. I.

Sopotifera. Assumenda per os.

IN dolore capitis balneantium scopus est exhibere ea quæ reprimunt vapores, & eorum ascensum ad caput prohibent: qualia sunt quæ somnum inducunt. Item diacytonites cum sacchans sine aromatibus, Coriandrum conditum, malorum punicorum grana & similia frigida & astringentia. Item ℞. Oxisach. ℥.i ß. aquæ plantaginis, cichorij, vel oxalidis ana ℥.i.ß. detur in potu eunti dormitum: hæc Montagnana. Fallopius autem inquit: Capitis dolori occurretur, si ægro eunti dormitum exhibeatur saccharum rosaceum cum violaceo, vel Myrabolani chebulæ conditæ saccharo vel per se vel cum saccharo rosaceo. Solemus etiam statim à cœna exhibere diacydonitem confectum cum saccharo sine aromatibus. Nos inungimus etiam caput oleo amygdalarum dulcium sæpius abluto aqua vel cum oleo communi abluto. Interdum curamus applicandas humeris cucurbitulas siccas: solemus etiam post cœnam ad minus quinque horis, confecta prima concoctione, exhibere pilulam mastichinam ponderis duorum scrupulorum: Si fuerit pilula nimis crassa fiant duæ vel tres, nihil refert. Andernacus, Si vapores è ventriculo sursum eleuati ad caput ferantur, doloresque excitent, coriandrum præparatum ex vsu erit, & confectio ex cotoneis sine aromatibus à cibo sumpta. Ante illum verò catapotia alephangina, vel ex hiera picra simplici conferunt, quibus communes humorum materiæ in primis venis contentæ educuntur. Lubet ex Baccio sequentia subiungere: Si ex consensu caput patiatur, puta ventriculi, quod sæpissimè fit, pro diuersitate causæ occurrendum. Vomitione, exempli gratiâ, solutione ventris, purgatione item ventriculi ex absinthij coma, vel compositione Dialoës, Melino, aut Mastichino vnguento foris illito, quæ Galenus 11. de compos. secund. loca. & 6. de sanitate tu. fusè commemorat. Si tandem ex essentia hæserit in capite ipso intemperies calida, si quidem id ex naturali capitis dispositione accidat (vt 6. de sa. tu. notatur) tunc calidis medicamentis, sulphuratisque ac bituminosis huiusmodi calidis aquis abstinendum est. Si autem (quod primum est) ex impressione balnei, & præsertim ad vsum Ducciæ, talis mala affectio contracta sit, supersedere aliquando, ac minùs vti balneo, non erit absurdum, dissipatis interim vaporibus cõceptis à balneo per exercitium leue & tempestiuum & per molles frictiones. Nec non inter cibaria

Topica.

Cucurbit.

Pilulæ.

Coriandrũ.

Pilulæ.

Dolor capitis per consensum.

Dolor cap. ex essentia.

Dolor. cap. ex vsu aq. medicatæ.

sumptis refrigerantibus ac reprimentibus, quale est Diacytonites, coriandrum, vel anisum à cibo, atq; etiam frigidæ aquæ modicum. Caput item ipsi dormituro circum tempora inungemus rosaceo oleo, oxirrhodino, vnguento rosacco, & id genus alijs. Non displicet applicari fronti & temporibus albumina ouorum cum aceto. Rulandus ad capitis dolorem præscribit lixiuium cum Chamæm. bellide & rad. asari. Verùm considerandum an lotio hæc non sit calidior, à vaporibus balnei excalfacto capite.

Cibi.

Albumina ouorum.

Lixiuium cum asaro.

De somno immodico. CAP. II.

ACcidit interdum in potu aquarum somnus intensissimus, ad quem impediendum solet aliquando prodesse tegere caput linteo duplicato dum bibitur aqua: Expertus sum aliquando profuisse. Occurrendum etiam huic symptomati continuo odoratu rutæ vel castorij, si ferri potest eius odor: interdum necesse est fricare scapulas, & quandoque applicare cucurbitulas scapulis sine scarificatione. Hæc Fallopius, quibus lubet subijcere quæ Baccius lib. 5. cap. 2. tradidit aduersus sommolentiam ex Balneo. Primùm balnei vsus minuendus est, ocium subinde, solitudo, acidia, graues odores, cibaria frigida, humidáque, & somnifera, ne caussam augeant somni, euitentur. Intrinsecæ verò causæ correctio est, vt cerebrum, quod vapores illos primò excipit, multiplicatque in se, & constipatur, si qua correptum sit intemperie aut frigida, aut calida, corrigatur, ac roboretur, vtræque enim in balneis somniculosæ passioni fauere possunt. Quod pluribus ingenijs fit: primùm repressis à cibo vaporibus, vel diacytonio sumpto, vel aniso, vel coriandro, vel panis crustula. Quòd si quis frigidæ assueuerit à cibo, vt plærique vtiliter solent, eam quoque hac de causa in balneis tutò vsurpare poterunt. Ad hæc cùm è lecto de mane surrexerint, caput perfricent, depectantque, & omnia excrementa quæ tum in faucibus & palato, tum in naribus, atque in auribus infarciri solent, expurgentur: vt omnino meatus omniquaque pateant, naturalibúsque vacuationibus seruiant. Iniecto interim per aures oleo amygdalarum, dulcium quidem in calida, amararum verò in frigida caussa, aut eius generis aliquo alio, quod moderate refrigeret, vel calfaciat, nec obstruat. Ad retrahendos denique vapores ne caput impetant, varij sunt modi: Hinc ea licentia in balneis, in sodalitijs, ac iocis, & longo cœtu puellarum, quæ in cymbalis canant ad aures. Sin minus ad exercitia veniendum frictiones, stricturas, quæ fortiora sunt. Gestent per diem rutam quam odorentur, vel petiam aceto imbutam, vel grauis odoris aliqua. Sternutamentis autem cautè magis vtendum est, vt pote quæ si vlla adesset capitis grauitas, aut repletio, periculum esset ea excutere, ac fluxionem concitare, quam principaliter euitare nitimur.

Cap. tegẽdũ.

Ruta, castoreum narib. obiecta.

Frictiones.

Cucurbit.

Victus.

Vapores reprimentia.

Frictio.

Iniectio in aures.

Exercitia.

Olfactor.

Sternutatoriis cautè vtendum.

De vigiliis superfluis. CAP. III.

SI vigiliæ balneando vexent vesperi cùm se committet lecto duabus horis post cibum, balneans sumat tepidè aquæ stillatitiæ lactucæ vel portulacæ ℥. iij. Syr. de papa ℥. 1. vel sumat Syr. de papa ℥. 1. syr. violati ℥. ß. aquæ nymphææ ℥. iij. Portulacam in cibis & lactucam, folia violarũ flores nymphææ, & maluarũ & papaueris semina. Nã talia somnũ prouocant, Montagnana. Si vigilia vexat,

Soporifera.

Inunctiones.

omißis internis narcoticis, inungendum caput oleo violato, amygdalarum dulcium pluribus vicibus abluto, cui addi poterit mica opij: Si opium addatur, melius est solùm nares & tempora inungere vel utendum unguento populeo. Fallop. Præter præcedentia Baccius addit vsum croci & trageæ (ita vocat) è seminibus papaueris, portulacæ, lactucæ, cum saccharo in brodio aliquo dissoluto, cōmodißimas esse & extremorum lotiones. Accipe, inquit Pantaleon libro de thermis Tigurinis cap. 37. folia salicis, vitis, lactucæ, maluarum, nympheæ, papaueris repone in sacculum, coquantur cum aqua per horam, aute decubitum abluantur manus & pedes & per horam semis contineantur in lauacro: Rulandus. Vigilias pellunt Geberswciler *Villacenses aquæ dulces calidæ. Non displicet sequens linimentum eiusdem Rulandi de balneis. ℞. vng. popul. ol. nenuph. ana unc. ß. croci, opij ana gr. iij. Misceantur & fiat linimentum, quo inungantur tempora, nares, pulsus manuum, & pedes cum plantis. Innoxium, inquit Baccius lib. 3. cap. 1. somnum multam vigiliam perpeßis inducunt Fontanalis ad Puteolos & consimiles quæ ex bituminis natura caput implent, & ex accidenti frigidæ consperſio. Cum nostro fonti admirabili non desit bitumen, cur non dicamus etiam ad somnum facere posse ritè administratum?*

Opium. Tragema. Extremorū lotiones. Linimentū. Fontanalis aqua.

De Conuulſione & potiſsimum crurum.

CAP. IIII.

Conuulſionis unum genus nunc intelligimus, cum capita aliqua musculorum, præsertim in cruribus, contrahūtur. Quòd accidens vulgò Grāphios appellant, frequens in natatu in aquis frigidis, frequens & per noctem his, qui balneis calidis utuntur. Apertis enim illis per exercitiū, his verò per balnei calorem poris carnis, facilè nocturni aëris frigiditas introducitur. Nec minus, ipsis fortasse musculis per balneum exiccatis. Cui affectioni facilè quoque succurritur, ijs membris ante somnum ex oleo aliquo calorifico confricatis, ut laurino, vel anethino, addito (si libet) sulphuris etiam momento. Vera autem conuulsio quamrarò accidit, at duobus hominum generibus superuenire solet in balneis: his scilicet qui desperata vndecunque ab alijs præsidijs salute, balnea illegitimè subeunt: & etiam his, qui prætergreßis balnei legibus, gulæ, somno, & veneri indulgent. Primi quidem ex longo quopiam morbo resiccati, aut malè affecti nec adeo dispositi ad balnea plerunque vel suffocantur, vel ex siccitate conuelluntur. Quæ si quidem confirmata sit affectio, curatu impoßibilis est, vt in Aphorismis pluries testatur Hippocrates. Si verò utcunque sanabilis videatur, humectantibus eget, victu simili, auctiore tum cibo, tum somno, dulcium & temperatarum aquarum solio, hydrelæi, ac etiam olei balneo, & consimilibus. Secundi autem ex humorum agitatione, qui cum vaporibus balnei commiscentur ita affici solent, quòd his capite oppleto, fluxionis genus excitatur ad neruos, uniuersáque eorum compago resoluitur. Quo fit, vt nerui & musculi in latum aucti, ac repleti

Spasmus flatulentus, Grampff dictus, balneantibus familiaris. Inūctiones. Spasmus à siccitate & inanitione incurabilis. Victus. Spasmus à repletione.

&repleti, breuiores euaserint, longitudine scilicèt naturali imminutâ. Et hi quidem rectè curabuntur, si commota materia protinus vacuetur valenti quopiam medicamento purgante, & à remotis attrahête propinquo. Post hæc (ut vi Methodi monet Galenus) noxas neruoso ipsi generi impressas oportet corrigere, ipsumque roborare: adhibitis capiti, spinali medullæ, & reliquo corpori calfacientibus, resiccantibus, ac discutientibus oleis, unguentis: ac alijs eiusmodi remedijs. Quo tempore victu tenui, ac resiccante uti opus est & qui maximè vires restauret, Baccius lib. 3. Fallopij de thermis cap. 11 consilium est, Si conuulsio circa crura vexet cum maximo dolore, intermittat æger aquæ potum: si parua sit cum paruo dolore, nec frequens, utendum clystere acri ex decocto Ebuli, cucumeris sylu. hiera simp. Vel fiat alius cum sapa lotio & vino maluatico. In leui conuulsione non omittendus est potus aquæ, sed exhibendi sæpe clysteres: vesperi inungenda crura oleo rutaceo vel laurino. Et si conuulsio non cedat, miscendum cum oleo parum sulphuris viui.

Euacuātia. Alterantia. Victus. Clyster. Inunctio.

De defluxionibus à capite.

CAP. V.

Contingit sæpe rheumatismus à capite propter colliquationem à calore balnei factam aut quia cerebrum debilius redditum. Huic affectui prouideri potest aspersione sequentis pulueris cùm itur cubitum. ℞. Ladani, Styracis calamitæ, rosarum, ligni aloës ana ʒ. ß. sandaracæ (siue vernicis) ʒ. vi. spodij ʒ. v. macis ℈. ß. fiat pul. subt. Confert odor nigellæ. item pulu. sequens: ℞. ligni aloes ʒ. 1. Styracis calamitæ, ladani ana ʒ. ß. coriandri præparati ʒ. iij. sandal alborum ʒ. ij. acatiæ ʒ. ß. caphuræ gr. iij. Fiat puluis, inuoluatur tela sericea & sæpius odoretur. Montagnana de balneis Patauinis tract. 3. Defensiuum bonum prohibens humorum defluxum in membra debilia si adhibeatur in exitu balnei & cum panno obuoluatur, ℞. Sandaracæ ʒ. iiij. amyli ℥. 1. spodij, acatiæ, balaustiorum, hypocistidos ana ʒ. ij. Siefmemitæ ʒ. iij. farinæ volatilis molendini ʒ. ij ß. succi pl. vel aquæ ℥. iiij. vitellos ij. Terantur omnia diu in mortario plumbeo cum suo pistillo. De his verò Andernacus: Sin humores in capite ex calore balnearum eliquescant, & in partes inferiores distillent (Græci κατάῤῥουν seu ῥευματισμὸν appellant) càpatotijs assaieret & sine quibus drachmæ semissis instar, ex aqua fœniculi utendum. Syncipiti autem quâ coronalis cōmissura est, puluis subtilis ex caryophyllis vel agallocho vel styrace calcmitæ ante somnum imponendus est. Melanthium autem serico panno aut linteo raro illigatum, naribus admoueri debet: præsertim ubi defluxio est tenuis. Andernaci consilio placet subiungere quæ copiosius tradidit Baccius lib. 3. cap. 2. Quidā cum tentasset pruriginosam quandam scabiem in balneis adstringentis naturæ resiccare, non fuit citiùs scabie mundatus, quàm in ipso etiam usu balnei oborta tussicula, factus est tabidus. Similem quendam in

Puluis capiti inspergendus. Alius naribus admouendus. Pilulæ. Puluis capillis inspergendus. Melanthiū. Notabilis historia tabis ex balnei adstringentis intēpestiuo usu

Hydrops ex intẽpestiuo thermarum vsu. *Melo insula commemorat Hippocrates, qui thermis propter impetigines vsus, ab ijs quidem curatus est, cæterum in hydropem incidens, mortuus est. Galeni est eius quem Albularum intempestiuo vsu, constipatâ cute, ac facta humorum colliquatione, febris corripuit.* Febris ex sinistro vsu balnei. *Primùm si videbitur aliqua esse in capite aut in reliquo corpore humoris copia, vt quæ fortasse defectu præparationis redundauerit, ea, intermisso ad diẽ, vel etiam perendie balneo, aliquo ad id proprio medicamẽto vacuetur, puta, vel pilulis ex capitalibus aliquibus, vel Diacatholicone.* Præparatio per catharticum. *Subinde vsum minuant balnei, & ipsam aquam condecenter sic temperent: reliquamq; victus speciẽ ita instituant, vt in caussam suspicionis non addant.* Victus. *Parcè, ac semel die, si ita expediat, comedant, vel cœnam minuant, eamq; interdum omittãt. Meraciori ac potenti vino abstineant, pariterq; omnibus acribus, nidorosis, fumosis nauseabundis, ac tardæ digestionis interdicantur. Parum etiam, ac horis duntaxat consuetis dormiant, & capite eleuato: interdiu verò, somnum, defluxionis à capite præcipuum fomitem, tanquam à veneno caueãt.* Somnus. *Sub nubilo, ventoso, pluuioso, & caliginoso aëre ne inambulent: procurantes interim capiti, si à capite fluxio gignatur, pulueribus qui capitales vocantur, è betonica, rosis siccis, calamento, spodio, thure, mastiche, & consimilibus rebus, circa capitis verticem conspersis.* Aër. Puluis capi. *Tuentur verò recipientia membra, tum per idonea alimenta, tum per ea præcipuè, quæ vim quoque obtinent medicamenti: adhibitis extrinsecus vnctionibus, epithematis, caputpurgijsq;, quorum materia vulgò habetur paratissima: item diuersionibus varijs.* Reuellentia & diuertentia. *Celebrat Galenus in 7. local. med ad destillationem calidam, ac salsam in thoracem illabentem, Diocodion drachmæ pondere dormituris elinctum: Esto si illius non adfuerit copia, eclegmatis è papauere tantundem, & quæ prius ad vigilias instituimus. Quod si ex his grauior timeatur somnus, sacchari rosacei semiuncia sat erit.* Diacodion Looth de papau. *Porrò qui ad vsum ducciæ defluxionem ad infima verebuntur, haud tutum iudico his, vt se totos immergant in balneum. Verum vt sedentes in scamno balneario, & capite de more pileati conspersiones suscipiant, cautissimè adhibitis circa collum spongijs (vt iussit Archigenes) ne pectus irrigetur.* Cautio pro rheumatic. *Vidi qui rectè partes imbecilliores, quibus timuissent influxum, ante balneum perungerent, itaq; illas tuerentur: vel adstringente scilicet ac reprimente quopiam vnguento, vel quod penetrando confortaret ipsam particulã.* Partis, in qua timetur de fluxus, pręmunitio. *Ad quam rationem haud immeritò eos laudauerim, qui secundum antiquorum instituta, exercitati, ac loti in balneis, cùm in pristinum naturæ habitum fuissẽt restituti, se inungerent. Thoracem ipsum, verbi gratia, vnguento ex oleo amigdalarum amararum, liliaceo, ac ladano: vel rosaceo & chamæmelino circa spinalis medullæ principium, vel santalino circa hepar.* Ἀποθεράπεια veterum. *Demum, quod tertio loco monendum proposueram, est, vbi vehementior visus fuerit, quacunque ex causa, fluxionis impetus ad principem quampiam partem, ac maximè ad pectus. Tunc enim nulla magis compendiaria præsidij ratio fuerit, quàm balneum omnino dimittere, ac tantisper supersedere dum se bellè restitutos, ac meliùs reparatos senserint. Vbi enim aliquid destillasse ad pulmones sentimus, protinus (vt Celsus est*

author) abstinere à balneo, Sole, vino, ac venere debemus. Rul. de bal. lib. 1. cap. 4. Ad defluxiones Ruland.
Rheuma, catarrhus seu destillatio capitis aufertur hoc experimento: R. Pul. Senæ ℥. vj. sem. erucæ vnc. ß. Piperis longi drach. 1. ß. Fiat puluis, de quo manè ac vesperi sumatur drach. 1. vitando balneum. Eius vsus esse potest etiam in alijs vitijs corporis. Rulandinum hoc experimentum non sine consideratione multa cuiquã sumendum consuluerim, potißimùm siticuloso & excalfacto à balneis, abundanti biliosis & acribus humoribus, denique ijs qui calidiore sunt hepate vel cerebro. Exercitatio ad prædictũ remedium.

De vertigine. CAP. VI.

VErtigini succurritur per intermißionem balnei, exercitia, frictiones, aliasque id genus diuersiones adhibitis circa caput tum reprimentibus vaporum ipsorum impetum, tum discutientibus ad finem, quæ in ipso capite hæscrint, illorum reliquias. Verùm si vapores ex ipsa humorum commotione excitati fuerint: commodißimum planè est eos priùs euacuare, vacuatisque inferiorum partium, vnde eleuantur, rationem habere, ceu ventriculi, hepatis, lienis, folliculi fellis, vteri. Sed ventriculi in primis rationem habebimus, qui vt facilè ex assumptis cibarijs alteratur, ita aßiduos ad caput vapores mittit. Quare extrarias omnes caussas, quæ statim eam circumuolutionis imaginem mouere possunt, auferant: vt rotatilis motus est, & ex alto conspectus. Euomant, si nihil obstet, ceu natura inuita: & præsertim à cibo, vbi ventriculus eius affectionis sit in causa. Cibum verò in posterum non sequatur potus, sed quid modicum adstringens, premens, ac vaporationem prohibens, vt pirum, cytonium, panis crustula, anisum. De cætero capiti facient tum per aures iniecta subtilium partium, & temperata, vt amygdalarum oleum: tum reprimentia per affectus initia ad collum, ad frontem, & circa tempora, varijs liquamentis adhibita: ex rosacea nimirum aqua, oui albumine, rosaceo oleo, atque vnguento. Et omnia breuiter, quæ iam sub capitis dolore comprehensa habemus. Baccius lib. 3. cap. 2.

Reuellẽtia. Ἐκκάθαρσις. Corroboratio. Vomitus. Adstringẽtes cibi. Topica.

De Debilitate visus. CAP. VII.

LEuicula quoque res est oculorum punctiio, quæ ex subacri caligine aquarum mineralium quibusdam inter balneum accidit: nam per seipsa, circa primos dies remittitur. Alioqui visus quum debilitari contingit in balneis, haud quaquam contemnendum videtur. Nam quandoque debilitatur ex siccitate immodica oculi superfluæ vacuationi succedente: quandoque ab humore eliquato vi balnei in capite, eóque nerui visorij cauitatem opplente: & quandoq; ex vaporibus balnei fæculentis caput opplentibus: quarum singularitèr caussarum cura esse debet. Ex siccitate enim, per humectantia visio foueri postu-

Oculorũ pruritus. Amblyopias in bal. caussæ. Amblyopias è siccitate, curatio.

Humectātio. lat: cibo nimirum & potu, proba nutritione, aquarum interim dulcium, & temperatárum balneo, somno, & cæteris cum totum corpus, tum oculos præcipue humectantibus Ex humore autē in neruos visorios eliquato, idoneæ sunt per initia diuersiones: ad brachia quidem frictionibus grauibus & ligaturis: ad occiput vero & humeros leuibus cucurbitulis applicatis. Instillato sæpius in oculos collyrio ex oui albumine cum rosacea aqua, & saccharo, quod mediocriter reprimat, motumque adfluxionis ad longinquas partes promoueat. Post principia verò, quum scilicet coniectabitur iam aliquam fluxionis partem in oculis hæsisse, vacuatione in primis totius corporis vtendum est, vel pilulis quidem coccijs, vel aureis, vel lucis, vel ex hieris, & agarico, quæ primò fluxionem auertant, atque euacuent. Deinde ad discutientia localia veniendum, quæ tamen semper vltima esse debent, etiamsi mitissima, vel inquam prætentatis alijs Quo in genere ea maximè præferuntur, quæ leuia cum sint, peculiarem quampiam visui restituendo obtinent facultatem: vt succus chelidonij, euphragiæ, fœniculi, fel perdicis, fel ericij, collyrium ex fellibus, & maiora alia. Ex vapore denique balnei debilitata visio, vacuatione quadam præmissa reparanda est: partim quidem inhibendo reliquias ascendentium ipsorum vaporum ad caput, vt si vtantur post cibum vel coriandro, vel aniso vel fæniculo, vel diacytonio, & quæ alias diximus. Partim verò eas reuellendo ad inferiora, per ipsorum frictiones, lotiones, ac exercitia, vel balanis, & clysteribus, pro his qui non erunt ad exercitationes idonei. Postremò oculis adhibenda quæ ipsos tergeant, ac roborent, quantum fuerit opus. De multiplici verò ad oculos fluxione in balneis, semper quæ ex vsu duccia in capite fit, verenda apprimè est. Pantaleon de thermis Tigurinis cap. 19. dicit eas noxias ijs qui imbeciles habent oculos, propter vapores sulphuris, ita vt aliquando patiatur visus: cui nocumento occurrit conspicilijs (quorum alutæ aliјue materiæ idoneæ accommodatorum iter facientibus ad pulueris aërisque iniurias arcendas vsus est) capiti alligatis.

Marginalia: Amblyopiæ ex obstructione ab eliquatis humorib. curatio. — Diuertētia. — Collyrium. — Euacuatio. — Topica. — Amblyopias ex vapore baln. curatio. — Reprimētia vapores, à pastu. — Reuellētia. — Localia. — Cōspicilia.

De Tussi. CAP. VIII.

TVssis quoque in eo fluxionis genere ex balneis verenda est. Est enim hoc accidens indicium imbecillitatis spiritualium membrorum, & acrimoniæ iam prædictæ humorum, qui scatent è capite Quæ desfluxio si in pulmones fieret, tabis periculum posset inducere. Est autem perinde in balneis naturalibus, ac in febribus symptoma quoddam, quale solet intemperies calida excitare. Primò igitur, cautius se balneis committant qui tussi infestantur: adstringentibus, medicéque frigidis caput defendant, vt puluere aliquo conspersо, quorum materiam in præcedentibus retulimus: aut ceratum aliquod constipans applicent in bregmate. Percrebro autem ijdem Galeni vij secund. loc. medicamentum Diacodion ex Damocrate conscriptum relingant, ex sapa præsertim ac melle confectum, desfluxum enim id prohibet, & tussim mirificè sedat. Vel quod

Marginalia: Localia. — Diacodion.

Diacodion æmulatur, familiariúsque est, ex saccharo confecta ipsius albi papaueris semina: vel eadem contusa, ac saccharo tabellarum instar excepta, elinctaque de more, hora somni. Eodem pertinet eclegma de papauere, aut quod sanum, & expertum apud Seplasiarios inscribitur. Vtendum item gargarismis ex aqua tepida, nec non frigidam subinde profuisse scribit Paulus, frigidi aëris inspirationem, & frigidum victum. Tabellæ è Sem. pap. Eclegmata. Gargarism. Victus.

De animi defectu. CAP. IX.

SVdores autem è balneis excipere oportet, his quibus sudandum est, quamdiu satis vacuatum fuerit. At vbi largiùs eruperint, vt supra modum lassari patientes videantur, & in syncopem labi, leuißimè sudor abstergendus est: nam alius quoque alium elicit. Subinde leuando operimenta refrigerare conuenit, fenestris patentibus, quo perflatus aëris frigidior inducatur, ac euentilatio circumquaque fiat. Omphacino quoque oleo, aut myrthino, aut Cytonite, aut quopiam alio adstringenti oleo perungantur. Cæterum satius fortasse fuerit prouidisse vt qui raræ admodum texturæ sunt & ad largos huiusmodi sudores idonei, parcius (præsertim inter initia) lauacris committantur. Intraturi scilicet ipsum balneum molli priùs ex oleo frictione vtantur, à balneo autem aut in tinam frigidiusculæ, id est minus calidæ aquæ confertim insiliant, aut eâdem per ministros conspergantur, ac detersi inungantur. Eodem modo gracilibus, imbecillis, delicatis naturis, & reconualescentibus, si quando balneis vti contingat consuluisse oportet. Cibarijs verò mediocriter astringentibus, refrigerantibusque vtantur: velut acidis granatis, limonibus, lactucis, oxalide, & similibus. Nec minus animalium pedes ex aceto vtiles, & lac etiam decoctum. Baccius. Quandoquidem Fallopius de alio genere animi defectus scribit, eius verba ex lib. de thermis cap. 12. subiungemus. Animi, inquit, defectus sæpe accidit balneantibus, vt in ijs qui habent os ventriculi ita imbecille, vt paulò post ingressum balnei concidant, qui suffocarentur nisi occurreretur. Alij non incidunt statim in deliquiū animi, sed cùm diutius quàm par sit, morantur in balneo: hi non tamdiu maneāt in balneo. Alijs autem qui ratione bilis vexantis orificium ventriculi obnoxij deliquio, abstergendum est orificium & præmuniendum exhibitione pauci panis intincti in succo granatorum vel omphacio. Fallopius addit, addit Andernacus: Si anima deficit, aquis odoratis naribus admotis, aut aqua cinamomi stillatitia cum momento Zulapij rosati, bellarijs, herbis conditis Zaccaro, quas conseruas vocant, vel electuarijs, vel eo quod Manum Christi appellant, vel panis momento ex vino refocillentur.

A sudore nimio. Aër refrigerandus. Vnctio. Texturæ raræ quomodo lauandum. Frictio ex oleo. Imbecillib. quomodo balneandū. Cibi. Animi defectus ab ore vētriculi. A diuturnitate moræ in baln. A bile vexāre orificium ventriculi. Aquæ odoratæ.

Si quis ieiunus in solium descendere non potest.

CAP. X.

Præsumêda.

QVi prudenter & rectè aquis medicatis vti volet, omni cibo, potu, & somno abstineat, quamdiu in illis residebit. Sin autem quis cibo se carere posse tantisper diffidat, vuarum passarum corinthiacarum aquâ elotarum cochlearia duo, cum triplo vini diluti modo ante balneum assumet, aut pruna aliquot in aqua macerata, aut panis tosti maceratique in vino diluto, aut Marcici dicti paululum, aut bellaria quædam, conditaque Zaccaro vt corticem citri, aut mali medici similiaque ingeret. Andern.

De fastidio aquæ medicatæ.

CAPVT. XI.

Condita.

SI stomachus post quinque aut sex dies aquæ fastidio afficiatur, aut flatus ructusque oriantur, potionem die vno intermittet: cinnamomo autem caryophyllo, nuce muscata, Zimzibere, galanga, omnibus Zaccaro conditis recreatur. Andernac.

De oris & gutturis siccitate.

CAP. XII.

Hypoglotia

Decubitus.

Parti primariò affectæ prospiciendum.

LEuia porrò hæc accidentia, & quàm plurima consimilia haud quaquam vereri debent, qui aliquod insigne malum per balnea curare student. Sed ne hæc ipsa tamen contemnere per omnia videamur: humectantibus aßiduè in ore detentis linguæ atque oris asperitas lenienda est: nempe aut glycyrrhizæ, aut myxarum, aut psylij, aut lini seminis decocto. Idem præstat in ore detentus portulacæ succus, & item myxa, palmulæ prunorum damascenorum, nec non Tamar Induarum pulpa lactucæ cauliculis & huiusmodi alia. Optimum ac facilimum est saccharum candi vulgò appellatum, stillatim elinctum. Ore sæpe conniueant, sternutamenta cieant. (dum nihil obstet) præstantiùs hæc enim humectare solent, & in latus recumbant, nam resupinus cubitus resiccat. Cæterùm, quoniam exsiccationes, sitis & asperitates eiusmodi plerunque (vt benè inquit Aëtius) principalium viscerum intemperiei indicia sunt: idcirco hoc in primis diligenter animaduertatur quòd si viscerum sit culpa, eorum perfrigerationi præcipua cura têneatur: non omißis interim vnctionibus, conuenienti vitæ regimine, & balnei dimißione, si ita viscerum postulet intemperies. Baccius.

De siti. XIII.

Sitis leniuscula toleranda.

SItis autem vt 6. de locis affectis scribit Galenus, pluribus ex caußis fieri solet, sed præcipuè ex calida intemperie viscerum, & in primis ventriculi, atque hepatis. Quæ modò quidem lenis est, ac singulis ferè balneis communis affectio: tumque nullis opus habet remedijs, præterquam tolerantiâ, & somno naturali. Modò verò plurifiariam noxia fit: quam aut morsus ventris, aut linguæ

amaritudo, aut æstus quidam, qui ad hypochondrium vsque pertingit, comitatur. Quæ si adsint, inutilis balnei signa solent esse præcipua, triplici ex caussa, quæcunque sit. Aut ex simplici intemperie, cum ex labore, aut ex vehementi balnei actione, vniuersi corporis habitudo exhausta, ac resiccata apparet. Atque hi seu bibant balnei aquam, seu lauentur, cautè magis eis se committant. Aut accidunt cum ventriculus vel etiam hepar exæstuare incipiunt: quod potißimè ad vsum potuum aquarum fit: tuncque haud secus abstinendum omnino à potibus est. Aut denique si in his visceribus aggregati sint aliqui biliosi, vel salsi humores: quod ferè accidit retentis, ac non ex toto purgatis aquarum bibitarum reliquijs. Quæ nimirum cùm natiua viscerum humiditate exæstuant, putredinem excitant, ac febrem manifestè accedunt, de qua suo loco postea loquuturi sumus. Ad sitim, sicut antea ab immoderata cauendum esse dictum est: ita & circa potum, inexhausta etiam ingruente siti, erit abstinendum. Id quod duplici ratione cauetur: vna quidem omnium euacuationum communi, vt ne scilicet resiccata membra ex virtute Balnei, quam celerrimè quicquid patientes ingurgitauerint, seu crudum, seu coctum, seu minùs corpori vtile, imbibant. Altera vero, vt ne multo potu obruantur, ob varia quæ monet Galenus pericula: præruptam scilicet vomitionem, intestinorum læuitatem, diabetem, perniciem quampiam ventriculi, quæ olim Dioscorides censuit inter venena. Danda vero opera est, vt in prima statim mensa alimentum præsumant aliquod, facile ac cito digestibile, & quod maxime sitim non ingerat, vt lactucam, acetosam, portulacam, pruna granata acida. Subinde bibant sobriè, vel paulo etiam copiosius, ac abstineant per reliquum diem à potu. Nisi quòd vbi vrgeat sitis, per aliqua, quæ lambendo sumuntur, sibi indulgere poterunt: cuiusmodi sunt acetata in primis, quæ Galeno ipso teste, valenter sitim, quæ à simplicis caloris copia orta fuerit, extinguunt. In hoc genere sunt Tamarindæ, pruna, condita ex myrobalanis, ex persicis, & ex prunis. Item syrupus de ribes, syrupus de agresta Auicennæ, saccharum violaceum, Conserua de acredine citri. Quorum singula aut elincta, aut aliter in cibarijs vsurpata esse conuenit. Si denique sitis vacuationem sequatur immoderatam, qualis sæpenumero extenuatis accidit, ac imbecillis inter balnea: modis omnibus, ac tota victus ratione humectare studendum est, ac iisdē ferè ingenijs succurrendū, quibus Galenus in vij methodi ventriculi siccitatem emendare docuit. Adhibito interim super ventriculum, & circa hypochondria infrigidante Galeno ipsi nuncupato vnguento, quod hoc ipso nomine extinguēdæ sitis mirificè celebratur. Deinde est Rosaceum vnguentū, & Santalinū cum modica amplius adstrictione. Benè faciet & somnum conciliare. Baccius. Potum in balneo quamuis vetet Montagnana, concedit tamen idem si sitis fuerit ingēs inter pastus, potum aquæ cum multo saccharo, vel cum iulepo rosato, vel violaceo, si astricta sit aluus. Vel Iulepi rosſ. ℥. 1. ß. aquæ violarum & borraginis ana ℥. ij. Misce bibatur sæpe. Item syrupus de Ribes, de Berberis, de fructibus & similes refrigerantes & humectantes conueniunt. Item ℞. syrupi de pomis,

Signa comitantia, & caussæ.

Siticulosis ab exhausto cautè solio & potu vtēdum.

Siti cum viscerū intemperie calida noxius aq. thermaliū vsus.

Sitis cū intemp. cal. vnà cū humorib. cal. ex aq. retētis putresc.

In ea potu abstinēdū.

Victus.

Acida, ἄδιψα.

Victus.

Somnus.

Iulepus.

Syrupi.

de Nymphea ana ℥.1. Decoctionis sem. lactucæ ℥. ß. misce bibatur frigidè. Semina Anguriæ sæpe in ore retenta, & portulaca, vel oxalis masticata sitim sedat.
Setũ lactis caprini. *Comperio ad sitim multum conferre serum lactis caprini, potiß. cum extracto caseo lac iterum coquitur ac illud serum acescit nonnihil: ℥.iiij vel 5. insigniter compescunt sitim. Si propter immoderatam sitim cogantur bibere in balneo & inter*
Aq. cocta. *pastus, præstat bibere aquam coctam cum sacchara sufficienti, & sexta parte*
Sitis duplex *succi malorum punicorum mediacidorum, vel acidorum in calidioribus, quibus hic potus est conducibilis. Fallopius de thermis cap. 12. duplicem facit sitim, vnã dependentem tantum ab ore, palato, & faucibus: alteram ab ore ventriculi: pro*
Posca. *tollenda prima dicit, abluat os posca, vel aqua saccharata aut hordeacea vel teneat in ore saccharum Candi vocatum, vel prunum Damascenum, vel abluat os aquâ frigida. Si pendeat sitis ab oris ventriculi resoluta humiditate, vel quia*
Decoctum hordei. *adest humor acris vt bilis, detur decoctio hordei vel intybi cum iulepo. Aliquando exbibemus ante cibum duas drachmas caßiæ, sitim extinguit, conuenit etiã copiosum ius pulli in quo decocta sit oxalis & intybus. Si sitis sit propter bilem*
Cassia. *solemus exhibere caßiam cum pulpa tamarindorum: sed præstat ægrum sumere*
Sacch. rosa. *vnciam semis sacchari rosacei, quod tota nocte teneat in ore, vt sensim sponte descendat, egregiè sitim extinguit. Hæc ille. Andernacus: Vuas passas si sitis ex-*
Iulepi. *cruciet, in aqua probè lotas cochlearis modo offeres, vel Zulapium violaceum ex aqua intybi aut cichorij, aut in qua hordeum sit incoctum, aut fontana: vel con-*
Conditum. *ditum quod recipit. Zaccari rosacei, violacei, cirsij singulorum sesquidrachmam, syr. acetati simpl. violacei vtriusque quantum ad misturam satis est. Præter hæc conducit corallium vel cristallum in ore continere, aut nucleos prunorum, cera-*
Acidularũ potus. *sorumuè. Quamuis omnia præscripta placeant, magis tamen placet ad restinguendam sitim potus acidularum nostrarum & aliarum similium si haberi possint, quæ duplici modo sumi possunt: vel in quotidiano potu per se vel cum vino, vel copiosè mane & ante cœnam ad contemperandum & euacuandum bilem.*
Aq. sitim restinguẽtes. *Rulandus, Sitim restinguunt acidulæ Deinach, Kesselbrun, Mendich, Pontersborn, Göppingenses, Vberkingenses, Ebenhausanæ, Auwen, degranæ, potus aquæ frigidæ dulcis sufficiens, elutio oris ex frigida dulci. Pantaleon hanc præscripsit potionem ad sitim lib de thermis Tigurinis cap. 36. Accipe Passularum*
Lac amygdalicum. *corinthiacarum vnciam semis, Glycyrrhizæ optimè concisæ drach. 6. sem. cucum. drach. ij. Amygd. repurg. lib. ß. aquæ mensuras ij. Coquantur per horam, postea optime contundantur, & percolentur, refrigerentur in cella vinaria, ægro detur bonus haustus.*

De appetentia prostrata & intumescente ventriculo. CAP. XIIII.

SI prostratus fuerit appetitus propter defluxiones pituitosas in os ventriculi,
Diacydonites. *abstergendum & roborandum: ad id vtile diacytonites sine aromatibus acceptum à cibo ad ℥.ij. Coriandrum sacchara conditum. Experta est sequens potio,*

potio. ℞. Miuæ cytoniorum cum saccharo confectæ ℥.i. ß. decoctionis Masticis & liquoris stillatitij menthæ ℥.ij. Misce: detur in aurora & bis ac ter in die. In causa frigida confert syr. de mentha: in calida syr. ros. Oxysaccharũ, syr. de ribes, & berberis & similes, Montagn. Fallopius verò dicit: Si prostratus est appetitus ob calorem, sicut solet vt plurimum, mane & vesperi solemus exhibere oxysacchara & miuam cydoniorum cum saccharo paratam (& sine aromatibus) dissoluto cum succo cydoniorum, vel cum aqua absynthij, vel cum succo malorum punicorum, vel cum aqua menthæ, quarta parte horæ ante cibum. Vtatur etiam aceto, omphacio & arantijs acidis. Aliquando exhibemus pulpam tamarindorum cum cassia. Quandoque fouemus ventriculi regionem cum decoctione rosarum, violarum, sandalorum & absinthij. Pantaleon. Accidit interdum vt pituita extenuetur & in ventriculum delapsa tollat cibi appetitum, quod illis vsu venit qui voluptatis ergò lauant nec se purgant & præparant ad balnea. Hi purgandi pilulis Alephanginis è Rhabarbaro aut communibus. Potest exhibita tepida & penna oleo intincta in gulam impulsa vomitus moueri, quem excipiant cappares & oliuæ. Inungatur ventriculi regio ol. de absinthio, mastichino, cytonite & similibus. Si hæc nõ iuuant, & turgeat venter, omittatur balneum. Baccius addit lib.3.cap.2. Collabitur verò appetentia plerunque ex contracta in balneo calida ventriculi intemperie: quam indicant sitis, nidorosi, olerosique ructus maximè. Restaurabitur autem si pro ratione refrigerans victus instituatur, sumptis per interualla cibarijs ex lactuca intybo, cichorio, & quæ ex aceto condiuntur, aut acido granatorum succo, aut citrorum corticibus conditis, cauendo semper immoderãtiam. Facit verò extrinsecus Santalinum adhibitum. Quod autem raro in balneis accidit, si vel frigida intemperies, vel imbecilla ventriculi natura, huius sit affectionis causa: quo tempore neque sitiunt patientes, neque frigida sustinent, imo ora atque labia albicant, & interdum acida eructant: Tunc his post balneum stomachici vnguenti inunctio facienda est: dando interim patienti aliqua, qua peculiarem habeant ventriculi tutelam, & eorum præsertim quæ alimenti simul & medicamenti vim possident. Vt condita è cydonijs cum speciebus, citra condita, Zinziberis conditi ad fabæ quantitatem frustulum, & consimilia quæ Scitamenta ob hoc ipsum appellantur. Alijs porrò ex causis, velati ex humorum copiâ, crassitie, vlcere, vel non deijcitur in balneis appetentia, quinimò firmatur, vel certè vsu ipso balnei reficitur. Scribit libro de balneis Andernacus: Aquæ ferinæ quanquam non sint adeo feruentes aut calidæ, vt Badenses: tamen imbecillis stomachus inde ob sulphuris copiam intumescere solet & cibi appetentia amitti. Quæ si eueniant maturè ab eis est abstinendum: Hæc ille. Quamuis præcedentia consilia ac remedia non spernam, tamen in plerisque præfero potum acidularum bonarum recenter è vena sua petitarum, & ab aëre diligenter conseruatarum, sicubi id commodè fieri possit, quemadmodum inde non parum accedit fonti Bollensi oportunitatis ex diuersorum fontium acidorum & quidem bonorum vicinitate.

[Margin notes: Potio. / Syrupi. / Acida. / Fotus ventriculi. / Purgatio. / Vomitus. / Inunctio. / Signa prostratę appetentię ex intemp. cal. ventriculi. / Curatio. Victus. / Topica. / Appet. deiectus ab intemp. fr. / Curatio. Localia. / Assumenda. / Acidulę prostratã appetentiam restituunt.]

De appetentia immoderata.

CAP. XV.

Bulimi causa.

APpetentia bifariam immoderata, aut circa quãtitatem, aut alienæ qualitatis desiderium. Hæc præcipuè continentem habet causam, humorem vitiatum aliquem, & acidum, qui os ventris mordeat, irritet, atque appetentiam gignat. Quæ in balneis rara est, nisi admodum ægris, ordinariamque idcirco postulat curam, vt ventriculus excalfiat, exsicceturque humore noxio, vel theriacæ vsu, vel copiosa vini potione, quemadmodum iubet in Aphorismis Hippocrates. Altera in causa balnei frequentißima est, quam ponit ac curare docet Aëtius lib. 9. cap. 22. Cùm scilicet corpus rarefactum ex vsu balnei, exhaustumque sudoribus, & transpiratione aßidua spirituũ, ad multam tum cibi, tum potus copiam sumendam compellitur. Ex quo excessu sani, præter prædicta liquationis ac fluxionis pericula, hoc alterum noxæ genus facilè incurrent si appetentiæ indulgeant, quòd minùs valebunt à cæteris erroribus cauere, imo incõtinentes fient à somno, inertes ad exercitia, ad cæteras excretiones. Hinc cruditatum necessariò fiet copia, exinde obstructiones, ex obstructionibus vel febres accendentur, vel acutorum morborum aliquis oborietur, tumores viscerum, intestinorum dolores, dysenteriæ, vrinarum difficultates. Ad huiusmodi ergo immoderantiam, hoc frænum à principio statim adhibendũ est, ut vsum balnei minuant, quod prima ac efficiens est illius immoderantiæ causa. De cætero eam curam prosequantur quam instituit Aëtius: abstineant à nimio cibo, à meraciori vini potu, ab aëre ac balneo calido, & omnino ab ijs rebus quæ siue intrinsecus, siue extrinsecus calfaciant, ac rarefaciant cutim, possuntque exhalationem mouere, ac appetentiam augere: Imò studeant cutim densam ac spißiorem reddere: tum aëre frigido tum vnctione ex oleo quopiam adstringente, ut rosaceo vel myrtheo. Ex alimentis eligant quæ citò non exeant, obsonia videlicet ægrè corruptibilia, & styptica, ut syluestrium animalium carnes, auicularum, palumborum, leporum, capreolorum, cochlearum & id genus alia. Ex plantarum generibus utilia erunt arantia, citria, granata: minimè verò herbacea, neque mollia, & quæ citò transeant. Baccius lib. 3. cap. 2.

Curatio.

Bulimus ab exhausto.

Indulgẽtiæ in bulimo incómoda.

Curatio.

Victus.

De ventriculi imbecillitate.

CAP. XVI.

VEntriculi autem atque hepatis munia cum sint omnibus animalis partibus necessaria communiaque, vt scribit Galenus in 7. Methodi, summa diligentia nos uti decet, ut ne inter balnei ministeria eorum virtutes offendamus. Quamobrem si pro viscerũ innata imbecillitate, aut resolutionem viriũ timeamus, aut ipsius particulæ periculum, sani certe consilij fuerit, tempus salutaribus auxilijs anticipasse. Succurratur igitur tum his, quæ per os ingeruntur, tum his quæ extrinsecus adhibentur stypticis, amaris, acidis, atque modicum aromatici olentibus. In quorum genere sunt rosa, santala omnia, ribes, palmulæ,

Stomachicorũ sylua.

aloë, mastiche, vinũ astringens aromaticum, acetum, citra granata, cotonëa mala, oxalis, plantago, passulæ acidulæ, cerasia acida, hisq́ similia multa varijs modis ægrotanti ipsi ministrata. Et ex his, quæ vim quoq; medicamentariã habent, diacytonium, saccharum rosaceum, conditaq́ alia ex citrijs, myrobalanis, cytonijs syrupus rosaceus, de agresta, aromaticũ rosatum. Adhibenda verò extrinsecus, oleũ mastichinum, rosaceum, melinum, myrthinũ, de absynthio, vnguentũ rosatum, sandalinum. At si nihilominus ventriculus ipse in imbecillitatem labatur, tunc vel os eius duntaxat afficitur, virtutis nimirum appetitiuæ lapsu, quam antea reparare docuimus: Vel fundum, ac villi eius retinentes patiuntur, & tunc retentrix virtus maximè deijcitur. Vel certe prægressa aliqua ventriculi affectio, aut intemperies est, quam balneum excitauit, tumque omnis facultas naturalis, cuius origo est ipse ventriculus, imbecilla simul efficitur. Præmissa ergo vacuatione aliqua, si necesse fuerit, veluti ex dialoë Galeni, vel mastichinis pilulis, vel alephanginis, vel communibus, vel diacatholicone maximè medicamento, cibarijs studeant boni succi, sorbilibus, & quæ citò ac in pauca quantitate nutriant, celerrimeq́ laxatas virtutes instaurent. Esto etiam cum his cibus eius qualitatis, quæ ventriculi partes laxas in vnum cogere queat, roboret, somnum conciliet, lassitudinemq́ à balneo relictam auferat. Qualis maximè idoneus fuerit subacidus, & subausterus, aromatibus parum astringentibus conditus, veluti diximus. Paulatim verò, ac per interualla dandus est, quãtus scilicet non grauet ventriculum, sensimque augendus, donec ad consuetam illi quantitatẽ ventũ sit. Potus etiã sit parcus, etiã si magna sitis adsit, eam enim potu largo placandã non esse cautũ antea à nobis est, & sitim tolerare ventriculũ roborat. Esto autẽ vinum tenue, odorũ, & lene, & aqua cocta dilutũ quantũ opus videbitur, modico item stillatitij liquoris adiecto, boni Mesuæ consilio, quod faciat ad caussam. Vitando vinũ dulce, crassum coctum, vinosum, & turbidum, & aquam tum calidam, tum frigidam, hæc enim imbecillum extinguit calorem, illa autem laxat, ac innatas ventris virtutes dissipat. Vitent præterea pinguia, nauseabunda, dura, cruda, mali succi, ac etiam lenta, & herbacea, præter mentham, ac alia eiusmodi stomacho maxime congrua. Dimisso autem usu balnei interea, somno indulgeant competenter, hic enim omnes ventriculi molestias ex resiccatione maximè obortas sedat, pristino vigori ipsum restituit, ac reliquum corpus instaurat. Gaudium, deliciæ, & reliqua id genus victus ratio teneatur. Forinsecus autem imposuisse præstat interim olea, vnguenta, cerata, epithemata, & ex herbis, ac liquore aliquo malagmata paratu facilia, quæ eandem sententiam iuuent, caloremque conseruent, ne dissipetur, qualia adstringentis, ac odore facultatis maximè sunt, ut ex tria sandalis confecta, & eiusdem farinæ alia. Quod si tandem attenuatus adeo ventriculus sit, vt hecticæ periculum timeatur (quod in his, qui cum mala valetudine vadunt ad balnea non rarò euenit) ventriculum ipsum modis omnibus humectare expedit, atque his præcipuè, quæ tum corpus vniuersum, tum virtutes instaurare valent.

Topica.

Partiũ ventriculi affectiũ signa.

Vacuatio.

Victus.

Cibi.

Potus.

Cauenda ex alimentis.

Somnus.

Animi affectus.

Topica.

Sicç intẽp. ventriculi curatio.

De Dolore ventriculi. CAP. XVII.

Quatuor de caussis dolet ventriculus ad balnea.

QVatuor potißimum de causis ventriculus dolorem potest incurrere ad balnea: vel ob intemperiem ipsius æqualem, vel inæqualem, vel ex vlceratione, vel tandem ex flatulento, acri & pungente humore, quem vsus balnei concitauit in ventriculo, non tamen coniunxit. Siquidem sola intemperies calida est, facillimæ curationis habetur, Galeno teste 7. Method. vt quæ alterantibus duntaxat & adstringentibus alimentis, ac frigidæ aquæ exhibitione curatur. Quòd si etiam æstus vehemens calidæ intemperie adiungatur, eum affectum, ac si febris esset, curaueris, demisso in totum vino, melle, ac calorificis alijs, ac ptisanæ hordeaceæ vsum, humectantiumq; aliorum iubeto: foris verò crudum oleum, hoc est omphacinum, & melinum illinito, vel santalinum vnguetum, & vt interim simplex diacytonium cum saccharo rosaceo, vel violaceo elambant. Si verò cum intemperie materia quæpiam coniuncta sit, aut hæc quidem ex essentia excitata est in ipso ventriculo, aut ex alterius partis consensu: si primum, tunc præmissa, si oportuerit, præparatione aliqua, vacuationi intendendum est: hanc autem ex habilitate naturæ patientis moliemur, vel per deiectionem, vel per vomitum: pharmacis quidem vtendo clementer purgantibus & à propinquo trahentibus vt hiera Galeni. Verùm si materialis eiusmodi intemperies, ex cuiusdam alterius membri consensu adducta in ventriculum est, quemadmodum frequenter ex irruente à capite fluxione solet accidere, eo in casu membri illius demandantis robori attendere oportet: recipientis interim cura visceris non neglecta. Si verò cum hoc exulcerari quoque ventriculum contingat, cùm in cæteris caußis parcius balnea sumẽda sint, hîc ea prorsus oportet dimittere, ac pariter rerum acrium alimenta, & his similia. Sit victus refrigerans, ex ptisana, cum qua quippiam mellis adiungant, quò per ipsam vlcera repurgentur atque abstergantur, & aliquando quæ dolores mitigent, ac mordacitatem obtundant, commanducent, forinsecus epithematis adhibitis quæ corroborent, ex palmulis, malis cotoneis, ac polenta, ceratisq; ex melino rosaceo, ac santalino. Post repurgationem verò, sint quæ carne implent, & deinde quæ adstringant, ad cicatricemque perducant. Baccius.

Calidæ intemp. simpl. ventriculi curatio.

Victus.

Topica.

Pharmacia.

Intemp. vẽtriculi, cum materia aliunde demãdata curat.

Exulcerationis vẽtriculi curatio.

Balnea dimittenda.

Victus.

Externa.

De flatibus ventriculi. CAP. XVIII.

Iusculum.

SI tandem ex ingenito isthic, inclusoq; flatulento spiritu ventriculus doleat, ius galli commodißimè exhibet Mesues, emplastro adhibito ex pane calido, oleo ac melle. Peculiariter autem ad flatum ventris, laudant balnearij Medici hæc olea de absynthio, de Mastiche: similiter gariophyllos, galangam, Macem, anisum galliam muscatam, & ex his varia medicaminum genera. Anisum, vel coriandrum à cibo commansum familiare est, ac id genus confectiones. Cæterùm discutientium flatus longißima est apud medicos series subtilium scilicet partium omnia, calida & sicca. Baccius.

Emplastrũ.

Olea, aliaq; ἄφυσα.

De Singultu. CAP. XIX.

Singultus quo os ventriculi quodammodo conuellitur, retentricis, ac expulstricis facultatis est vitium. Contingit autem in balneis aut præ nimia ipsarum actione, aut ob materiæ malitiam, quacunque ex caussa in ventriculũ contractam, aut morsum excitatum ex acrimonia, aut grauantem, aut flatu replentem, ac distendentem. Quem quidem emendant sua contraria, quæ nimirum materiæ ipsius acrimoniam hebetant, vacuant, discutiunt. Rhazes ad aßiduam singultiendi molestiam, frequenter aquam tepidam modicè sorbillandam præbet. Ex immodica autem balnei actione, veluti si quispiam imbecillior nimiùm ad potulentas aquas exinanitus, penè ex haustus anhelet, parum spei in remedijs est, & si diu perseueret, lethale, vt testatur Hippocrates. Si verò siccus eiusmodi affectus sit, & non adeo confirmatus, humectantibus iuuatur, & est sanabilis. Perrarò autem ex viscosorum frigidorumq́; humorum copia accidit singultus in balneis: nisi fortasse ex ciborum corruptione, quem sanat vomitus. Iuuat & spiritus retentio, teste Paulo. Baccius.

Caussæ. Curatio. Aquæ tepidæ sorbitiuncula. Prognosticon. Victus.

De Vomitu. CAP. XX.

Vomitus autem, vt inquit Paulus, quia tam sanis quàm ægris potest contingere, & vtrisque modò vtilis esse potest, modò noxius, ideo diligenter ad opus balnei vomitantis caussa cognoscenda est. Et præsertim, quia multis vomitus est domesticus, quem tamen balnei violentia sua acri in potionibus qualitate exacerbare posset, multis contra inimicus, quibus cautè operatio aquarum ex vomitu vacuantium (quanquam faciat ad caussam) moderanda est. Quæ prudentia tota ferè in electionibus balnearum, quæ maximè conueniant, versari debet. Maximè verò cauendus his, quibus ex affectu quoque aduersatur, ut malo præditis stomacho, sanguinem excreantibus, & qui suffocationibus sunt opportuni. Qui omnes sicut violentis, & nimiam acribus potulentis aquis abstinere iubentur, ita si laboriosam aquæ etiam mitis operationem experirentur, penitus eam intermittere debent. Sed in longis prosunt affectibus, ac solutu contumacibus, qui validam commotionem desiderant, qualis est podagra, ischias, antiqua meseraicarum, hypochondriorum, & lienis obstructio, hydrops, inflatio, epilepsia ventriculi vitio, melancholia, & similes. Quibus omnibus potulenta validæ etiam facultatis balnea tentare vtile est, neque per initia, quantumcunq; meticulosis, vomitus supprimendus, vt qui postea magnam exinde vtilitatem sperare debent. Hoc signo confidentes, si benè tolerent, & quiescant, haud statim, nec copiosè, nec quolibet cibo vtentes. Quod si præter hæc intempestiuis vomitionibus tententur, vel ventriculi nausea, quampiam stomacho intemperiem cõciliatam indicium est. Tuncque exeuntium qualitas inspectanda, nam aut amarulenta & biliosa, hepatis vtique vitio calescentis, in quo casu & balneo inter-

Vomitus moderãdus. Vomitus quibus aduersus. In quibus aff. conueniat vomitus. Signa vomitus vtilis.

Curatio vomitus in temp. hepatis vitio.

dici debent, & regimine febricitantium frigido atque humido instituendi, & quod robur ipsis visceribus conferat. Aut alimenti assumpti specie existunt, in quo simplex intemperies calida arguitur, facilè per refrigerantia supra dicta ad alias ventriculi passiones, simul atque corroborantia emendabilis. Si vero aliqua humiditas inter visceris tunicas infarcta timeatur, vnde nausea & cibi etiam auersio solet accidere, per idonea ex Hiera simplici erit purgatio catapotijs, & electuarijs prædictis. Nam vnctiones, fomenta, & conditorum eiusmodi vsus, nunquam in his casibus sunt inutilia, & quæ multam habent ad omnem vomitum conferentiam, lenticula cum pulegio decocta, aut mentha, aut thymus aliquando ex aceto, panis ex vino dilutiore & odoro infusus, Paulo: mala punica, citria, myrabolani, & huiusmodi alia, Baccius. Ex quibus liquet, aquas primulum bibentes si vomant rarò quicquam sinistri portendere, imò conferre. Solet enim vnà pituitâ & aliâ omni illuuie ventriculum egregiè deplere, sic vt curationis quasi principium sit. At si sequentibus diebus vt secunda & tertia ex consilio Fallopij, diuertendus ille motus clystere, cui addendum sal & hiera & aliquid simile: reiecto clystere bibat aquam, deinde applicetur cucurbitula regioni ventriculi, mox exhibeantur quatuor cyathi aquæ quam si retinuerit, bonum erit signum: altera die inijciatur alius clyster, sed non applicetur cucurbitula, & detur aqua, quam si euomuerit desistendum ab exhibitione aquæ: si cesset vomitus, pergendum. Si sexta vel septima vel nona die euomat tres quatuorue cyathos aquæ, bibat iterum aquæ tantundem, dummodo hoc non eueniat ob nimiam ventriculi defatigationem, quæ si esset, oporteret desistere.

Purgatio.

Appropria.

Fallopii in vomitu cõsilium.

De aluo nimium soluta,

Cap. XXI.

Acres aquæ potæ intestina exulcerant.

Curatio.

Cautio.

Baln. omittendum.

PErtimescendum quoque cum primis est, alui nimium solutæ accidens in balneis, quando non pauci ob hoc solum in dysenteriam præcipitent: incauti nimirum, qui salsugineas acresque pro potulentis medicatis aquis ingurgitantes, cruentam deiectionem ac intestinorum tormina experiri solent. Principio igitur dum à virtute balnei excernente crudos & contumaces humores fluor processerit, sinendum. Indicabunt enim id esse naturæ munus, leuis tolerantia patientis, quies, ipsarum excretionum qualitas, quantitas, condecens occasio, synceraaquarum ebibitarum eiectio in fine, & tandem cessatio. Sin autem vacuatio modum excedens vires deijciat, flatus & tormina efficiat, cum siti aspera & linguæ siccitate, & pro quantitate, qualitate, & tempore exeuntium minus idonea videatur, protinus balnei ministerium dimittendum est, seu bibendo seu lauando, seu quocunque modo ipsum assumpserint. Quod si coacta natura adhuc aluus iuerit, ac immodica vsque adeo sit inanitio, vt æstus, asperitas, ventriculi attenuatio, totius corporis exsiccatio inducatur: tum non modò extrinseca cau-

sa, quæ est ipsum balneum, intercidenda est, sed etiam intrinsecus materiali scilicet & efficienti causæ fluxus prudenter occurrendum est: habita diligenti ratione, num aut hepatis, aut ventriculi, aut intestinorum, aut cerebri id vitio contingat, Baccius. Placet huc facientia subnectere ex Pantaleonis libro de thermis Tigurinis cap. 40. Sæpe fit ut naturâ conante se exonerare, oriatur fluor alui, ita ut à lotione aliquamdiu sit desistendum: Is non statim reprimendus ante diem vnum aut alterum: Quod si vires nutent, roburque sensim deficiat exhibendi essent cibi & potus paulatim constringentes, pultes ex auena, pyra, oua indurata, citoniatum, vinum rubrum chalybeatum cui succus citoniorum admixtus, acini granatorum, & vuarum cum cibis: perseuerante fluore rob de ribes, de berberis, saccharum rosaceum antiquum cum spodio aut bolo armena: regio ventriculi poterit inungi ol. myrtino, de absinthio, masticbino. Hæc ille. Si fluor alui sit ab humoribus acribus malignisque & periculum de dysenteria, nihil mihi videtur in principio consultius quàm statim copiosa aquâ bibita eos educere, vel, quod tutissimum, vt euocato medico, eius consilio repurgetur laborans Rhabarbaro, Myrobalanis, tamarindis, syrupo rosato, & similibus quæ doctus Medicus facilè accommodare potest, & ex aqua fontis Admirabilis exhibere. Si non cesset alui fluor à purgatione, tunc probo axungiam nostram Lunæ primam & sanguinem Herculis ex aqua fontis medicati sumptum. Si sitis simul vrgeat laudo moderatum potum acidularum per se, vel mixtarũ cum vino. Post euacuationem non displicet ægrum perseuerare in lotione, modò ea sit moderata quæ corpus non nimium calefaciat, ac sitim excitet & vires prosternat.

Parti mittẽti assumptis occurrẽdũ.

Fluxus alui non statim supprimendus.

Assumẽda.

Dysenteriæ in principio occurritur aq. medicata solutiua aliisuè purgantibus.

Adstringentia.

Ad sitim dysentericorũ.

De astricta aluo. CAP. XXII.

PRocurandum porro in balneis est, vt aluus superfluitatibus vacet, vt his quotidie scilicet vel ad minus pro consuetudine exoneretur, multos enim ob hoc solum accidens, colica, atq; etiam iliaca passione correptos vidimus. Quòd si, ex contracta in intestinis calida, & sicca intẽperantia, id minùs præstare quis poterit, ut vsuenit ex balneo, imus venter totus quopiam emolliẽte, relaxante, & refrigerante vnguento illinatur. Cuiusmodi inter vsualia, ac facilè parabilia sunt, oleum commune, antiquumque, butyrum, oleum è cyclamino, oleum de thymelea, vnguentum è cyclamico ilibus, & femori illitum, Mesuæ, vnguentum Dialtheæ, vnguentum Agrippæ. At si adstrictio diutius processerit, in hydrelæi peluim patientes mittuntur, atque etiam simplicis olei. In edulijs verò vtantur iurulentis, ac item emollientibus, malua, blito, beta, mercuriali, cucurbita, portulaca, vrticæ cauliculis, omnibus ex oleo, & garo elixatis, cuius loco hodie vel omphacio, & sale vtemur, vel lectissimi tartari ex vino pollime, quod vim abstersiuam non paucam obtinet. Pari modo, in antecænijs sumant pruna damascena, & fugaces fructus eiusmodi, quantum licebit. Ex medicamentis

Colica & iliaca ex astricta aluo.

Inunctio.

Victus.

Purgantia. verè, quæ per os deuorantur; si quidem dispositionis ratio indicauerit, valenter etiam purgantia exhibeantur: hoc seruato, vt quandiu medicamenti ministerio ægri intendunt, à balneo abstineant. Sin autem clementia quædam assumant, ut bolum cassiæ fistularis: vel deuoratis pilulis alephanginis, mastichinis, communibus, de tribus, & sine cura vulgò appellatis ante cibum. Clemens verò, nec minùs delicatum est hydrorosatum Pauli, & quod vulgò medici, modò syrupum plurium infusionum, modò rosatum, aut violatum solutiuum appellant, pondo

Clysteres. trium vnciarum assumptum bene mane. Vel saltem non omittantur clysteres, primùm quidem ex brodijs leuibus, ac mollibus, deinde postea acrioribus: aut

Aq. medicatæ solutiuæ. glandes suppositoriæ indantur. Nec desunt multæ, ex medicatis aquis, quæ inditæ ex enemate subducunt aluum, vt nitrosæ præ cæteris, æneæ, atque etiam salsæ: contra verò ferrugineæ, aluminosæ, & sulphureæ, quæ in quantum tales exiccant, atque adstringunt. Montagnana olim scripsit consilio 303. Balneans

Cassia. cui astricta erit aluus, quotidie ante cœnam lambat cassiam ex siliquis, aut acci-

Pillulæ. piat pilulam ex aloë infusa in succo intybi: aut ℈.i. sequentis pulueris ℞. epi-

Puluis solutiuus. thymi, polypodij an ʒ. 1. ß. sennæ ʒ. ij. ß. salis Indi. ʒ. ß. glycyrrhizæ, cinnamomi, zinz. an. ℈. ß. anisi ℈. 1. fiat puluis subtilis ac interdum ante cibum exhibean-

Suppositor. tur suppositoria ex melle & sacchara, radice betæ, iridis, dauco vel petroselino

Syrupi. illitis melle & sale, aut de carne salita &c. Præterea aluus astricta molliatur

Decoction. cum syr. prunorum, decoctione fructuum, solutiuo syrupo violato & similibus

Pilulæ. frigidis & humidis mixtis cum aquis: cum sero lactis præparato. Item cum decoctione betæ, violarum, maluarum, vel utendo in cibis. Item ℞. Aloës, syr. viol. lupulorum ana ℥. ij. Mastiches, croci an. gr. iiij. Infundatur aloes in eis per diem & noctem, vel per tres dies, & fiant ex ijs pillulæ post exsiccationem succi leui igne vel in sole factam, parum ante cœnam sumantur ij. vel iij. Est bonum & vtile remedium. Fallopius: Pauci sunt quibus intra quatuor vel quinque dies

Clyster. non supprimatur aluus, cui symptomati occurrendum cum clysteribus alterna-

Iusculum. tis diebus exhibitis ex succo maluarum & cremore hordei. Si æger non admittat clysteres, bibat ius quinque aut sex prunorum Damascenorum siccorum, vel

Cassia. quatuor aut quinque caricas sumat in quibus impesita sint quatuor grana Cartami mundati, capiat dodrantem cassiæ in fistulis, per dimidiam horam ad sum-

Pillulæ. mum ante cibum; vel deglutiat ponderis scrupuli pillulam aloës lotæ & præparatæ, vnà cum rosaceo saccharo alternis saltem diebus. Andernacus, Si aluus na-

Glans. turâ quotidie aut saltem altero die non descendat, tertio solicitari glande subie-

Clyster. cta aut clystere indito debet, aut catapotijs alephanginis, aut hierâ picra, aut cas-

Pillulæ. Iuscula. siâ, aut mannâ ne crudi humores ex stomacho per totum corpus nimio balnei calore distrahantur & omnigenos morbos inducant. Aluum astrictam soluemus iusculis emollientibus, vt maluæ, violarum, aut brassicæ trientis instar cum Zaccari momento: vel duorum ouorum luteis crudis, iuri pisorum aut gallinæ calido iniectis absorptisque: vel vuis passis duorum cochlearium modo assumptis: vel prunis damascenis benè maturis & dulcibus: sic tamen vt omnia hæc

paulò

paulò ante cibum sumatur. Ex medicamentis casiæ fistularis uncia, cum modico Zaccharo vel manna ex iure aliquo: vel catapotijs rosaceis ante cœnam deuoratis: vel decocto emollientium herbarum, cui electuarij catholiconis uncia sit addita, Zaccarum rubrum & salis modicum, per clysterem indito: vel capitis veruecini decocto, cui Zaccarum, mel, & caßia fistularis sint adiecta: vel glandibus ex melle & farina in massam redacta & sale: vel pingui carne suilla salsa formatis. Dortom. Astrictior aluus ob intemperiem frigidorum intestinorum aut contentorum copiam, primum clysteres, mox potus hos frequentes nō copiosos aquæ exigit. Iisdem diebus quibus manè hausta aqua Belilucana, ingrediatur balneum horis pomeridianis, lecto à balneo decumbenti admoueantur fotus calidi, obducatur toti ventri cœnum thermarum: lingat reliquias. Pantaleon de thermis Tigurinis, Accidit interdum ob calorem balnei astringi aluum & sequi colicum dolorem: id si eueniat, cessandum à balneo donec soluta sit: bibat ieiunus poculum aquæ thermarum aut caßiæ unciam semis dissolutæ cum iusculo carnis, aut syr. ros. lax. unciam semis: aut paretur potiuncula mihi usitata in meis ægris ex senna, cinnamomo, Zingibere, glycyrrhiza, radicibus petroselini, aniso, melissa, mentha, violis, & rosis: huius decoctionis accipe duos aut tres haustus: mutanda tamen pro ratione personarum, interdū supponenda glans ex melle: aut enema ex polio, mentha, maluis, hieræ picræ & benedictæ laxatiuæ ana uncia semis, ol. rutacei & anethini singulorū drachmis sex, salis drachma una & semis: Enema cum inijcietur nec sit iusto calidius nec frigidius, sed teporem habeat urinæ hominis sani. Hæc ille. Vbi astrictio alui à calore balnei & siccitate alui non probantur mihi pilulæ, nec aloë, nec rosæ siccæ, nec calidiora pro correctione senæ, siue sint herbæ, siue aromata: non laudo etiam calidiores confectiones in clysteribus, similiáque illa & herbas, multò minùs cœnum thermarum exsiccans. In nostro balneo admirabili poterunt præter cætera prædicta in potu exhiberi aliquot pocula aquæ nostri fontis manè, intermissa lauatione donec reseretur aluus: Poterit quoque inijci sola aqua balnei calida, vel addi oleum aut butyrum, interdum salis tantillum, aut etiam mel, aut malua, aut althæa. Si iungantur astrictæ aluo alia symptomata ut colicus dolor à pituita, uterini affectus, calculus, consilio opus est medici: interea nihil obest omnia lubricantia & emollientia, & sine insigni calore euacuantia exhibere per superiora & inferiora donec adueniat Medicus, qui hîc poterit uti in enematibus hierâ picra & benedictâ laxatiua, diaphœnicone, terebinthinâ & similibus pro ratione ægri & morbi. Hoc etiam monuerim non obfuturum, si æger sentiens in ventriculo redundare prauos humores cum astrictione alui, sumat trochiscum semis axungiæ nostræ Lunæ cum multa aquâ fontis mirabilis. Si insignis fuerit astrictio præstat præcedere enema. Non displicet sequens euacuatio modo vltra diem non reseruetur ne serum lactis corrumpatur ex quo conficitur, de qua Rulandus de balneis libro 1. cla. 4. Purgatio cholagoga suauis & utilis omni ætati, sexui, & morbo: ℞. fol

Clyster

Glandes.

Aqua Belilucana.

Clysteres.

Solutiuæ potiúnculæ.

Exercitatio ad præcedentia.

Potus aquarum Bollēsium ad aluum soluēdam.

Ex ijsdem clyster ad eundem vsum.

Astricta aluus cum alijs symptomatibus.

Axūgia Lunæ solutiua.

Senæ expurgat. unc. 1. Cinnam. Zingib. ana. drach. ß. Sacchari candi unc. ß. Sacchari drach. vj. bulliant in seri lactis caprini lib. ij. per quartam horæ partem, deinceps macerentur per noctem: ex iure hoc potui detur ab vnc. 1. ad quinque mane & per horam ante cœnam.

De aqua retenta, & ob eam intumescente ventre.

Cap. XXIII.

Clyster.

SI primis diebus aqua medicata pota non descendit, clystere ex aqua ipsa cum melle, zaccaro & sale educenda. Singulis quaternis aut quinis diebus potio intermitti potest, & aluus iniectione ex aqua medicata cum melle rosmarino condito & chamæmelino sollicitari, Andernacus. Fallopius verò de thermis cap. 11. Si aqua retinetur nec reijcitur per secessum, aut vesicam, aut vomitum, aut aliam partem: aut retineatur in intestinis & hypochondrijs (quod cognoscetur ex molestia in illis partibus, ex tensione graui, rugitu & flatibus intestinorum, & inundatione quadam) eâdem die inijciatur clyster ex eadem aqua bibita, adiuncta hierâ simplici vel syrupo rosaceo: si hoc clystere aqua retenta non euacuatur, fiat decoctum ex ebulis & folijs cucumeris sylu. cui decocto addatur hiera, vel hiera diacolocynthidos, & parum olei chamæm. fiat clyster: detur deinde prandium: à prandio quiescat: vesperi inijciatur alter clyster ex ijsdem, & sic mane sequenti alius, donec tota fuerit euacuata: & si tota fuisset educta per primum clysterem, non esset reiterandus. Altera die bibatur iterum aqua, quæ si iterum retineatur, educatur eâdem ratione & non bibatur amplius, sed aperiantur rursus viæ, alterenturque materiæ. Causa retentionis in intestinis est copia materiei mucosæ: retinetur etiam ob aquæ imbecillitatem: Paretur optimè attenueturque & detergatur materia illa, deinde bibatur aqua, quæ si non sit sua naturâ salita, ponatur sal in primis duobus cyathis: Multos vidi in quibus retinebatur aqua, quibus fuit saluberrima post secundam præparationem. Si aqua retenta fuerit & non appareant antedicta signa, indicium eam retineri in toto corporis habitu: Prima die nihil erit agendum, si etiam altera die retineatur, danda opera vt euacuetur. Solemus nos ne aqua diffundatur per totum habitum corporis exhibere prima die vesperi per dimidiam vel integram horam ante cœnam, pillulam unam quæ purget pondere scrupuli unius ex pillu. alephanginis vel mastichinis vel ex rhabar. agarico & alijs æquali pondere. Secundo die, si tota aqua retinetur, procuranda cum diligentia euacuatio, potißimum si multa: (Nam vidi multos qui inciderunt in hydropem anasarca) ea fieri potest vel per vesicam, vel per insensibilem euaporationem, efficiendo, vt æger sudet mouendo se, aut ingrediendo balneum calidum: Sed non est tutus modus euacuandi ratione balnei, est etiam tardior, sicuti per lotium. Superest euacuatio per intestina quæ commendatur, quâ vs

Signa retentæ aquæ in hyppochôdriis & intestinis.

Clyster.

Aq. in corporis habitu retenta.

Pilulæ.

Anasarca ex aquis potis retêtis.

Nec tutò nec citò educuntur retêtæ aquę sudore, aut lotio

tuntur excellentiss. Medici Patauini & nos cum ipsis, quod faciunt addito grano vel duobus elaterij optimi: id occultant pro secreto: Cauendum ne vltra duo grana dentur, est enim maximum medicamentum, nec in hac re potest inueniri præstantius. Euacuata aqua hoc medicamēto, omittendus potus aquæ. Si non tota aqua, sed aliqua ipsius quantitas retineretur prima & secunda die, non abstinendum à potu, sed si tertia adhuc retinetur, detur pilula cum elaterio & omittatur omnino aquæ potus. Ad nostrum propositum hæc faciunt quæ dicit Baccius libro 3. cap. 2. Retentionis est species, in qua balnei aqua ebibita quocunque impedimento non purgatur. Primo verò distinguendum est vbi retineatur, an in vijs latis, an in circumferentia totius corporis, an in vasis vrinarys, & vesicæ. Quorum locorum sunt certa signa distinctiua, dolor, rugitus, inflatio, fluctuatio in ventre aquæ, sputamina insolita, languiditas appetentiæ. Est & tumor ad supremam cutim (quod certè nunquam vidi) testimonio Plinij, quosdam visos bibendo turgidos in tantum, vt annuli integerentur cute. Quidam ebibitis, me authore, aquis Sancti Marini iuxta Ariminum, regressus in patriam cœpit insolitam corporis lassidinem dolere, deiectam appetentiam, ventris duritiem, porrò casu quodam oborto ei erysipalatode tumore super dextrum hypochondrium, quod offenderat, perinde quasi perfectus hydrops, complures situlas aquarum, ichorosæque humiditatis, vsque in admirationem Medicorum eiecit è loco. Quocunque ergo modo aqua ebibita retineatur, de sui indicat necessaria euacuatione, per conuenientem viam. Sin in intestinis, statim eadem die vacuanda est, per clysterem ex eadem aqua, vel discussorij aliquo addito, parietaria præcipuè, & etiam hiera. Secunda die, nihilominus bibendum: quod si similiter retineatur, eadem præsidia reiterentur. Quod si tertia, & quarta item die retentio prosequatur, supersedendum est: ac vnam duarum putabimus esse in causa, vel quia eo anno balnea sunt minus salubria, vtpote si multis essent diluta pluuijs: vel corporis perperam factam esse præparationem, vijs obstructis viscositatibus, quæ erant tenuandæ, vt suo loco docuimus. Reliquias verò euacuare tentādum, aut pilula aliqua ante cœnam, quæ proritet aluum, vt Masticbina, vel de tribus, vel stomachica: Aut stimulo aliquo aquarum virtutem exacuere oportebit, vt vel salis momento, vel syrupo rosaceo. Vtuntur Patauini Medici, teste quoque Fallopio, pillulis quas habent in secretis vulgi causa: nimirum scrupulo vno ex prædictarum aliqua specie, cui additis boni elaterij grauis duobus, faciunt vnam pillulam, exhibentque ante cœnam: quæ & non grauat dosi, & purgat certissimè retentas aquas. Quod si languido alioqui prius corpore, aquisque retentis, de hydropis specie timendum sit, putrefacta forsan aqua, ac viscere cum toto corpore perfrigefacto, apertè ad fortia præsidia, veniendum est. Etiam ad Ebuli decocti exhibitionem, quod quandam habet proprietatem ad ducendas aquas. Communia sunt exercitium, labor, sudor. Quàm maxime

Rectiùs per aluum educuntur.

Elaterium Patauinorū medic. secretum.

Aqua balnei retenta.

Signa retētæ aquæ in hypochondriis.

Signa retentæ aquæ in habitu corporis.

Rara historia emissionis aquę retentæ.

Curatio.

Clyster ex aqua balnei.

Pilulæ.

Aquarum vires quomodo acuendæ.

Elaterium.

In hydropis suspicione quid agendum.

Decoctum ebuli.

Balneum. *vero expedit finito balneo, eos in balnea, ac lauationes calidarum aquarum committere: medicatarum quidem, si talium copia haberi poterit (hoc enim in casu balneum post potationem aquarum conceditur.) Sin minus priuatarum, & dulcium lauacra ineant: denique perseuerent exerceri, gestari, fricari, vt omnino imbibitas iam humiditates excutiant: Quidam ad aquas Porretanas, si minus ex* Malagmata ad pectinē *potu earum promouerentur vrinæ, adhibent circa pectinem malagmata ex parietaria decocta in aqua, actuque calida sæpè, ac sæpius adhibita: faciunt & ex ea* Clyster. *clysteres.*

De sudore immodico. Cap. XXIIII.

Nō temere cohibēdus sudor. *SVdores autem è balneis excipere oportet, his quibus sudandum est, quamdiu satis vacuatum fuerit. At vbi largius eruperint, vt supra modum patientes lassari videantur, & in syncopen labi, leuißimè sudor abstergendus est: nam alius quoque alium elicit: subinde leuando operimenta refrigerare conuenit, fenestris patentibus, quo perflatus aër frigidior inducatur, ac euentilatio cir-* Inūctiones. *cumquaque fiat. Omphacino quoque oleo, aut myrtino, aut cytonite, aut quopiā alio adstringenti vnguento perungantur. Cæterùm satius fortaſſe fuerit prouidisse, vt qui raræ admodum texturæ sunt, & ad largos huiusmodi sudores idonei,* Ἀποθεράπεια *parcius (inter initia præsertim) lauacris committantur: intraturi scilicet ipsum balneum molli prius ex oleo frictione vtantur, à balneo autem aut in tinam frigidiusculæ, id est minus calidæ aquæ confertim insiliant, aut eâdem per ministros conspergātur, ac detersi inungātur: Eodem modo gracilibus, imbecillis, delicatis naturis, & reconualescentibus, si quando balneis vti contingat, consu-* Victus. *luisse oportet. Cibarijs verò mediocriter adstringentibus, refrigerantibusque vtantur, veluti acidis granatis, limonibus, lactucis, oxalide, & similibus: nec minus animalium pedes ex aceto vtiles, & lac etiam decoctum, Baccius. Sequitur iam sententia Montagnanæ conſ. 303. de thermis: Sudor in balneis non retinendus, nisi nimium sit superfluus qui prosternat vires: tunc corrigendus victus ratione: lacte, acidis (non simul cum lacte sumptis) vt iure concreto cui admixtus succus malorum punicorum, cibis in quibus amygdala, & qui craßiorem succum reddere poſſunt, vt pedibus animalium benè coctis, affuso deinde aceto & similibus, panico cum lacte iusculis ex milio & lacte, de quo non dubito insigniter compescere sudorem quia sum expertus. Quies à balneo, manere in vmbra, &* Aspersa corpori frigida improbātur *corpus parum exponere aëri, sudorem conuenienter reprimunt. Frigida, astringentia, & sicca medicamenta aspersa corpori non placent, ne poros nimium obstruendo deterrima symptomata excitent. Fallopij autem sententia cap. 12. est: Si sudor non est valde molestus ægro, non esse coercendum, esse bonam euacuationem: Si laßitudines faciat non inungendum corpus, vt à quibusdam fit, nec exhi-* Astringētia damnātur. *bendos cibos astringentes & viscidos, potius desistendum ab vsu balnei, vel vtendum tantum semel in die, & breuiori spacio ac balneo tepidißimo. Rulandus*

de balneis scribit : ad sudorem superfluum vinum myrtinum mirifice confert: quod sic fit: Accipe fol. summitatum & fructus myrti ana partes æquales, contundantur & ponantur in vinum ac bulliant vsque ad consumptionem tertiæ partis: postea vinum coletur atque bibatur: cæterum regimen est frigidum. Item, sudores immodicos compescunt Vvolckestein, Niderborn, Leonstain, Annebergenses, & alluminatæ, ferratæ, gypseæque balneæ ac frigidæ aquæ dulces. Vinum myrtinum.

De calore iecoris & renum ac acrimonia vrinæ ex balnei calore concitato. CAP. XXV.

QVoniam verò incalescentia in balneis natura calidis apprime omnibus verenda est, & quibus maximè vniuersa corporis temperatura, & in primis viscerum, hepatis, ac renum inclinat ad calidum, idcirco sani consilij fuerit tempus anticipasse, tum debitis, quas consulimus, præparationibus, tum electione idonei balnei, tum denique conseruantibus præsidijs, quibus vnumquenque in ipso balnei usu communitum esse oportet. Talia multa ad stomachi tutelam paulò ante adduximus, temperata, aut frigida, ac modicè sicca, ad vnamquamque etiam hepatis, & renum intemperantiæ calidæ suspitionem vtilia. Cui periculo si anticipata remedia non suffecerint, ac dubium sit ne aut in hepate, aut in ventriculo phlegmone concitetur, quamprimum balnea interdicantur. Imò si quæ apparuerint factæ inflammationis indicia, quam celeriter facta è directo lateris mißione sanguinis, Medici curæ se ægri committant. Vitentur per initia scammoniata, & similia quæ per aluum purgant violenta pharmaca: perfusis oleo partibus, in quo absinthium incoctum sit, qui cum aliquid quod cum amaritudine adstringat commiscendum, velut omphacinum oleum, vel melinum. Emplastra item adhiberi poßunt procedente affectu, è farina hordeacea, fœnugræci, ac seminum lini, cum palmulis, malis cotoneis, absinthio, camomilla, & meliloto: nec non Diamelilotum emplastrum, quod ex iisdem fere paratum in officinis habetur. Et in summa compositam habeant facultatem, tum relaxantem subtilium partium, amaramque, tum adstringentem. Montagnana hæc dixerat lib. de balneis, Ardor vrinæ accidit balneantibus vel propter calorem hepatis & renum excitatum à calore actuali, & vt plurimum potentiali balneorum, qui vrinam acriorem reddit, vel arenulas generat, quæ vel irritant & pariunt interdum excoriationem. Verùm facilè est mederi sequentibus. ℞. quatuor sem. frig. communium ana ℥. ß. Papaueris albi ʒ. iij. sem. Intybi, lactucæ, portulacæ & oxalidis ana. ʒ. i. flo. Nympheæ ʒ. ß. penidiorum ℥. i. sacchari albi ℥ i. ß. fiat puluis siue tragea quæ valde efficax. Conferunt & efficaces sunt sequentes pillulæ si sumantur ante cœnam & summo mane. iij. vel v. ℞. succi Glycyrr. ʒ. ij. sem. lactucæ ʒ. vj. sem. papau. albi ʒ. i. ß. croci ℈. ß. fiant pillulæ cum succo foliorum violarum. Cum calor iecoris & renum ex balnei calore concitatur & vrina transiens naturalia extrema vrit, pungitque, omnia acria, salsa, amara, multum-

Refrigerantia cũ præcautionistũ curationis ergô.

Baln. intermissio.

Venæ sectio.

Vehemẽtes purgantia vitanda.

Topica.

Inunctio.

Emplast.

Tragema.

Pillulæ.

Victus ratio

que dulcia vina generosa, & concubitus vitari debet. Cibus autem refrigerans & humidus ex hordei cremore, lacte amygdalino, oleribus spinachia, bleto, lactuca, portulaca, & id genus alijs parandus est. Pisces conferunt saxatiles & cancri. Potui vinum aquosum aut glycyrrhizæ, cui cortex ademptus sit, aut hordei decoctum, aut vuarum passarum, excalfacta aquâ maceratarum dilutum. Interdum prodest vinum, in quo tragacanthæ vel sem papaueris albi paulum inferbuerit. Quinetiam iuuat succus glycyrrhizæ die noctéque in ore retentus, paulatimque deglutitus. Sic etiam electuarium diatragacanthum frigidum deglutiendum rectè exhibetur. Ad idem valet tragema mane & vesperi ante cibum sumptum, quod recipit sem. lactucæ, portulacæ, cucurbitæ, melonum, papaueris albi singul. ℨ i cinamomi ℨ.ij. glycyrrhizæ expurg. ℥. i. Zaccari rosacei in tessellas redacti libram. Extrinsecus autem præcordia dextra ante balneum & post illud debent albo Galeni vnguento cum camphoræ modico obduci. Lumbi autem superiores vnguento hoc quod constat cerati santalini, refrigerantis Galeni vtriusque unciâ: ex oleo rosaceo fiat unguentum. Quod si calor citra acrimoniam vrinæ infestat syr. acetati unciæ duæ cum aquâ intybi, & cichorij in aurora sumentur: vel syru. ex acido citri succo, aut ex limonibus confecti tantundem ex eâdem aqua. Fallopius, Si vrinæ ardor vexet, mouenda aluus exhibendo duos cyathos aquæ salsioris, vel misce cum duobus primis cyathis aquæ sal vel bieram. Si hæc non prosint præcipuum remedium inter alia, aqua florum fabarum vel ex siliquis ipsis recentibus ad vncias sex exhibita per tres vel quatuor horas ante prandium aut cœnam, addito syr. de Glycyr: vel de papauere. Exhibenda hæc aqua siue ardor sit ante potum aquæ, siue post potum: si post triduanum vel quatuor dierũ huius vel aliorum medicamentorũ vsum nõ cesset ardor, omittendus potus aquæ thermarum. Pantaleon lib. de thermis Tigurinis præscribit inungendam pubem cum ol. violaceo & succo portulacæ & considerandum an vlcerata vesica, tunc vtendum consilio Medici, & sane meritò, quia magnus morbus hîc occurrit medendus. In ardore vrinæ, quod ipse sum expertus ob renes affectos, iniectionem albuminis oui optimè agitati vel aquæ in qua macerauit, Psillium, aut gummi Arabicũ aut tragacantha, aut althea maluaué decocta vel eorum semina. Rulandus de balneis ad ardorem præscribit quæ nunc subiungemus, nemini tamen consuluerim propter hyoscyamum, eius vsum sine consilio periti Medici. Verba eius hæc sunt: Vrinæ ardorem tollit sequens potio. ℞. Sem. portulacæ, lactucæ, endiuiæ ana drach. i. papaueris albi unc. ij. Iusquiami drach. ß. sebesten vnc. ij. croci drach. i. Glycyrrh. vnc. v. pinearum unc. x. aquæ fontanæ: misceantur & coquantur ad tertiæ partis consumptionem: deinde colentur & fiat potio: de qua sumat patiens in aurora mane unc i. cum unc. i. Zulapij violacei & videbit quarto die effectum mirabilem. Secretum Alexij Pedem.

Electuar.
Tragema.
Externa.
Inũctiones.
Vnguentũ.
Syrupi.
Aqua salsa.
Aqua florũ fabarum.

De ardore & calore totius corporis, ac etiam febri. Cap. XXVI.

Balneantibus aliquando superuenit quædam inflammatio totius corporis, in qua est ardor viscerum & corporis totius, & tantus vt egressus æger ex balneo videatur sibi esse in fornace: aliquando adest febris, nonnunquam est sine febre. Verùm siue adsit febris siue non, desistat à balneo per quatuor vel quinque dies, & vtatur victu refrigerante ac humectante, bibatque aquam decoctam. Nam eiusmodi feruori solet frequentissimè succedere febris hectica: bibat summo mane syrupum intybi vel violarum cum decocto violarum, vel bibat decoctionem hordei, in qua incoxerit intybus. Applicetur regioni hepatis epithema ex decoctione intybi & cichorij, addito pulu. diatrium santalorum: quã primum cessarit ardor exhibeatur eiusmodi purgans medicamentum: ℞. Cassiæ recenter extractæ, pulpæ tamarindorum ana ℥. vj. misce & dissoluatur cum aqua oxalidis vel intybi: fiat potio. Altera die ab euacuatione rursus descendere ei licet in balneum: verùm balneet tantum semel in die & non bis. Hæc Fallopius. Cap. 4. Febrem in balneis omnis error circa victus rationem excitare potest, potissimæ tamen quatuor sunt caussæ. Vel quod balneum ipsum immodicè calidum, & acre, corpus calida, & sicca intemperie officiat: vel quod materiam ante vsum balnei præparandam, ac vacuandam quis illegitimè retinuit, itaque conculcata putrescit, & febrem ciet: vel quòd ex vehementi actione balnei, multus corporis, aut animi motus superuenit: vel tãdem, quòd frigoris occursu meatus corporis densati prohibent vapores à caliditate balnei excitatos transpirare, unde cohibita transpiratione putrefactio humorum, febris gignitur. Quomodocumque ergo Febres interueniant ad balnea, tum iam balnearum naturalium vsum recusant, vtpote quæ humectatione, ac refrigeratione opus habent, contra quàm balnea possint. De reliquo autem, curatio statim se exhibet, ab effectricis eius caussæ cognitione, 7. Methodi Galeno teste. Hanc verò, si adhuc perseueret, abigere per contraria oportet, nisi febris magnitudo, ac sæua accidentia curandi ordinem interpellant. Quamobrem si balnei caliditas vehemens, acrisque in caussa fuerit, calor eiusmodi extinguendus est, refrigerantibus scilicet remedijs, acrimoniamque obtundentibus, quorum & in alimentorum, & in medicamentorum genere notissima apud Medicos suppellectilis habetur. Aërem nimirum ad frigidum & humidum alterantibus, cibum, potum, unguenta, emplastra, quæ cor & hepar contemperent esse oportet, omnia frigida atque humida. Postremò temperatis balneis utendum, & reliquis eiusmodi omnibus. Si præterea duntaxat materia quæ olim iam euacuari debuerat putruerit, ea in primis æquetur, donec expulsioni parata euacuetur. Præparatio autem ista duplicem habet rationem, vnam quidem respectu viarum, quas, si obstructæ fuerint, præaperire idoneis ad hoc medicamentis, ac cibis necesse est. Alteram verò respectu humorum peccantium, qui si tenues sint, statim purgantibus egent medicamentis. Expectare autem oportet digestionem in

Victus. Syrupi. Iuscula. Externa. Epithema. Catharticũ. Caussæ febris in bal. Baln. naturalia febribus inimica. Curatio per contraria. Febris à balnei calore nimio. victus & remedia refrigeranda. Febris ab humorum putredine. Præparatio viarum & humorum.

Vacuatio. *pinguibus, & glutinosis, quos praeextenuare, & incidere prius expedit, sicut est phlegma, & cholera nigra, atque vbi vacuationi tempestiua fuerint, educere. At si à vehementi aut corporis, aut animi motione à balneo febris redundauerit, Diariae febris curationem ab eiusmodi caussis obortae expostulat. Quòd si denique fuerit frigus poros corporis condensans, aperientia adhibeantur, & quae vapores transpirabiles reddant, saltem post initia: Sudores enim in his prouocasse saluberrimum est, praesertim in balneis aquarum dulcium temperatarum. Et non pauca, non dißimulem, contingunt in balneis, quae curationem non admittunt: Id enim commune est omnibus medicinis, vt, in quibus sanantur plurimi, mori contingat aliquos, fine viuentibus omnibus ineuitabili. Ex Rulando placet sequentia subijcere: Febris si accidat, à balneo abstinendum donec remiserit. Remittit autem, si manè febricitans longè ante paroxysmum ex decocto centaurij minoris bibat ad ℥ vj. calidè ac in lecto bene contectus quotidie sudet. Qui Rulandino hoc remedio volet vti, consulat peritum medicum.*

Febris ab animi affectibus.

Febris à pororum constipatione.

Sudores.

Centaurium minus.

De lasßitudine ac debilitate corporis.

CAP. XXVII.

PRaeter animi autem deliquia, vniuersi interdum corporis debilitas vacuationi immodicae succedit tanta, vt vires ipsae prosternantur. Quapropter iure optimo Galenus vacuationem repetere, quàm exquisite semel vacuare maluit, tolerabilius existimãs quempiam in morbos à plenitudine incidere, quam ab inanitione. II. Est & altera caussa, nempe mineraliũ virulentia in balneis, ac malignitas, quae intemperiem, & quandam naturae fatigationem in corpore excitat. III. Est tertia externus calor, aestusque balnei à profundo ad cutim trahens, & spiritum dissoluens: quo nomine accedunt quoque extrinseca alia, ira, anxietas, angor animi, coitus, labor, & peruersa reliqua viuẽdi ratio. Quae vel ex eo potißimum recensenda veniunt, quòd ipsis euitatis, prompte se quisque ab hac laßitudinis specie vendicabit. Cognita ergo caussa, vbi quis plus solito se grauari senserit, dimisso balneo virium reparationi intendat, & eius caussae, cùm tamen eueniat, quando pro re nata contra ipsum symptoma priùs est insistendum, & quum praesertim ob ipsius vehementiã praeceps virium resolutio timeatur. Siquidem igitur imbecillitas haec propter vacuationem immodicam ad balnea contingat, analeptice artis parte, hoc est, refectoria, & renutritoria vtendum est, quemadmodum infra ex Galeno ad ventriculi debilitatem occurremus. II. Si verò ob corporis intemperiem, ab aquarum malignitate excitatam, ipsa acciderit, cõtrarijs praedictis profligetur. III. At si fiat spiritu ab aestu, labore, coitu, ira resoluto, veluti quoque si contra ipsum symptoma pugnandum est, renutritoria victus ratione, & roborante est opus. Qua in re perquam commoda est delectatio, & alimenti paulatim pro viribus facta accesßio, ad haec somnus & quies, & adhibita medicamenta suaueolentia, tum cardiaca, cum stomachica. Balnea

Vacuatio κατ' ἐπίκρασιν vtilissima.

Curatio.

Subuenitur primae caussae.

quoque

quoque dulcium aquarum temperatarum, inunctiſq; poſtea de more patientibus, circa finem curationis ſunt ſaluberrima, Galeno teſte. Sicuti etiam expedit aut in balneo ipſo, aut cum ſtatim exierint, iuſcula pullorum, & ouorum vitellos ſorbere: præſertim ſi leuis frictio præceſſerit, & muſculorum unctio ex oleo temperato aliquo, quale eſt oleum de ſpica, oleum chamæmelinum, & oleum ex leucoio, quod de cheri in officinis inſcribitur. Oleum quoque vetus authore Galeno, & præterea oleum maſtichinum cum roſaceo, & vino antiquo dilutum, laſsitudinem, debilitatemq; tam neruorum, quàm reliquorum artuum emendat, quod & valetudinarijs non erit inutile. Rulandus. Defatigatis & laßis conferunt Leucenſes, Ponterborn, balneæ reliquæ calidæ. Item. Laßitudinem & imbecillitatem membrorum tollunt Syluestres, Badenſes, Herciniæ, Marggraffbad, Cellenſes, Piperinæ, Laubacenſes, Vvaldweil, Vvendingenſes, Schweining Zuckenthal ac cæteræ balneæ ac thermæ. Dulces item aquæ calidæ. Non diſplicebit, modo corpus non nimium incaluerit, ſi ad laßitudinem tollendam tum eam quæ præcedit balneum, tum eam quæ ſequitur, ex aqua balnei admirabilis iuxta ſententiam Rulandi hæc decoquantur, Origani, Pulegij, chamæm. ana. m. ij. ſaluiæ, Baccarum lauri ana m. ij. Non laudarim tamen diuturniorem moram in ſolio delaſſatis: Præſtat non diu morari ac repoſitis plantis prædictis in ſacculum, eo totum corpus poſt paruam in lauacro moram blandè fricare & abſtergere. Rulandus nō vult nimis fatigatos ab itinere illico balneū ingredi, ſed corporis quietem expectare per vnum & alterum diem: mihi tamen videntur delaſſati à laboribus vel multo motu ſine periculo lauare poſſe in aqua fontis admirabilis, modo lauacrum non ſit calidius, & in eo non morentur vltra quartam partem horæ aut horam ſemis, deinde lectum ingrediantur. Non extra propoſitum acturus mihi videor ſi ex Baccij lib. 3. cap. 1. ſubiungam quæ ſequuntur: Refrictiones non ſolum capitis, ſed etiam totius corporis, vt cum per niuem diu contigit iter peragere refouent calida ac temperata, tum priuata, tum naturalia quædam, vt Aquiſgrani thermæ ac ſimiles, Inſolatus, diſcuſſoria artificialia, in herbis medicatis decubitus, & ad omnes laßitudines eadem & quæ in vrbanis inſtituentur. E diuerſo exuſtos ſub ſole recreant, lauatio in frigida & hydrelæum tepens, & ex nitro naturales.

Inunctio.

Decoctum ἀκοπον.

Ad refrict.



Z

HISTORIAE

FONTIS ADMIRABILIS BOLLENSIS LIBER TERTIVS, DE MORBORVM, PER AQVAS MEDICATAS CVM alias, tum Bollenses, curatione,

Facta cum alijs Balneis collatione, quæ similia lambunt mineralia, nec non vera historiarum superioris Libri fide.

Aquas medicatas, sicuti etiam fontem Admirabilem & balneum nouum Bollense, ad sanitatem conseruandam conferre.

CAPVT. I.



Vot modis multiplicem suam vim aquæ medicatæ, tum aliæ tum Bollenses nostræ, haud auarè exserant, in superioribus nobis abunde dictum est: nunc animus est hæc omnia ad morborum medicationes accommodare: ad hunc enim scopum illa omnia ferebantur. Neque tamen existimandum, in omnibus affectibus, omnes vtendi rationes necessariò adhibendas. Sunt enim quos vna, sunt quos plures percurent. Interdum sola potatio suffecerit, interdum balneum solum, aliàs non tantum vtraque hæc sed & irrigatio & fotus, fortè etiam & clyster & illutamentum, in subsidium vocanda. Cuius rei cum multiplex sit discrimen, nos in singulis affectibus, quid facto opus sit explicabimus. Quãdoquidem autem præstabilius, sanitatem præsentem conseruare, quàm absentem reuocare (quanquam hoc fortè honorificentius maiorisque operæ) primum in genere demonstrabimus aquas medicatas sanitati tuendæ esse aptas & quomodo ijs vtendum: deinde particulatim ad aquam medicatam Bollensem applicabimus. Dortom. de thermis Beliluc. cap. 2. lib. 2. Romanis thermarum vsus in sola corporis externa calefactione & humectatione consistebat: nondum Romanis cognita calentis laticis intus sumpti vi morbis medente simul & Therapia, sed sola Hygeine seu prosperam valetudinem seruante. Qui exactè sani sunt, victuq; adeo frugali vtuntur, vt humorum excrementorumque contra naturam à corpore absit congeries, conseruare modò debent corpus forinsecus ὑγρὸν & perspiratu facile custodiẽdo, cutem subtus & super calefaciendo, attenuando, relaxando, digerendo, id quàm commodißimè thermarũ Belilu. vsu fiet, modo vere & autumno semel in septi

Roma. ther. valetudinẽ cõseruabãt.

Corpus excrementis vacuũ sanũ cõseruatur si cõmodè perspiret.

mana his mergãtur corpora, horulæ vnius spacio circa sextam matutinam. Quibus non licet thermas adire, tralatitia aqua earũ (supparibus tamen viribus) denuo calefacta balnei materia esto. Ex hoc egreßi lecto componantur, cooperiãtur stragulis, sudent, sed de facili, non continua multitudine, conopei munimine, halituum afflatu. Post horæ spacium abstergantur. Quibus insuper fortunæ & otij plus suppetit oleo veteri ad apotherapiam inungantur. Elapso hinc duarum horarum spacio amiciantur vestibus recentibus & mundis. Caueant toto die ab aëris iniuria. Victus sit medius ex sorbilibus iuribus carniũ, hordei cremore, amygdalato, panata, ouis, auibus mõtanis, piscibus saxatilibus, butyro, lacte ouillo, pane siligineo, vino non medicato æquali mixto, passulis, amygdalis, nucleis pineis, dactylis. Cedendum tamen aliquid consuetudini, ætati, sexui, vitæ generi &c. Cæterum qui conseruari ob partium continentium integritatem, mutari ob contentorum lapsam qualitatem & quantitatem desiderant: hi si flaua aut atra bile redundẽt, circa æquinoctium purgari postulant decocto cõueniente, vel hoc epythymi à Mesueo descripti. Accipe Myrobalanorum flauarum cebularum, & Indarum ana ℥. i. tamarindorum ℥. ij. ß. fumariæ m. i. ß. absinthij m. ß. prunorum num. xx. passul. mundatarũ ℥. i. Coque in lib. iij. aquæ aut aquæ casei ad tertiam: colaturæ adde ℥. ij. & ʒ. ij. caßiæ. Adseruetur in tres doses sine caßia, quæ singulis matutinis ad ʒ. vj. addatur ne densescat decocti forma. Tertio die si venter quale quantumq́; debet, vix excernere conijciatur, addi decocto possunt Electuarij ros. Mesuei vel conf. hamech. ʒ ij. Quin volet ex Medici prudẽtis cõsilio purgetur alio cathartico prædictis humoribus congruo. Si verò flatus, serum, pituita, melancholicus succus in vitio sint, aquâ thermarum purgantis medicamenti loco vtẽdum hoc modo. Accipat vitreo vase aquæ lib. i. vel lib. i. ß. hauriat modico aut nullo interuallo ieiunus: inambulet cito gressu duo millia plus minùs passuum. Viuat frugi & iucundè toto die. Postridie resumat aquæ lib. ij. vitæ & victus ratione pari cum pridiano die obseruata. Tertio mane aquatum redeundum, liberalißimè sorbendum ad lib. ij. ß. iij. iiij. vel plures, idque κατὰ τὴν μαγεῖαν & artificiosam coniecturam ex qualitate & quantitate superfluorum præcedentibus diebus egestorum desumptam. Si nausea aut vomitus apprehendat, non impediatur nisi violentior corpus concutiat & facilè non toleretur. Contra si nec per vomitum, nec per deiectionem fiat humorum excernendorum & in vitio existentium depletio, clysteribus vtẽdum ex aqua thermarum singulis diebus binis vel ternis, vt assumpta aquâ per loca naturæ conuenientia noxius educatur humor. Triduo purgationi dicato elapso (siue artificiali decocto, siue sponte natis aquis, perfecta sit purgatio) altero triduo continuo balneandum præscripto in perfectè sanis modò. Victu per integrum mensem post paulò temperatiore quàm pro consuetudine vtendum. Iacob Theod. Aquæ acidæ in Langenschwalbach homines sanos conseruãt, indicio quòd eo loci bibentes sani ad senectutem permanẽt. Non video cur nos pari pacto non poßimus vti aquâ fontis medicati Bollensis eo modo quo præscribit Dortomanus vsum thermarũ Belilucanarum. Fons enim

Inunctio cum oleo.

Victus ratio

Cõseruatio & mutatio valetudin.

Decoctum Epythymi purgans Mesuei.

Purgatio per potum aquæ medicatæ.

Si vomitus.

Clysteres.

Quomodo balneandũ.

Accommodatio aquæ medicatæ Boll. in vsu cõseruãdæ sanitatis.

Bollensis, propter bitumen & succinum nigrum vim habet discutiendi humores superfluos, acopos est, à pyrite etiam & sale vim abstergendi acquirit. Salubrem aquam in potu demonstrat creber vsus eorum qui habitant in Bol: salubritatem etiam demonstrare videntur animalia quæ tantopere appetunt. Si quis vtatur eo modo quo Dortomanus præscribit, non dubito euacuaturam quosdam: cum videamus ex historijs à nobis annotatis multos purgari, licet placeat catharticum præscriptum, consulo tamen ut nullus sine consilio medici periti, quorum non est penuria in Ducatu Vvirtembergico, se purget, nec vtatur hoc fonte neque in potu neque ad balneum. Quòd si moram non ferat diuturnam præceps malum aliæuè circumstantiæ, axungiam Lunæ alteram apud Ioh. Lutzium seplasiarium petat licet, de qua trochiscum vnũ vel semissem prout facilè vel difficulter solui se senserit, sumat, dissolutũ ex multa aqua fõtis Admirabilis calida. Illud interim monebo præterea, me non improbare, si qui voluerint bibere, lento proficiscicantur Potus aq. in Rappenza. *gradu ad fontem Rappenzagel qui fortè erit medicamentosior, si circumscriptus muniatur à proximo riuulo, id quod nisi iam factum sit, facilè fiet: Deambulatio* Aq. quomodo calefacienda. *etiam tempore sereno faciet vt faciliùs assumatur aqua: quæ si alicui frigidior videatur, siue illa siue Bollensis, poterit adhuc paullum in diplomate calefieri. Est enim iam subtepida in vtroque loco.*

Ad obesitatem minuendam & impediendam.

CAP. II.

O*Besitas & prædiues corpulentia à pituitosiore, vt putant, sanguine, qui totum humectat, imò refrigerat corpus, vt plùs iusto appetatur & assumatur alimenti. Hoc tum crudius venas subit angustiores præ copiâ pinguedinis, in quam facessit spirituosa multa substantia, ea propter venæ minùs caloris, minùs spiritus participes, longiore morâ aut defectuosè coquunt, coctione puta pituitoso succo verè idonea. Hinc satiùs putamus asserendum pingues &* Belulicanæ aquæ. *obesos pituitescere, quàm pituitosos naturâ pinguescere. Obesis igitur & corpulentis Belilucanarum aquarum vsus vtilissimus, si potent, lauent, reluant, cœno obducantur, aquâ stillatitia & reliquijs pro sale in cibo & potu luxurient, Dor*- Acida Langẽschvvalb. *tom. Iac. Theod. dicit aquam acidam in* Langenschwalbach *obesitatem consumere. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponensi. Nihil præstantius est* Aq. Aponitanæ. *stufis istius aquæ ad macros reddendos illos qui sunt habitu corporis nimis pingui, quia ob sudorem qui promouetur, exciccatur valde corpus: ideo solemus relegare ad stufas Aponitanas illos qui timent nimiam obesitatem: fugienda medicamenta per os, quia sæpe obsunt ventriculo: Vtantur victu tenuiori quàm* Aq. S. Iobi. *vterentur si balnearent: non vtantur illa aquâ in potu. Ioh. Göb. dicit aquas alu*- Aq. balnei Corneliani. *minosas S. Iobi vtiliores esse pinguibus quàm macilentis. Baccius lib. 4. cap. 10. Aqua balnei Corneliani Aquisgrani, eos qui nimia corporis mole grauantur rectè adhibita extenuat. Item lib. 3. cap. 1. Extenuant naturâ sui omnes aquæ im*-

pensè calidæ, sulphurosæ ac bituminosæ & ex atramento, quas in nimium pingues emaciandos vsurpare licebit & in Atrophuntas refocillandos. Perhibent obesos fieri homines aquâ Antioli in Campania tractu temporis ob mediocrem siccitatem. Rulandus: Craßitiem corporis adimunt aquæ Carolinæ. Pantaleon annotat cap. 18. Tigurinas aquas vtiles esse pinguibus & cap. 19. pinguibus vtilius balneum manè ieiuno ventriculo, macilentis autem à prandio. Non dubito aruinam posse vsu aquarũ admirabilis fontis minui, si parum comedant & dormiant, diu lauent, multum se exerceant & sudent, aquam eius fontis bibant. Aquæ Anticoli.

Ad Atrophiam & debilitatem à morbis.

CAP. III.

ATrophia quandoque sequitur præclusionem venarum maiorum à craßioribus vitiosioribusq; humoribus: ob id mirum non videatur, si derepente obesi corpulentiq; in atrophiam quandoque incidãt, quâ liberari vix vnquam solent. Atrophiæ autem conferunt aquæ Belilucanæ, Dort. Fallop. de thermis cap. 18. Franciscus Frisimelica & Aloysius Belocatus excellentißimi medici primi cœperunt vti aquâ Virginis, & ego postea sæpius vsus sum, reperique easdem quas ipsi dixerunt vires habere. Aqua purißima est, salsedinẽ vix perceptibilem habẽs, tepida, & quia temperata, potest feruores viscerũ remittere & emaciata corpora pinguia reddere. Andernacus. Aquæ Apuliæ Locris ventriculi concoctionem iuuant, consumptos reficiunt, renes confirmant. Iac. Theodoro aquæ acidæ Schwalbach *extenatos inpinguant. Ioh. Gôbelio aluminosæ S. Iobi faciunt ad extenuationem quam vocant* Schwindsucht *&* Darr: *si potæ retineantur, per venas distribuantur, & per vrinas reddantur. Baccius, Aqua sancta iuxta Sancti Philippi balneum, primùm quidem in delicijs, vel his qui scabiem exsiccare leniter intendunt: deinde pro singulari, qua celebratur proprietate ad impinguandum emaciata corpora. Nec minùs extenuata Atrophunton quos Græci appellant, membra reficit. Quæ præstat homine priùs diligenter præparato ac purgato omnibus superfluis corpore, simul atque victus ratione seruata. Nam ob mediocrem calorem digerit ac nutrimentum ipsum corporis vsquequaque à centro ad circumferentiam contrahit. Item lib 3. cap 1. Impinguare permittunt Tigurinæ ebibitæ in Heluetijs aquæ & item Villæ Lucæ, Tritolæ, & Iuucariæ & Fontanalis dicta in Puteolano. Rulandus, Debilitatos à morbo vel alio malo roborant aquæ Piperinæ Leucenses Badenweilenses. Item impinguat balneum aquæ dulcis calidè moderatum. Item Marasmo conueniunt Cellenses. Bollenses nostræ cùm purgent potu, vitiosósque humores per secessum educant, atrophiæ succurrere absurdum minimè videbitur, ex accidẽte puta, cùm humores tum pituitosos tum biliosos probæ concoctioni & nutritioni incommodantes leniter detergant: Quod si etiam atrophia, aut vt rectiùs loquar, macies caloris nimij soboles fuerit, præsentius sanè ab his, quàm à Belilucanis similibusque calidis, auxilium erit expectandum meritò: quæ si ignauius pur-* Debilitatis à morbo.

gent, defectum eum trochiscus semis axungiæ Lunæ suppleuerit. Nec oberit moderata lauatione alimentum, celebrata prima concoctione, in habitum corporis molliter trahere, ac præstare quæ aqua sancta, de qua ante.

Ad sudores nimios. CAP. IIII.

AQuas aluminosas S. Iobi sudores nimios reprimere docet Ioh Göbel. Idem posse præstare nostras non dubito, si quis in tepidis vel frigidis lauet, & potissimum si aliquid argillæ cœruleæ, aut etiam marmoris metallici Spat *dicti, siue fluorum alborum addatur. Quibus præsidijs tum demum locus erit vbi vel sanguinis tenuitas penetrabilis vix suis locis continetur, vel pororum laxitas rariorq; corporis habitus sudoris nimij causa extiterit: Nemini tamen suaserim vt id faciat inconsulto perito medico, propter summa pericula quæ inde euenire possunt. Si sudores ob sanguinem tenuiorem & feruidiorem diffluāt, inter alia velim, moderatè inter pastus bibi acidas Yebenhausianas. Plura qui volet, libri superioris caput de Sudore balneorum symptomate, inueniet.*

Ad febres & intemperies partium calidas quæ aquæ quoque vsu idoneæ.

CAP. V.

Febris à pituita & humore melācholico.

AD cor referenda intemperies febrilis intermittens à pituita, melancholico succo, vel ambobus humoribus, vt febris quotidiana, quartana, quintana, sextana, septimana, nonaria: nocturna, erratica à pituita, cōtinua & epiala, à pituita vitrea & acida. Hemitritæus à pituita copiosa continuam febrem, & bile parciore tertianam intermittentem committente. Quotidiana continua à pituita. Quartana continua à melancholico succo.

Ratio bibēdæ aquæ ad febres intermittentes.

Hæ intermittentes curari debent aquæ Bellilucanæ potu à lib. ß. ad lib. ij mane. Diebus intermissionis liberaliùs, accessionis parciùs per septimanam integram, aut ea amplius. In quotidiana, nocturna, erratica particulatim ventriculum & aluum fouere aquâ: item

Lutamentū.

cœno linire expedit. In quartana, quintana, sextana, septimana, nonana (quæ infrequentes sunt omnes præter quartanam) lienem.

Continuarū febriū curatio in thermis. Fotus. Lutamentū.

Continuæ febres remissionis, non intermissionis participes fotum hypochondriorum ex aqua, litumque ex limo cum succo Enulæ campanæ, morsus diaboli, scabiosæ, cardui benedicti postulant, Dortem.

Cellenf aq.

Vvalterus Riuius in speculo, aquas Cellenses (Zellerbad) *quarum mistura est ex sulphure, alumine, & cupro, ad chronicas febres à pituitosis humoribus & bile commendat.*

Aq. Langenschvvalbacenses.

Iac. Theodorus fontes acidos in Langenschwalbach *ad omnes febres ab humore melancholico & bilioso, ad ephemeras qualescunque, Andernacus.*

Aq. Cellenf.

Aquæ Cellenses in prima origine tepidiusculæ, igne autem in lebetibus magis calefiunt, alumine, ære & modico sulphure imbutæ, mirificè auxiliantur morbo regio, febribus diuturnis, quæ ex pituitosis,

biliosisque simul humoribus contractæ sunt, nec non quartanis, maloque habitui & aquæ intercuti subueniunt. Item, Aquæ Habenses arte calefactæ mixturâ ex alumine, ære & sulphure temperamentoque Cellensibus propemodum respondentes: quidam etiam salis aliquid inesse eis putant: potæ viscerum obstructiones aperiunt, febres diuturnas ex spurijs & mixtis humoribus discutiunt. Item, Aquarum Badenwillensium quarum scaturigo tepida, potio viscerum obstructiones aperit, febres antiquas discutit, mulieribus menses reducit. Item, Aquæ medicatæ in Löffingen constantes sale nitro & modico alumine, arte calefactæ aluum ducunt & ventriculum corroborant, febres inueteratas sanant. Item, Aquæ medicatæ in Comitatu Leonstein, alumine, sale, sulphure & ære infectæ arte calefactæ iecoris lienis renumque obstructiones aperiunt, inueteratis febribus auxiliantur. Item, Aquæ Bertringenses tepidiusculæ ferro, alumine & sulphure modico infectæ, potæ lieni & stomacho imbecilli admodum auxiliantur, febribus inueteratis conducunt. Item, Aquæ medicatæ in Brintzbach *potæ, quartanæ & lienis obstructioni prosunt. Item, Aquæ Clotterbadenses ære & modico sulphure imbutæ iocinorosis, bile suffusis, obstructionibus lienis, frigido & humido ventriculo, appetentiæ caninæ & febribus inueteratis auxiliantur. Ioh. Göb. Aquæ aluminosæ S. Iobi vtiles sunt in chronicis pituitosis febribus. Christ. Encelius de re metallica lib. 3. cap. 14. Nicander in theriaca bitumen prædicat valere ad venenata abigenda. Bitumen certè quartanam expellit sua vehementiâ & spiritus acrimoniâ. Non mirum ergo si venena abigat. Baccius lib. 3. cap. 1. Ad talem intemperiem (calidam) viscerum laudantur balneæ ex alumine Porretanæ, quæ non minùs balneo auxiliares sunt, quàm potu: sicuti & Albulæ in Latio. Item lib. 4. cap. 10. Balneum de Macereto mineræ sulphuratæ minoris tamen acuitatis quàm aquæ Sanctæ ad S. Philippum. Quare aqua longè clarior, minusque calens, & cum sapore styptico ac fumoso, vnde aliquam ferri in ea, ac aluminis mistionem agnouimus. Valet idcirco ad eadem quæ Petrioli balneum, agit tamen clementius, vt Sauonarola inquit: vnde tutiùs indicarunt quidam meo tempore Senenses egregij medici, hanc in certis casibus assumere, exuctis ferè tenui scabie, ac febrientibus. Item lib. 5. cap. 6. Multo autem vsui hodie est Neapolitanis Balneolum sanè ob præclaras virtutes, quibus viscera roborat & caput, & sensoria omnia. Et, quod maius est, omnem chronicarum febrium materiam paucorum dierum potionibus dispergit. Item, Aquæ à Grotta nitrosæ Sauanarolæ, Mengob. Fauentino nitrosæ cum ferri admistione atque aluminis, alijs æreæ: membra nutritionis præcipuè iuuant in potibus, deiectam appetentiã instaurant, adeoque ventriculi villos corroborant, vt Hecticâ etiam laborare incipientem earum vsu persanari posse existiment, author Sauanarola. Rulãdus, Febres adimunt & pellunt acidulæ in Vvebr, Kißing, Dieffenbach, Kesselbron. Febribus chronicis & antiquis opitulantur aquæ Piperinæ, Glottenses, Fideris, Plũbariæ, Badenweiler, Löffingenses, Bertringenses, Acidulæ in Deinach, Mẽdisch & Põterborn. Febribus diuturnis, pituitosis, biliosis, nec nõ quartanis opem*

Aq. Haben. | Aq. Baden. | Aq. Lôffing. | Aq. Leonst. | Aq. Bertrin. | Aq. Brintzb. | Aq. Clotter. | Aq. S. Iobi. | Bituminis vires. | Aq. Porret. | Balneũ de Macereto. | Bal. Neapol. | Aq. Grottẽs. | Hectica. | Febres.

afferunt Cellenses & acidulæ. Febres diuturnas nothas & mixtas remouento aquæ in Leonstain, Hubenses. Febrem tertianam veram & spuriam tollit Göpping: acida, Auwenses, Heylborn, Vberking, acidulæ, &c. Febres quartanas pellit Gebersweiler, Brindbach, Piperinæ aquæ, Cellenses, Heylborn. Febres phlegmaticas submouent Cellenses Annæbergenses. Febres ephemeræ & hecticæ sedantur balneo aquæ dulcis calidæ moderato. Item aquis Etingensibus non longè à Basilea infectæ multo ære & pauxillo bitumine. Nostrarum verò cùm consimilis sit cum prædictis mistura, utiles futuras & potu & lauacro ad febres diuturniores pellendas non dubito, si earum usus indiuiduis dextri Medici operâ accomodetur qui, quæ loci est felicitas, delectum in præscribendo potu habebit, & vel Bollenses præscribet, vel ex vicinis acidulis aliquas: vel exempli gratiâ, diu diuexatis chronicis febribus & defatigatis usu variorum & multorum medicamentorum poterunt præparari corpora & præhumectari ex Hippocratis præcepto ante purgationem exactam aquâ medicata Admirabilis fontis, cuius aliquot pocula calefacta, ut dictum, per aliquot dies bibat licet, & si consultum videtur Medico consulenti vel aßistenti, eò usque ascendat, donec moueatur aluus: vel certè per aliquot dies: Deinde verò pro purgatione ex aqua dissolutum trochiscum semis aut unum Axungiæ Lunæ. 2. aut aliud conueniens catharticum assumat. Perpurgato euacuatione corpore non inutilem existimo usum lauacri cum moderamine adhibiti, interq; cibos potum acidularum per se, vel cum vino pro ratione personæ & morbi. Ad rectum sanè quarumcunque thermalium aquarum usum in intemperie calida magni interest quæ de hac re scribit Baccius lib. 3. cap. 1, expendisse: Nulla calida balnea febribus conueniunt per se. Si quid ex ijs iuuamenti sperandum sit, id fortasse erit quod natura per balnea præsertim potulenta, excitaretur ad aliquem motum, alioqui ex se pigra & consopita: Vel forsan, quæ frigidæ plerumque febres esse solent longæ & inordinatæ, deciderentur, ac ad certum circuitum reducerentur. Et balnea naturalia in vniuersum quæ euidenter sunt calida non conueniunt calidis affectionibus, non febribus non inflammationibus, non tumoribus id genus, aut affectibus omnino calidis. Vbicunq; tamen intemperãtia adhuc non morbus sit, sed inæqualitatis potius obtineat dispositionem, illi commodè per quædam balnea temperata obuiam iri poterit. Et thermales aquas omnes propter mineræ misturam ad siccum & calidum inclinare: refrigerare tamen per accidens, diffusso scilicet per calorem balnei calore noxio: aliquas per se, ob maiorem aquæ quantitatem in pauca mistura mineræ, etiam calidæ: aliquas ne calefacere quidem posse quarum misturas (si non in summo) ad humanæ naturæ temperamentum, frigidas esse experimur: multas salsas, nitrosas, aluminosas, multas etiam ferreas & aliquas plumbeas: quæ omnes ebibitæ manifestè refrigerant. Cæterùm ubi febris tanquam accidens est, & non primaria, minoris periculi balnei usum putandum est, ut qui multa febricitant scabie, vel ulceribus, quos demandare ad balnea non pertimescimus: Imò dy-

Quartana. Hecticæ. Superiorũ accõmodatio ad Bollenses.

sentericos quos febris consequitur acuta, ad extremum nullo ferè alio persanari remedio nouimus, nisi exhibitis (vt postea dicemus) in potu medicatis aliquibus aquis. Quæ Fallopius lib de thermis, cap. 11 antea annotauerat: Obseruandum docens, vt æger dum bibit aquas (intellige calidiores) non laboret febri, quia tunc non sunt exhibendæ, nisi adesset necessitas & febris consequeretur ad vlcus vel alium affectum: vnde ego exhibui in dysenteria quibusdam laborantibus febre, qua remota cessabat febris. Item cap. 17. de balneo Aponensi. Fugiant Aponensem aquam, qui habent intemperiem hepatis calidam & siccam, qui calidissimi & siccissimi & qui laborant febre, nam inciderent in marasmum hecticamue. Hæc ille. In principio hectices non minoris facio acidulas admirabili fonti vicinas, quàm Grottenses, potu administratas. Balneum etiam nostrarum Bollensium æquè vtile futurum existimo atque Etingensium, modò ex consilio Medici prudentis administrentur cum insigni moderatione in tempore & calore balnei.

Potus aq. Dysenteria. Aq. Aponẽs. quibus febricitãtibus fugienda.

Ad pestem. CAP. VI.

SI pestis sit ratione corrupti aëris, potus aquarũ thermalium non est tutus: si verò per cõtagiũ, nulla adest suspicio, quo minùs aquas bibere possimus, Fall. cap. 11. Baccius l. 2. c. 6. Pestilentiæ tempore quantumuis causa balneas exigat, haud tuto sese illis quis commiserit, propter aëris contagia potius quã ipsam luem languentium. Ac multo minus eas consuluerim, si aëris insalubritatem non tantum cœlestium inclementia gignat, quantum concepta in terrestribus vitia, quæ apprime aquas ipsas possunt inficere. Auspicantur autem futuram pestilentiam quidam Medici, quando terrestrium impendet vitio, si serpentes crebrò è latibulis apricari inueniantur, lumbricos è glebis subrepere, auiculasq́ campestres ad montana ac edita loca conuolare. Verendi autem terræ motus illius anni, illiusque regionis: quippe qui flatuum subterraneorum indicant multitudinem, ac sæpe ex horribili commotione imas speluncas, & vnde aquarum transcursus est, replent suffocantque aut mirificè eas contaminant. Equidem acidulas Ducatus Vvirtembergici ac etiam Griesbachianas & admirabilis fontis & proximi Rappelzagel, dum succos & metallica (à quibus vires trahunt) perpendo putredini aduersa expertiaque acrimoniæ à qua sanguinis adustio corruptiouè sit metuenda, atque ex penitissimis terræ visceribus, quò minùs facilè peruenit aër infectus, ipsas emanare, improbare, potissimum si bibantur ex ipsis scaturiginibus, non possum: Sicuti nec euacuationes quæ per eas instituuntur, quandoquidem sine insigni humorum agitatione moliuntur: quales ad præcautionem non parum habent momenti. Placet etiam iisdem de causis peste affectos bibere. Illud propono considerandum, an ad præcautionem pestis non liceat in aquis medicatis ad absterſionem cutis & apertionem pororum quo euentiletur sanguis, & non ita facilè putrescat, modicè lauare? Non tamen suaserim lotionẽ diuturniorem aut in calidiori loco, aut cum infectis peste. Merito quoque & hoc

Pestis aëris vitio natæ tẽpore, noxius aquarũ thermaliũ potus.

Intuta, si pestis ex terrestriũ vitio.

Signa pestis terrestriũ vitio orituræ.

Aquæ Ducatus Vvirtẽberg. acrimoniæ & caloris insignis expertes pestilẽti tẽpore tum sanis tũ infectis cõcedi possunt.

Tertiana balneo & sudore curata.

quæri posset: An infecto peste non poßit vtile balneum propter dictas causas & ad euacuandum sudorē qui summe commendatur, haberi? Cum mihi esset tertianarius, qui multis medijs vsus à tertiana liberari non posset, quia ad sudores esset ineptus inuitis aßistentibus balneum aquæ dulcis & vaporarium præscripsi, euius vsu conualuit. Nec dissentanea Iac. Theodori sententia cui fontes acidi in Langenschwalbach *in omnibus venenatis morbis & tempore pestilenti venenato calido, probantur.*

Ad affectus pilorum. CAP. VII.

CAput à Platone non solum principale in homine, sed etiam totum nuncupatur. Ob id affectuum, quibus thermæ Belilucanæ medentur, seriem scribere aggrediens, ab hoc primo & summo ventre incipiendum duxi. Nimietas à nimio spirituoso seu halituoso naturali, non vaporoso: Nam vaporosi naturalis & humidioris copia somnum, non naturalis catarrhum gignit. Si quis nimietate capillorum laboret, nec amputatione eorum vindicetur, a symptomate hunc affectum sequente, puta dolore capitis (quod fœminis quàm viris frequentiùs accidit: exemplo nobis inter cæteras fœmina nobilißima Heluia, per me sanitati restituta) solo potu aquarum Belilucanarum est curandus. Quatuor vel sex diebus continuis mane hauriat aquæ libram vnam primo die, postridiè duplum, cæteris diebus quantum volet & lubeat idque semel aut bis in die ventriculo cibis vacuo. Caueat à vapore aquarum carebariam inducēte quia leuis summaq; petens, cohibetur operculo duro transitu, vacātes sedes petit, trahitur similī substantia spirituosa. Si ablui aquâ desideret, id fiat vnico die per quadrantem horæ, nec sudet post in lecto, sed statim abstergatur. Nimietati capillorū defectus opponitur, ad quē defluuium. Caluities, alopecia, ophiasis siue area referūtur, qui omnes ex humore seroso, meatuumq; amplitudine laxitateq; sæpiuscule fieri solent: potu largo aquarū mitigantur, sed quatuor elapsis diebus, impluuijs & embrochis earundem vtendū triduo, tumq; post impluuium cœno thermarum & strigmento caput illinendum, cui admixtū sit oleum myrtinum, in quo Abrotoni plurimum coctum sit. Canities præcox ex pituitæ putrentis diaphano simili ratione depellitur modò cœno oleū omphacinum iungatur. Atrophia & ariditas, ex defectu halituosæ materiæ, nil præter vaporē antelucanū thermarū harū post vsum balnei aquæ dulcis postulat. Pilorū quassatio seu exasperatio, dichophya seu reduplicatio, trichiasis, crispatio, rhopalosis, seu baculi in morē figuratio, qui affectus non tam materiæ quàm meatuū conditioni accepti ferendi, per impluuiū thermarum, item crassamentum per se aut conuenienti oleo mixtum, illitū, rasis prius aut euulsis capillis, emendantur, Dort. Bacc. de thermis l.3.c.1. Pilos abolēt radicitus aquarum fortiū lauacra, qualis ex auripigmēto fons Susis in Persia, vel qualis ex atramento in Volaterrano, vel, si aliæ non habentur, valde salsæ, nec minus acres nitratæ, si syncerę sint, vel ex calce parata aqua, & quæ dicuntur

Nimietas capillorum curata amputatione: sed cephalagia, nimietatē sequēs, thermarum vsu.

Belilu. lauacrū, embrocha, lutū ad defluuium capillorum qualecūq;.

Ad Caluitiē.

Ad pilorum atrophiam & ariditatē.

Baln. naturalia psilotri vim habentia.

Psylotra. Eadem acria ad lendes necandas, & item ad pediculos, pudendorumq; blattas exterminandas. Alopeciam contra, hoc est quando capilli, & pili vndecunque defluunt, cohibent ex stypticis ac adstringentibus lauacra, vt ex ferro Caldarianæ sub Verona, Plagæ Roman. nūcupata in Aenaria, aqua maris, & aluminatæ. Rulandus, Alopeciam sanant Lutherbad, Neubrun, Castein, Etingenses & balneum calidum dulcis aquæ, Vvaldsborn seu aquæ syluaticæ. Andernacus, Fons Vvaldsborn infectus lapidibus bituminosis, super quē oleum albū non grauiter olens, capillos retinet, valet cōtra albuginem oculorum. Fontem mirabilē in Bol conferre posse defluuio pilorū siue areis, aut alopeciæ, & ophiasi, & caluitiei, ex succo putrido, meatuum amplitudine, laxitateq; sæpiuscule fieri solitis, mineralium ratione quæ habet admista ex Diosc. demonstrari posset. Dicit enim, bitumen discutere & glutinare: discußio autem conuenit ad resoluendos serosos putridos humores & resiccandos. Ait item Galenus bitumen reserare: glutinatio ad meatuum amplitudinem laxitatemq; facit. Quamobrem non absurdè fecerit, qui aqua mirabili ex præscripto Dortomanni vsus fuerit: pro cœno autem siue luto assumerem puluerem lapidis scißilis cum tantillo bituminis, addito pauco sale.

Vvaldsbornenses ad capillorum defluuium.

Accōmodatio fontis mirabilis ad prædictos capillorum affectus.

Ad furfures, pediculos, & lendes.
CAP. VIII.

EPidermidis affectus sunt à craßiori materia geniti cum area tam vulpina quàm serpentina. Pediculi ex craßis: lendes ex craßioribus quàm pediculi vaporibus densatis, modum ob id acquirere nequeuntibus his, illis contrà: aquarum Belilucanarum vsu debellantur. Craßior namque contumaciorq; humor in lendibus longiore spacio, in furfuribus breuiore, in pediculis medio exsiccandus, detergendus, vacuandus. Vtantur itaq; aquæ huius potu largo per integram septimanā manè & vesperi. Post abluatur caput latice hoc per quatriduū frequenter die, in quo staphisagria coxerit, illinatur, vel solum id exsiccatū capiti inspergatur, Dort. Huc faciunt ex Baccio sequentia: Furfuraginem, omnemque cutis ariditatē abolent abstergentes, vt nitratæ, salsæq; ac ex his solia, ac vi mollitoria bituminosæ, & lactis balneū pro fastosis mulieribus. Rulandus, Contra capitis furfures, lendes, pediculos prosunt aquæ Vvolckensteininæ tepidæ, imbutæ permulto alumine, pauxillo pyrite atq; bitumine. Itē, Furfures capitis deponunt nitrosæ, Vveringenses. Itē, Porriginem sanat Lautterbad *balneū sulphureū. Hæc ille. Mirabilem aquā ad furfures impediendos vtilem esse credibile est. Pyrites enim, teste Diosc. abstergit, adeoque vt ait Iac. Theod. aqua quæ habet pyriten consumit omnes superfluitates capitis. Pediculis etiam & lendibus resistere facile est credere, discutiendo quidem vapores vi bituminis, abstergēdo autem facultate pyritæ & salis. Scißilis etiam lapis consumit humores intercutaneos teste Iac. Theodoro: Efficaciorem interim futuram nostram aquam crederem pro capitis lotione ad pellendos pediculos si iungatur agaricus præscriptus à Rulando de balneis in lixiuio.*

Belilu. furfures, pediculos, lendes debellant.

Potus.

Lauatio.

Bollens. cōtra prædicta vitia vtiles.

Ad vitia faciei. CAP. IX.

Belilucana ad faciei vitia.

ORis facieiq́; affectibus medentur thermæ Belilucanæ, ablutione potißimum, cui ancillatur cœnum liquidius exsiccatum vstum, item reliquiæ stillatitiæ pro ratione desideratæ desiccationis, detersionis, euaporationis rugis ob cutis laxitatem, ephelidibus, lenticulis, sugillatis, ionthis seu varis, asperitatibus, humorum craßiorum vitio contractis omnibus, decorationi faciei & fuco non parum seruire potest detergendo, exterendo, coarctando cutem, Dorstom. Fallop. de therm. cap. 18. Aqua Virginis in potu tantum est in vsu, eamque exhibemus feliciter admodum ijs qui patiuntur guttam rubram vel rosaceam vocatam, quibus est facies rubicunda, & verrucis quibusdam rubentibus plena: sumpta in potu duobus annis contemperat optimè hepatis feruorem: Est tepida aqua & purißima, salsedinem vix perceptibilem habens. Baccius lib. 3. cap. 1. de thermis. Aquæ nitratæ salsæque ac ex his solia, ac vi mollitoria bituminosæ & in potibus ad omnes faciei maculas, vitiligines, alphos, volaticam, impetiginem, morpheam, varulos, maximè si inter lauationes priuatas alia adhibeantur localia. Ad nitorem porrò & candorem carnium, antiquæ mulieres nobiles vtebantur diapasmate puluere precioſißimo, vel etiam lactis balneo, vt testis est Plinius. Vel nitro, vel aphronitro, deterso in balneis. Quibus nostræ mulieres carentes farinâ fabaceâ in balneo vti poterunt, authore Galeno & Dioscoride. Vel nostratum oleo de tartaro se leuiter detergeant: vel stillatitia aliqua ex his aquâ, ex immaturis pineorum conis, vel fabarum recentium, vel radicum Ari, vel limonum, vel sola Tyberina aquâ. Rulandus. Faciei colorem pulchriorem reddit & spiritus recreat lotio vultus ac manuum ex frigida aqua dulci. Item contra morpheam conferunt aquæ sulphureæ Geberſweyler, Vvolckenstein. Item: Lentiginem curant Teplicæ. Vvolckenstein sulphuratæ. Hæc ille. Aquas fontis admirabilis multa posse præstare ex prædictis non dubito, si quis loco cœni aquæ admisceat marmor metallicum vstum aut non vstum in tenuißimum puluerem redactum, vel argillam quæ maximè albescit, aut puluerem belemnitæ. In potu licet non improbem ad promouendam euacuationem copiosum potum aquæ admirabilis, malim tamen ægros pro ordinario potu vti acidulis, potißimum eos qui ob calidius hepar ruborem faciei nimium contraxerunt. Ex historijs nostris satis apparet multis quibus facies erat fœdißimè deturpata profuisse aquam medicatam Bollensem, licet sine vllo ordine & intempestiuè vterentur.

Aq. virginis ad guttam rosaceam.

Aq. generalis taxatio ad faciei vitia.

Cosmetica.

Aq. dulcis. Morphea.

Lentigo.

Bollenses cosmeticæ.

Ad Achores, Cerion, siue tineam.

CAP. X.

ACHores à pituita aut sanguine putrentibus, Cerion seu Fauus ab aquosis corruptisque humoribus, salsauè pituita topicis thermis Belilucanis simul cum aquæ vsu interno perfectè sanantur, si laborans manè & vesperi quartaria v. vj. vel plura assumat ex aqua (largam quantitatem assumere conuenit ob di-

Belilucanæ ad achores & ceria.

stantes à ventre infimo partes, vt caput & artus: largum rursum in externis potius quàm internis affectibus: denique in contumacibus affectibus & chronicis largiorem quàm in alijs) idque quindecim dierum spacio. Caput sit pilis nudatum nouacula, aut quod præstat volsella. Abluatur quater, quinquies, sexies, die & probe abstergatur spongijs. Crassamentum cœnosum mixtum oleo oxycedri, & reliquiarum huius aquæ post distillationem totidem vicibus illinatur, apricetur, & soli se exponat, si ferre possit, Dortom. Dicit præterea Baccius lib. 3. cap. 1. In tinea emundanda, capitis erroneis vlcusculis sanandis, fauis & meliceridibus, & serpiginosa ophiasi nihil melius aquâ maris, & quæ attrahant firment ac abstergant, vt aluminatæ, plumbeæ, ferreæ. Rulandus, Achores curat lotio ex aquis sulphureis, aluminatis, nitrosis, ferratis, cupreis. In capitis tineis vtuntur aquis Etingensibus & Vveringensibus. Aquam medicatam mirabilis fontis sanare achores & cerion siue tineam vt vulgo vocant, facilè ex mistione mineralium demonstrari posset. Iac. Theodoro aqua quæ habet spiritus pyritæ curat malignam scabiem (bösen grind) *siue achores. Et quidni achoribus benefaciat cum sanet non minus maligna vlcera & ipsam lepram Græcorum? Ex historijs etiam apparet quosdam curatos eo affectu licet sine methodo vsos: Interim tamen nonnullis adiectis vis aquæ medicatæ augeri potest: pro oleo oxycedri sumi iuniperinum vel aliud simile sine periculo potest tentari. Ruland. de baln. lib. 1. cl. 3. cap. 4. Ad achoras ℞. Pisorum m. iij. decoquantur in s. q. aquæ: horum iuri admisceatur tantundem lixiuij fortis: & facta ebullitione reseruetur vsui. Caput eo lauetur quotidie ante cibum & mox siccetur.*

Aq. naturalis ad achores & similia capitis vitia taxatio.

Boll. ad vlcera capitis manantia.

Lixiuium.

Ad Hydrocephalon. CAP. XI.

PEricranij affectus, Hydrocephalon ex sanguinea pituita vel sero resudante, frequenti interdiu capitis ablutione ex thermarum Belilucanarum aquâ subsidet, Dortom. Aquam admirabilis fontis Bollensis ad hydrocephalon conferre posse satis manifestum consideranti crasin: Pyrites enim lapis teste Galeno, valde digerit & exsiccat: discutit etiam bitumen: siccat quoque Belemnites authore Iac. Theodoro. Salsedo & bitumen adiuuāt: potest etiam vis aquæ, si morbus contumatior extiterit, augeri.

Belil. ad Hydrocephaló

Bollens. ad hydroceph.

Ad capitis, cerebriq; affectus & potissimum dolores. CAP. XII.

DE particularum autem medendi methodo in balneis, hæc semper tibi distinctio proposita esse debet, An ea pars per essentiam afficiatur, hoc est per affectum proprium: an per consensum, nimirum si aliunde eius affectus sit caussa. Quod frequenter accidit, & in affectibus capitis, atque cerebri maximè, aut ventriculi vitio, aut vteri, aut aliorum membrorum. Semper enim

illi particulæ occurrendum est, vnde primum est affectionis principium: tum in præparatione, quam semper supponimus in omni balneo diligenter esse præmittendam: tum in tota ipsa curatione per balneas. His ergo in casibus, aquarum potatio, modicè calidarum, ac purgantium hac ratione conuenit, quod & impetentem euacuat materiam, ac mundantis particulæ corrigit excessum. Sic nitratæ vtiliter bibuntur aquæ, salsulæ quædam, & omnino abstersioræ facultatis. Conuenit & balneum in aquis calidis: vt quæ diuertant saltem impetentes ad caput vapores, si ita affectus postulare videatur. Quare calentiores aliquanto, & discussorias esse oportet aquas, quas in balneo simul, ac ducia vsurpare licebit. Propria verò innatæ, ac infixæ capite materiei discußio est ad ducciam: hæc enim discutiendo, ac exiccando statim hæret, continuam (vt dicunt) tollit caussam simul, atque affectæ particulæ imbecillitatem corroborat. Tribus autem locis in capite suscipitur duccia pro affectus ratione. Aut enim affectus est toti cerebro, & toti capiti communis, vt catarrhus, cephalea, lethargus, stupor, vertigo, apoplexia, epilepsia, memoriæ læsio, mania: tuncque in bregmate, vbi suturæ se incruciant, & cranium est rarius, ac tenuius, duccia suscipitur: Aut certam aliquam capitis occupat partem, vt catarrhus ad oculos, ad dentes, ad aures, surditas, & Hemicrania: & tunc pars ipsa affecta, vbi commodè fit, vel communiter, bregma ipsum subijcitur. Aut caput quidem ipsum origo est, cæterum affectus ad inferiores extenditur partes, quales sunt affectuum neruorum maior pars: tuncque circa occiput, vbi nerui incipiunt ad subiecta membra descendere suscipienda est duccia. In vniuersum autem ad docciæ vsum habenda ante oculos ea Archigenis præceptio est, authore Galeno in vj. de Sa. tuen. quod calidarum sponte manantium vsus noxius est capitibus natura calidis. Quod nos declaramus experientiâ, visos multos in balneis, qui robusti cum fuerint, & capite natura calido, aliquo tamen ex frigiditate affectu capitis laborantes, putà vel hemicrania, vel surditate, vel debilitate viscerum, vel vertigine, & similibus, hos ad vsum ducciæ calidarum aquarum, duo noxarum præcipue genera incurrisse. Alijs caput incaluisse, ac vel inflammatione, vel febre fuisse correptum. Alijs (quod peius est, & frequentius) vehemens ex capite defluxio oborta est, siue in thoracem, siue in aliquam aliam nobilem partem, ac vel repente suffocatio superuenit, maximè non bene prius præparatis, & purgatis corporibus, vel aliquis grauior priore affectus incidit. Quapropter ad veram methodum habendam his in casibus, standum erit Galeni consilio, Hisce naturis consulendas esse duntaxat aquas, quæ vtique dulces sint: id est (vt ipsemet exponit) minùs medicamentosæ & minùs naturæ calidæ. Vel etiam arte attemperetur aqua ducciæ ad condecentiam. Communiter autem, ad has omnes occasiones sunt diuersa aquarum genera idonea. Primùm quidem sulphureæ, quæ nimirum actu mediocriter caleant: Quæ si præterea aliqua alia minera participent, vt nitro, vel ære, vel ferro, hæ quidem

Aquæ materiã à capite auertentes balneo & duccia.

Duccia ad cerebri morbos per essentiam.

Quot capitis locis ducciæ recipiatur, & ad quos affectus.

Cautio Archigenis in duccia, ex Galeno.

Baccij approbatio ex noxis subsequentibus.

Visceris alicuius inflãmatione, febri.

Defluxione in partes nobiles.

Duccia pro iis quibus caput viscerâue calidiora.

magis idoneæ. Ex nitro quidem vt Sancti Philippi ducciæ sub Senis, quæ pro æquis ferè partibus nitri cum sulphure, vnde subtilis sunt substantiæ, egregiéque penetrant, attenuant, parem inter omnes duccias non habent, ac diuersa sunt temperie omnes. Ex ferro autem magis corroborant, vt aquæ ad Auinionem, tribus milliaribus à balneis Sancti Philippi, quæ & balneo, & duccia sunt vtiles, & minùs calidæ. Simile ac multis prærogatiuis ducciarum est Corseni balneum in Lucensi agro, in quibus diuersa quæ requiritur temperies est. Simile item de aquis Pisarum est. Balneum Calderianum Veronæ, Bussetum, & de Cruciatis Viterbij, Prunelli ad Aleriam in Corsica, aqua Speluncæ in Aenaria, quæ & bibitur. Aut alia mistura insignes, vt variæ in primis, ac nobiles quocunque vsu Aponi balneæ, deinde aqua Sancta Asculi, aqua Sanctæ Mariæ in balneo cum duccia admodum calida, Burmienses aquæ in Liguria, Trescurianæ sub Bergomo, Sancti Martini sub Como, Brigenses in Valesiis, Borbonij in Gallia, ad Orensem ciuitatem in Hispania, vbi & calidæ ad Lucum Augusti. Plumbeæ aquæ in Lotharingia. Ad præscriptas rationes, sensoria iuuant nitratæ, æneæque peculiari tutela, ebibitæ: Grotta præ cæteris, & quæ hanc æmulatur Tigurum, Fabaris ex auro in Rhetijs. Leuc in Valesiis, Embs ad lacum Podamicū Et item Sanctus Philippus in balneis, Badenia in Heluetijs & calidæ ad Miniū fluuiū in Galicia Hæc Bacc. Fallopius verò lib. de thermis c. 11. Multi medici aquas thermales exhibent in potu ad affectus capitis & videmus caput iuuari: quod non fit per se, sed per accidens, hoc est per consensum vētriculi, quia remoto ventriculi affectu remouetur & capitis læsio. Si vapores qui eleuantur à potu aquæ sint sulphurei & caput sit frigidum iuuabunt per se: sed si aquei oberunt valde. Dortomanus, Similaris in cerebro pars, putâ membranæ eius Cephalæa, Cephalalgia, Hermicrania seu Heteralgia ab humore vaporeuè frigido crasso afficiuntur eis medētur thermæ Belilucanæ: sunto autē nō propomata sed potus aquæ eius per septem dies ad πλήμμυρειν, *dosin singulis diebus augendo ad quartum diem, quo elapso eadem qua auxerunt proportione imminuant: ita vt septimus dies primo, dosi respondeat. Completo hoc septenario, resecentur capilli & altera hebdomade embrochis aquæ vtendum corpore cibis vacuo horâ sexta matutina discußis thermarum vaporibus. Si exsiccandum firmiore & solidiore materia, cœni vsus ad litum capitis non est negligendus. Rulandus, Capitis morbis succurrunt aquæ nitrosæ, salsæ, dulces. In specie, Embenses, Newbad, Piperinæ, Iungbrun, Lôffingenses. Item Capitis dolori pituitoso & vertigini succurrunt Badenses, Villacenses, Teplicæ, Aberenses, Antegastenses, Zuckenthalenses, Annæbergenses, Carolinæ, Laubacenses aquæ. Item Hemicraniam curant syluestres.*

Nitratæ. Ferratæ. Variæ mistutæ. Nitratæ æneæq; sensoriis appropriatæ. Belilue. ad frigidos cerebri morbos.

Ad Apoplexiam, Paralysim, Lethargum, Caron & alios frigidos morbos capitis.

CAP. XIII.

Belilucanæ thermæ.

Apoplexia, Hemiplexia, Paralysis à pituita: Conuulsio, tremor, stupor, sopor, catarrhus ab humore copiosiore, frigido crasso lento : affectus sunt quibus peculiariter bellum indixerunt thermæ Belilucanæ : In his diu deplendum, detergendum, incidendum, exterendum, sistendum aquæ potu bis in die. Vtendum clysteribus ex aqua, lotione & fotu partium affectarum: litu crassamenti liquidi primum, mox resiccati & oleo ex semine nigellæ expresso seu de castoreo temperati, idque in vmbra, non aprico loco. Pro vino sumatur in mensa aqua stillatitia thermarum Belilucanarum cum saccharo & citrino santalo per manicam colata. Salis vicem præbebūt reliquiæ post distillationem, Dortom.

Aqua Stillatitia.

Pantaleon de Tigurinis thermis : Postquam cap. 15. ea constare auro, argento, ære, plumbo, ferro, sulphure, alumine, sale, nitro & bitumine dixisset, non tamen demonstrasset vnde id constet: Cap. 18. vtiles pinguibus scribit, qui multis cibis & potu caput grauant, sibique timent ab apoplexia, vertigine laborantibus quæ eam solet præcedere, epilepticis, eis licere haustum mane bibere : facere ad memoriam & auditum, aurium tinnitum tollere, cerebrum exsiccare. Rulandus, Apoplecticis succurrunt balneæ Delfingenses, Vveringenses, Piperinæ, Abacenses , Aquisgranenses, Carolinæ , Laubacenses sulphuratæ & nitrosæ. Item, Membris fluxionibus obnoxijs, torpidis, resolutis subueniunt aquæ salsulæ, ferratæ, Acidulæ in Spiegelberg. Item, Contra frigidos & humidos morbos conferunt aquæ cupreæ, aluminatæ, nitrosæ, sulphureæ, in specie, Badenses, Cellenses, Leucenses, Göppingenses, Piperinæ, & cæteræ aquæ ac thermæ omnes calidæ & siccæ qualitatis. Item, Paralysim curant, Syluestres, Vvesterbad, Emsenses, Constantiæ, Elboganæ, Aquisgranenses, Plumbariæ, Vvendingenses, Niderborn, Zuckenthal, Abr, acidæ ex ferro & sulphure, Teplicæ, Castein, Kißing. Item, Contra neruorum imbecillitatem ac omnia vitia prosunt aquæ sulphureæ, salsæ nitrosæ. Imprimis verò Etingenses, Sultzbrun, Vvattweil, Sultzberg, Flieben, Mendich. Neruorum frigidos & humidos morbos, aquæ bituminosæ, Newbad, Badweiler, Hubtzal, Lutherbad, Ribbadenses, Vvisbat, Vvolckenstein, Zuckēthal, frigidæ actu aquæ surphure, alumine, nitro vel sale imbutæ. Item, Resoluta membra restituunt Brigenses calidæ Valesiorum sulphure multo & alumine pauco, Hubbad, Vveringenses. Item stuporem curant Badenses Herciniæ, Annæbergenses : torporem Spiezelberg, Dalfingenses quæ constant sulphure & alumine. Lethargiam depellunt Badenses Herciniæ, Carolinæ, Casteinizæ, Dalfingenses, Antegast, Badenses Austriæ, Laubacenses, Piperinæ , Annæbergenses & dulces calidæ. Ad Carum prosunt aquæ dulces calidæ, Badenses, Margraffbad, Castein infectæ calce pyritarum , antimonio , sale, nitro, auro, item argento & ære. Ioh. Göbel. dicit aquas S. Iobi aluminosas facere ad soporosum affectum cerebri

Tigurinar. mineræ. Apoplectic. Frigidis morbis. Paralysi. Neruorum imbecillit. Stupori. Torpori. Lethargo. Caro.

rebri

rebri frăſchlich *dictum cerebro craßis pituitoſis humoribus obſeſſo, ſi omnino detonſis deraſiſuè crinibus applicentur capiti cum panno lineo. Iac. Theod. dicit aquas acidas fontis in* Langenſchwalbach *vtiles eſſe reſolutis poſt colicam vel iliacam paßionem, ducendo prauos humores & roborando ventriculum & hepar ac partes coctioni inſeruientes: eos, qui vtuntur in principio colici doloris, vacare periculo reſolutionis. Fallopius de thermis cap. 19. de balneo Aponenſi: Prodeſt inſeßio in hac aqua reſolutioni inferiorum partium. Quando medulla ſpinalis eſt refrigerata, ſolemus inſtillare aquam hanc ad principium medullæ vel totum dorſum & eſt optimum remedium. Aqua noſtri fontis Admirabilis poteſt eo modo per ſtillicidium recipi, idque in ipſo ſolio addita vel Betonicâ, vel roſmarino, vel ſaluiâ, vel maioranâ, vel folijs lauri aut ſimilibus paucioribus vel pluribus arbitrio medici aßiſtentis. Andernacus: Aquæ calidæ Fabariæ vulgo* Pfeffers, *ſulphure, nitro, ære, auro & ferro infectæ calore moderato in balneis omnem articulorum dolorem, podagram chiragramq; diſcutiunt: particulas naturales ineſficaces reſtituunt: nimium intentas remittunt: artubus ex morbo colico, irâ & vino reſolutis, tremori quem ira, victus immoderatus aut frigus excitauit, omnique laßitudini auxiliantur. Montagnana conſilio 305. Pro paralyſi in muliere, manè balneet & à prandio immerſo corpore vſque ad fauces. Exeundo è balneo componat ſe in lectum & maneat in eo donec ſudet: deterſa vbi erit inungatur à collo vſque ad lumbos. Tertia die recipiat ſtillicidium ſupra occiput, quod diſtillet ex altitudine quatuor pedum & fluat per totam ſpinam: recipiat etiam ſuper ſcapulam & humerum ac totum latus ſiniſtrum: id faciat per horam vel duas, recipiat deinde ſe in lectum ac poſtea inungat vt dictum. A prandio ingrediatur ſudatorium, excipiat vaporem per horam vnam, & deinceps ſingulis diebus manè recipiat ſtillicidium, & veſperi vaporem, & deinde inungatur. Caueat ne aſtringatur aluus. Magni & acutißimi morbi ſunt Apoplexia, lethargus, & caros qui ſola aquâ medicata quæ lentè vires ſuas demonſtrat non facilè ſolui poſſunt. Prehenſis igitur his magnis morbis, cum etiam ſubitaneis & generoſis remedijs ſit opus, neceſſe eſt vt vtantur conſilio medici periti nec multũ tardent: Si medicus exiſtimet opus eſſe ſudoribus, conſiderabit an immergendus in ſoliũ aquæ admirabilis calidũ, quo deterſa cute, & excalfacto habitu corporis, excitatoq; calore naturali torpeſcẽte poßit moueri ſudor. Vidi Montbelgardi apoplecticum multo ſudore ab apoplexia & paralyſi paucis diebus liberatum. In hemiplexia conferunt ſanè aquæ medicatæ quâ affectam in thermis Plumarijs vidi Generoſi Domini à Schwende vxorem, cui conſilio adfui anno 1594. curatam. Similiter obſeruaui Borbonijs thermis Lotharingiæ & Burgundiæ vicinis, quæ ſalſæ & ſulphureæ calidæ, Conſiliarium Dolanum Paralyticum curatum. Mihi dubium non eſt conſideranti mineras fontis Admirabilis, paralyſim etiam poſſe curari, ac fortè fœliciùs quàm quibuſdam multo alumine conſtantibus: diuturnam tamen moram in ſolio non probarim. Vaporum receptio & ſu-*

Aq. Langenſchvval. ad Pareſin.

Aponenſes aquæ ad reſolutos.

Stillicidiũ in nucha ad medullam refrigeratã.

Fabariarum minera viresque ad reſolutiones.

Conſiliũ ad paralyſim.

Solium.

Inunctio.

Stillicidiũ.

Sudor.

Apoplexia, Lethargus & Caros morbi acutiſſimi.

Apoplexia & paralyſis ſudore curata.

Hemiplexia thermis curata.

Vaporariū Bollense ad sudores paralyticis ciendos.

dores magis arrident, modò omnia dextre administrentur ex consilio medici, nec ijs violentiùs vtantur: Chronicus cum sit morbus longiore opus est tempore pro eius cura. Iis qui resolutionem patiuntur ab colico dolore vel iliaco, non suadeo vt facilè se conijciant in lauacra. Placet vt priùs aliquamdiu ad euacuationem bibant vel aquam Admirabilis fontis vel acidulas: earum etiam potu moueantur sudores: postea verò vtantur lauacro, sed valde moderatè: vidi multis nocuisse potißimum si paucis mensibus post lauacris vterentur: Opus est in eo morbo diligenti victus ratione & patientiâ, vt in quartanis, quotidianis, & tertianis nothis. Non enim possunt curari donec totus sanguis repurgetur, mutetur, ac viscera roborentur. Placent ideo acidulæ vt iam dictum, ritè assumptæ. Non displicebit si verè paralytici, qui vtentur lauacro Admirabili, addant lapidis scißilis & pyritæ puluerem, ac etiam baccas iuniperi contusas, quas Rulandus præscribit ad m. xv. in balneo aquæ septies chalybeatæ ad paralysin. Stillicidia poterunt etiam à medico præscribi, additis iam dictis ac cephalicis herbis.

Intendēdis balnei viribus ad paralysin.

Embrochæ.

Ad melancholicos morbos, mærorem, fascinationem, aliàque animi pathemata.

CAP. XIIII.

Aq. Belil.

Cerebrum ipsum vt similare patitur intemperiem melancholicam, quæ melancholia morbus dicitur: item lycanthropian, cynanthropian ex humore melancholico. Quatenus dißimilare cerebrum, afficitur ipsum & membranæ simul, delirio melancholico flatuoso. Potu aquæ Belilucanæ indiget, sed submersione & lauacro magis Affectus & motus animi, vt tristitia, metus, verecundia, pusillanimitas, sollicitudo, ab humoribus frigidis melancholicis &c. fœcundos desiderant calices alternis diebus, his meri, illis thermarum Belilucanarum: quo die verò indulgebunt vino, cedere aquâ, mergi vbique & somno indulgere expediet. Hæc vicißim fiant spatio duarum septimanarum integrarum, Hæc Dortom. Legimus Augustinum balnea ingressum, vt leniret hac ratione dolorem, quem humanitus de matris obitu conceperat. Rein. Solenander de cal. font. l. 1. c. 1. Iac. autem Theod. acidulas in Langenschwalbach *prædicat ad melancholicos morbos, valdeq; asserit vtiles in melancholia hypochondriaca, ad terrores & phantasticas cogitationes. Quandoquidem autem medicatus fons Admirabilis ita metallica lambit, vt nimia quantitate non excedant: tum per se tum per accidens, potu & balneo vtilem, ex docti Medici præscripto, non dubitamus affectibus prædictis adiuuante amœnitate loci & vicini tractus commoditatibus, inter quas, insignis, & laudata potulentorum varietas, siue fontium acidorum, siue vinorum, quorum delectus haberi potest. quæ moderatè sumpta cor hominis exhilarant: qualem moderationem etiam intelligere Dortomannum haud ambigo per paulò liberaliorem in quibusdam poculorum fœcunditatem: tantum enim abest, vt crapula minuat melancholiam, animique*

Aug. leniendi doloris ergò lauit.

Langensch.

Bollenses.

pathemata emendet, vt augeat potiùs, ac deteriora reddat. Porrò autem licèt noster fons & mirabile balneum, multum celebrandas habet vires, non tamen tantas habet, vt poßit fascinatos & fascinantes pseudochymicos, chrysopœos, veræ Medicinæ fucos curare: neque enim alia ratione istud dæmonij genus, quo obsesßi sunt, Mammona inquam, fastus, & credula persuasio, quàm precibus & ieiunijs, vt Dominus noster pronunciauit, eijcitur, atque adeo nihil est quod hîc opem medicam, nihil est quod exorcistas moremur: præsentes habemus adhuc vitali aura fruentes, qui Dæmonem istum, si non expellere, at certè furores & insaniam certiore auxilio, quàm vllo Philonio, refrænent: qualem Diuum habemus, inuentorem & instauratorem diuini nostri fontis & balnei, qui, pro sua insigni solertia, nullis pepercit sumptibus, vt fraudes pseudochymicorum chrysopœorum detegeret, perspectaque magicâ impietate, fascinatione fraudulenta, iactantia Thrasonica, imposturis mellito verborum lenocinio & ænigmatum tenebrosa caligine perplexis, simplici credulitati obuiam iret, sublatis medijs ampliùs fascinandi eos, quibus non est in ære vel iudicio, vt explorare istorum fucos queant: in eo se demonstrans nec degenerem, nec inferiorem suis maioribus, Ducibus Christophoro & Ludouico, qui eiusmodi non tulere in Ducatu, ciniflones impostoresque, qui (vt lusit quidam) ridiculè,

Medicinæ fuci pseudochymic.

Polliciti fuluum Phryxæi velleris aurum,
Mendicant vilem supplice voce obolum.

Laudandus igitur Ill. noster Princeps: celebrandus Illust. Dux Bauariæ, alijque Diui consimiles, quibus data à Deo omnipotente voluntas & potestas eiusmodi pseudochymicos chrysopœos, magos, dæmonolatras, monetarum adulteratores, veneficos, medicastros, impostores, Iudæos (qui Mammonæ ergò sacra miscent prophanis, qui vt suam occultent ignorantiam, vel inuidentes generi humano misanthropi, secreta sua iactant ineffabilia, à se solis inuenta, alijs incognita: cum veri hominis, nedum Christiani sit, prodesse omnibus, nihil occultare eorum, quæ faciant ad conseruationem generis humani) persequi & punire pro meritis: vituperandi siqui sint, qui foueant & retineant manifestarios & tales palam perspectos. Quid præstent vel non præstent in animi affectibus aquæ medicatæ ostendit Baccius in sequentibus, dum ait: Animi verò affectus si qua balnei operatio attingat, ea est, quæ caput exonerat, itaque virtutes animales promptas, ac magis expeditas reddit ad omnes actiones. Ita simplicis aquæ calidæ balneum, & pedum simpliciter, & capitis lauacrum, tum discutiendo à capite vapores, tum reuellendo, animũ iuuare poterunt. Cæterùm nulla est inter naturales aqua, quæ à proprietate merâ animi affectus respiciat, aut iuuet: nisi quas in fabulis forsan prodidere, Amore detentos liberare Setennium Achaiæ fluuium: & item in Cyzico fontem Cupidinis vocatum, & in Sardinia fontes ex auro, quos tradidit Solinus, contra fascinum, & maleficia. Succellaria in Baiano aqua ad eadem, & mentem aperire traditur, sicut item Tripergulanâ balnea, Grotta

In eos qui secreta occultant.

Animi affectus Thermis iuuãtur per accidẽs.

Nullæ thermæ proprietate prædi͡ꝗ sunt qua animi affectus curentur.

Viterbij, Tigurinæ aquæ in Heluetijs ex auro, quæ nimirum in auxilijs animi, secundarijs operari virtutibus promittunt. Verè autem equidem, aut hæc in superstitionem reijcienda esse existimo, aut si quam animus vtilitatem ex id genus balneis sentit, eæ sunt non animi simpliciter, sed coniuncti passiones. Quæ nimirum sanantur pro communicantia, quam habent facultates ipsæ animæ cũ corpore. Rulandus de baln. lib. 1. cap 4. cl. 3. Ad melancholicam, insaniam ac vigiliam, inducens somnum: R. Maioranæ, fl. Betonicæ, chamæmeli ana m. ß. Condiantur sacculo & decoquantur in s. q. vini: quo crebrò lauetur caput: Hæc ille. Si præcedentia tantum præstant cum vino, potius præstabunt meo iudicio, decocta aut potiùs macerata in aqua fontis admirabilis, potissimum si nullus adsit calor. Idem clas. 5. Dæmoniacis prodest Neubrun & Spiegelberg Item, Intellectum restituit Zellerbad. Item, Sensus omnes vitiosos, non tamen ex vtero, restituunt, roborant, conseruant Badenses Heluetica, Embs, Vvysbad, Syluestres. Lotio pedum cum aqua calida dulci ante introitum lecti. Lotio capitis matutina ex calido lixiuio. Item: Iracundiæ affectum lenit obtunditque Fideris. Item: Maniacis vtiles sunt Cellenses, Piperinæ, Neubrun. Item: Melancholicam purgant & pellunt Abecenses, Aquisgranenses, Cellenses, Geberſweiler.

Ablutio capitis pro affectibus animi.

Baln. ad obsessos menteque captos.

Ad catharros & defluxiones à cerebro.

CAP. XV.

Stillicidiũ.

SI quis velit balneare propter catarrhos, assuefacto corpore in balneo per biduum instituat stillicidium supra caput: obuoluatur caput per frontem, tempora, & collum panno lineo crasso: recipiat aquam calidam distillantem per siphunculum ex altitudine trium pedum: recipiat primò supra synciput, deinde supra sinistram partem capitis, tertiò super dextram, quarto supra occiput. Idem faciat supra alias partes dolentes: Montagnana, cons. 303. Item de balneis Patauinis ait: Quicunque desiderat per balneum exsiccare humiditates cerebri & consumere catarrhos fluentes, ac humores replentes neruos & remollientes, vt accidit Paralysi laborantibus, recipiat stillicidium aduersus catharros supra bregma, aduersus paralysin supra occiput aut supra latera capitis: In hemicrania & similibus, eo vtatur donec sentiat aquam profundius partes capitis penetrasse: in paralysi non tegat capitis posteriorem partem linteis sed remaneat totum occiput detectum, vt aqua cadat supra collum & vertebras ac neruos exsiccet. Potiùs placet recipi stillicidium supra caput secunda vel tertia die quàm prima cum iam corpus assueuerit balneo. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponensi, Stillicidium aquæ conducit primo ad capitis intemperiem frigidam & humidam, & ad catarrhum ex intemperie frigida tantum vel humida: ad vertiginem si intemperierum dictarum aliquam habeat coniunctam: ad aurium sibilum: ad tinnitum & ad surditatem, ad resolutionem linguæ, oculorum & aliarum partium, ad epilepsiam si sint hi morbi cum intemperiebus prædictis. Hos

Balnea Patauina.

& consimiles morbos fugat Aponitana aqua per embrocham administrata exsiccando, calefaciendo, euacuando roborandoque cerebrum eiusque membranas & reliquas capitis partes. Caueat à stillicidio istius aquæ qui laborat intemperie capitis calida, etiamsi esset adiuncta humiditas. Item cap. 15. Stillicidia de Ducijs commendantur pro capitibus humidis & calidis, & ad siccandos catarrhos. In balneo de Ducijs est paucum nitrum & marmor combustum copiosum, & ideo valde siccat, sed parum calefacit, hincque fit vt stillicidia quæ ibi fiunt appellentur Duciæ temperata, & sunt in vsu pro capitibus humidæ & calidæ temperaturæ, præsertim humidæ prosunt. Andernacus, Aegris prodesse potest instillatio Italis ducia vocata, quæ syncipiti, cùm cerebrum fluxionibus obnoxium est, aqua instillatur: occipitio autem cum neruorum spinæque dolores, resolutionesque & similes affectus vrgent. Cum syncipiti instillanda est, caput linteo circumdetur, ne illa diffluat: tempora verò & frons oleo myrteo & mastichino, cui adiecti sint myrtorum, cupreßi, bistortæ, mastichis, terræ sigillatæ, singulorum scrupuli duo, ceræ modicum, illinantur, ne humorum materia calore aquæ ad oculos aliaue membra concitetur. Hoc autem caueri debet ne aqua iusto sit calidior, aut frigidior & contagione aliqua infecta. Cum verò in occiput danda est, caput cum linteo non circumdandum, sed aqua per spinam fluere sinenda est: vt etiam vis illius insinuetur, &c. Plura huc facientia inueniet lector cap. de Stillicidio lib. 2. vbi etiam obseruabit quæ Andernacus de Germanis dicit. Idem: Aquæ calidæ Badenses copioso sulphure imbutæ in caput datæ, omnibus frigidis humidisque vitijs cerebri conueniunt: defluxiones humorum ex capite siue in linguam, siue in palatum, siue in alia membra factas siccant: memoriam iuuant, omnesque sensus vitiatos, non tamen ex origine sed mala victus ratione: præsertim visum, auditum & odoratum restituunt. Idem, Aquæ Ferinæ sulphure, sale, & alumine imbutæ, calidæ in caput datæ, cerebrum purgant sensuumque instrumenta corroborant, cerebri frigidos affectus sanant: sonitus intra aures discutiunt. Item, Aquæ ciuitatis Aquinensis Montisferrati duobus diebus limpidæ sunt, tertio virides. Ingratus earum sapor est tanquam ouorum putridorum, artubus & capiti salubres: maximè si frigida materia infestet. Item, Aquæ calidæ Visebadenses vulgò ex sulphure alumine, & nitri modico infectæ admodum, calidæ instillatæ ad capitis defluxiones frigidas aliaque vitia conferunt. Item, Aquæ Badenwillæ manufactæ calidæ, scaturigine tepida, in caput quà sutura coronalis est facta aspersione quæ ἐμβροχὴ Græcis dicitur, defluxiones cerebri exsiccant. Ioh. Gôb lib suo de thermis dicit: aquam S. Iobi ad vrbem S. Anneberg tepidam constare alumine & vitriolo, plus tamen adesse aluminis, deduci per serpentem ferreum qui est in fornace, vt ad balneum calidior reddatur: conferre capiti & cerebro, calefactam gargarizatu: sistere defluxiones capitis in os & fauces, dißipare & consumere ore diu retentam humiditatem & superfluos linguæ humores: facere etiam ad tumorem gingiuarum & palati licèt adsit calor, si os sæpe abluatur & calidæ in ore retineantur: item ad vlcerationem: dolores sedare

Cautio.

Duciæ.

Instillatio eiusque vsus.

Vnguentū defensiuū.

Thermæ Badēses ad defluxiones aliasq; frigidas cerebri paßiones.

Thermæ ferinæ.

Aq. Montisferratæ capiti salubres.

Badenvvillenses.

capitis, qui à pituita originem trahunt, applicatas fronti & occipitio, aut receß pta euaporatione: vtiles admodum grauato capiti, vapores dissoluere si tempore oportuno per stillicidium administrentur: ad Coryzã facere naribus attractam. Ego sane non dubitarim aquas admirabilis fontis idẽ præstare posse & fortasse fœliciùs, quandoquidem poros non ita constringunt, & exhalationes non ita facilè reprimere possunt vt insigniter aluminosæ, quales S. Iobi & aliæ similes vel quæ calidiores. Rulandus, Ad capitis fluxus & humiditates prosunt aquæ syluestres, Hubbad, Delsingenses, Plumbariæ, Sultzbrun, Vvaldsborn, Keeswasser. Item, Contra capitis distillationes & tremorẽ conferunt aquæ Vvysbad, Löffingenses, Brigenses. Item, Catharros & defluxiones sanant aquæ Auwenses, Carolinæ, Dalsingenses, Leucenses, Vvolckstein, Annæbergenses, Neubron, Badenses Helueticæ, Herciniæ, Vvendingenses. Item, Cerebri destillationes curat Falborn. Item, Contra defluxiones humorum è capite ad partes subiectas adminiculo sunt aquæ salsulæ, nitrosæ, Lucenses, Syluaticus fons, Niderborn, acidulæ in Kißingen, Vvehr. Item aduersus fluxiones capitis ac totius corporis curationem adhibentur aquæ ferratæ, gypseæ, aluminatæ: potißimum autem Embsenses, Cellenses, Villingenses, Vberlingenses, Vveringenses, Laubacenses.

Ad Bollens. accõmoda.

Elẽchus aq & thermarũ ad defluxiones.

Ad vertiginem & Incubum.

CAP. XVI.

PAtitur cerebrum cum meatibus in vertigine ex flatibus, Epilepsia à pituita aut melancholia: Incubo à crapula, stomachi cruditate, melancholico succo & flatibus craßis, opacis. Frequentißime his morbis affecti magno suo commodo aliàs freti sunt Beliluca. aquarũ potu quindenis diebus perpetuis: imò loco vini in pastu, non alio liquore quàm aquarum harum stillatitio egelido vtebantur &c. Dortom. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponensi: Stillicidium huius aquæ confert ad vertiginem si sit iuncta intemperies frigida vel humida. Vertigo si sit per sympathiam & consensum ventriculi qui farctus sit pituitosis humoribus, institui poterit potus aquæ fontis admirabilis: si biliosis, acidularum ac ijs repurgari corpus. Si non euacuent sufficienter, addi poterit aquæ trochiscus Axungiæ Lunæ secundæ dissolutus in aqua admirabili. Si vertigo ab idiopathia & inueterata sit, poterit adhiberi stillicidium, sed non sine consilio docti medici.

Belil. potus ad vertig. & Incubum.

Aponensiũ stillicidiũ.

Ad vertig. ex sympathia ventriculi.

Per idiopathiam.

Ad Memoriam. CAP. XVII.

AQuæ calidæ Badenses in Austria multi sulphuris, paucioris nitri, minimi aluminis participes memoriam amissam restituunt, capitis dolori ex pituita vertiginique opitulantur, si illud aquâ ipsarum foueatur, aut eam ex alto destillantem recipiat, ita tamen vt corpus totum prius sit euacuatum : alioqui

Aq. Badens. in Austria.

Minera.

Stillicidiũ.

periculum resolutionis aut lippitudinis imminet. Neruis ex humore irriguis & resolutis conferunt: surditatem flatus & sonitus intra aures discutiunt. Idem, Aquæ fabariæ capiti instillatæ cerebri obstructiones aperiũt, memoriam firmãt, visum obtusiorem & auditum grauem egregiè emendant: nisi ripæ iuxta ipsas præterfluentis strepitus fragorq; intolerabilis die noctuque impediret. Rulandus, Memoriam restituunt & confirmant Piperinæ, Carolinæ, Dalfingenses, Badenses Austriæ, Heluetiæ, Vllacenses, Teplicæ, Aponenses, Syluestres. Vvaltherus Riuius in speculo, Vvildbad confert omnibus affectibus frigidis capitis & neruorum, epilepsiæ & conuulsioni: roborat sensus & intellectum & imbecillem memoriam. Aquam fontis admirabilis firmare posse memoriam non dubitarem asserere, considerata facultate mineralium per quæ transit, potißimum si post purgationes, sudores à balneo, accedat stillicidium, in cuius aqua incoqui possunt herbæ caput roborantes vt betonica & saluia ac similes.

Aq. Fabar.

Thermarũ memoriam confirmantium enumeratio.

Aq. ferinæ siue syluest.

Accõmod.

Ad Ebrietatem. CAP. XVIII.

IN *Arcadia, inquit Vitruuius lib. 8. cap. 3. ciuitas est non ignota Clitor, in cuius agris est spelunca profluentis aquæ quam qui biberint fiunt abstemij. Ad eum autem fontem Epigramma est in lapide inscriptum hac sententiâ versibus Græcis: eam non esse idoneam ad lauandum, sed etiam inimicam vitibus, quod apud eum fontem Melampus sacrificijs purgasset rabiem Prati filiarum, restituissetq; earum virginum mẽtes in pristinam sanitatem. Dort. lac. Theod. authore aqua acida in* Langenschwalbach *tollit dolorem capitis à vino generosiore vel ebrietate. Georg. Agric. de natura eorum quæ fluunt è terra lib. 2. Acidulæ quæ etiam ignem senserunt (internum subaudi, in ipsis mineris) vrinam potæ mouent & calculosis medentur & ebrietatem discutiunt. Baccius, Ebrios somno sepultos exsuscitat frigidæ vsus in conspersionibus, nec minùs acidæ in potibus, & quæ à crapula vendicant lauationes in thermis. Rulandus, Contra crapulã præstant aquæ Aegræ. Non minùs à Bollensibus ebrietatis præcautio longè certißimo experimento me auctore petetur si quis vino & cereuisiæ fortiori bellum indixerit, & ad Bollensium vsum se contulerit, me sponsore à temulentia securus esto. Quam rogationem pauperes centuriatis comitijs sanxerunt iamdudum & religiosè vt plurimum obseruant, neque inde vllum detrimentum senserunt, vt diuites istos tam afflictæ valetudinis ex temeto meraciore fœcundioribusq; poculis pudere pigereque meritò debeat, quos vini sacra sitis maiore quam leonina feritate armat, fœdiore quã Grunnij illius proluuie & ignauia dehonestat. Vsq; adeo creatura diuinioris animi capax positas metas semel trãsgressa obbrutescit. Coniuet parilis turpitudinis cõscientiâ penes quẽ animaduertẽdi potestas: at vindex Dei oculus nõ item: quibus vltrices podagras, artritidas, cõtractiones, catarrhos, & similẽ aciẽ numerosam infensißimã immittit, solidas corporis bases & columnas subuersurã, propugnacula labefacturã, sacri consilij*

Aq. spelunc. in agro Clitoris abstemios reddens.

Superstitiosum.

Langensch.

Acida & frigida vulgaris ad ebrietatem.

Aq. Aegræ.

Bollens. ad ebrietatem.

Παρὰ μέθυσος in ebriosos.

assessores corrupturam, coquis etiam & lixis abdominis non parciturам donec pro tribunali trepidantem regiam cordis maiestatem captam miserè sub iugum mittat. Vnde desertæ stationis pœnas comminatur exspectandas. Intonat Altissimi interpres Diuus Paulus ad Galatas cap. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates & his similia: Qui talia agunt regnum Dei non consequentur. Verendum ne Turca tollat vsum vini, quod Deus optimus sua clemẽtiâ auertat.

Ad Epilepsiam & tremorem. CAP. XIX.

INvictæ contumaciæ Epilepsia vix ac ne vix quidem exquisitißimis remedijs vnquam cedit, vbi iam in cerebro radices egit, nisi fortè totius temperamenti & habitus corporis mutatione. Lenitionẽ tamen eius atrociæ legitimo remediorum vsu, sic vt vel tardius redeat paroxysmus, vel mitius affligat citiusq; cesset, medica ope impetrare possumus: Quo in genere sunt aquæ thermales, ad quas in desperatis malis, tanquam ad sacram anchoram, vbi mali vis omne medecinæ auxilium eluserit, subinde confugimus.

Belilucanæ. *Dortomanus dicit: Epilepticos magno commodo fretos Belilucanis aquis per potum.*

Baln. Aponense. *Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponensi, Stillicidium huius aquæ conducit ad Epilepsiam, si fiat ex frigiditate & humiditate.*

Aquæ Langenschvv. *Iac. Theodor. aquas acidas in* Langenschwalbach *probat in epilepticis: impedire quoque paralysin, & ad dolorem capitis facere. Rulandus, Epilepsiam tollunt Piperinæ, Neubrun, Annæbergenses, Abecenses, Carolinæ, Vvaldsborn.*

Aq. S Iobi. *Ioh. Göbel. aquæ S. Iobi aluminosæ conferunt conuulsionibus quas vocat* Gicht, Krampff *&* Daymigkeit, *non tantum adhibitæ per stillicidium occipitio & fronti, sed etiam potæ.*

Accõmod. *Verisimile efficaciores esse nostras admirabilis fontis propter bitumen & Gagaten lapidem si epilepsia & spasmus sint à flatibus & pituitosis humoribus: quãquam etiam per accidens poßint quoque prodesse, redundantes biliosos humores euacuando per aluum, vel per sudores resoluendo & propellendo malignos & acres vapores, propter quos plerunque excitantur illi affectus, vt pulchrè demonstrat ingeniosißimus Præceptor meus Rondeletius. Vbi autem maligni, & acres humores vaporesuè, præfero potum acidularum.*

Tremores. *Rulandus: Tremulis succurrunt Piperinæ, Badenses Herciniæ, Vvolckestein, Annæbergenses, Auwen, Dalfingenses, Lutterbad, Syluestres, Teplicæ, Brigenses. Multis argumentis possem demõstrare vsum aquarum fontis admirabilis vtilem posse esse ad tremorem, nisi prolixitatem vererer. Hoc sufficiat monere ad tremorem volenti vti, non conuenire violentius balneum: & in exitu diligenter cauendum à frigidiore aëre: ne poris apertis se insinuet & tremorem maiorem inducat.*

Ad ocu-

Ad oculorum affectus. CAP. XX.

Oculorum affectus dolor ab intemperie frigida, à frigido crasso humore, à flatu copioso genitus. Ophthalmia à pituitoso sanguine. Epiphora, defluxio ex frigidis humoribus. Emphysema, tumor Oedemati similis ob id pituitosus aut serosus. Chalaziō, remollitio palpebræ ex humorum colluuie vndique congesta: primum potu aquarum Belilucarum aluum ciendam indicant (vide Hippocratem Aphor lib. 6. Aph. 17 & 31.) deinde ablutionem oculorum ex aquis iisdem subiungimus. Potui mane & vesperi: ad finem cœnum tota nocte iis imponimus. Anchilops & Aegilops abscessus in angulo oculi maiore ex humore pituitoso, seroso melancholico. Crithe, Hordeolum tuberculum, palpebræ cilio obueniens, aliter Græcis ποσθία dictum, ex pituita aut melācholia, Encāthis in maiore angulo vt Aegilops carnis excrescentia, eodem quo Ectropium modo nascitur, Ptilosis, palpebræ craßities ex pituitoso sanguine, magis exsiccantia quàm prædicti affectus desiderantes, à potu aquarum incipiendo, mox aquam pro collyrio vsurpando, denique cœno per se in vmbra non ad solem inducto, curantur: quæ remedia ex causæ magnitudine peti repetique debent. Vlcera, cœlemata lata scilicet & extensa more cœli, non profunda. Epicaumata post adustionem sordida, Hypopyō seu suppus ambo ex pure, Nubeculæ & albugines, cicatrices puta. Argeme vlcusculum, Pterygium vnguis (differens à superiore) adnatæ membranæ excrescentia, ab angulo oculi orta & ad oculi coronam vel vltra se promouens, Mydriasis dilatatio pupillæ, quæ omnia minora quàm sunt videntur, ex humore excrementitio. Nyctalops seu nocturna cæcitudo ex pituitoso humore. Glaucoma, obscuritas crystallini humoris vitium ob humiditatem nimiam (vt putant) humori pellucido glaucum colorem inducens, qui alioqui omnis coloris est expers, Hypochyma, suffusio, cataracta, humorum affusio inter tunicas Corneam & Araneosam vel Corneam & crystalloidē apud Paulum, Amblyopia siue hebetudo visus ex humorum congestu. Ecpiesmus seu expreßio ex pituitoso sanguine seu melancholia. Hæc inquam omnia exsiccantia, detergentia, euaporantia, exterentia remedia postulant, quale est thermarum Belilucanarum sæpe multumque oculis affusa & infusa aqua, mox cœnū crassum obductum, cui quādoque reliquiarum & nitrosi salis aliquid addendum. Alternis diebus aquæ largo potu purgentur. Hæc Dortom. Diffusior censura Baccij lib. 3. latiùs se extendit: sub sua signa coactis ἐξ ἰσοδέξεως singulis. Calidis pariter oculorum paßionibus, quæ mobiles sunt, aut ventriculi, aut vteri, aut alterius subiecti membri vitio temperatæ iure potuum balneæ opitulantur. Maximè quæ oculos peculiari tutela respiciunt, vt æneæ ante alias, nec minùs aureæ, deinde nitrosæ. Grotta Viterbii talis, & ibi Iaselli, ac simili natura Tigurinæ in Heluetiis insignes, Fabarienses auratæ. Postea Tritoli sub Puteolis, & sequentes ibidem nitratæ, titulorum Sanctæ Anastasiæ, Adiutorii, Iuncariæ, Petræ, & Plagæ Romanæ in Ischia, quæ omnes bibuntur. Tuetur oculos admiranda semper prærogatiua Ciceronis cognomento Scatebra ad Baias, cum sudatoria ad idem salutarium vaporū.

Aq. Belilu. ad varios oculorū morbos vsus, varius.

Calidi oculorum affectus.

Appropriatæ oculis aquæ.

Sicut & Bulla ad Puteolos: & sudatorium in Minio fluuio Hispaniae, quae natura terrae nulli cedit oculari remedio, conspersis item ex eo naturalibus aquis, sicut & ex Cadmia naturaliter dilutae aquae probantur, & ex Pompholyge paratae. Eaedem punctionibus tum oculorum, tum palpebrarum quoque facient, & ex aeruginibus infusae, nec secus vbi frequenter fluxionibus, aut lippitudine infestari soleant: Iis enim multae aquae minerales, ferri praesertim aliqua virtute participes, & quae citra mordacitatem exiccent, limpidae, & clarae vtiliter oculis infundũtur. Nam Aquulae istae clarae, quae nouiter ad moenia vrbis repertae sunt, sapore aliquatenus sicco, fluxiones id genus oculorum facilè sedant. Et quae de Trigorio dicuntur, ad decimum lapidem via Hostiensi. Offuscationibus, ac nebulis obscurantibus, Aquae praedictae, & Ciceronianae, in Sardinia Solini fontes admirandi. Aenea insuper, ac Nitrata epota, vt Brachula sub Bayis, & Petra sub Puteolis, Marina tepens irrorata, & ex Cadmia aquae omnes & collyria. Suffusionibus verò, non adeo Hypochysi confirmata, tam potus praedictarum medicati, quam ex discussorijs ex alto cadentes aquae auxiliantur. Quod promittit Astrunum cum duccia, duccia Sancti Philippi, Badeniae in Helueticis, Grotta ac similes, & collyria ex aeruginibus, cadmiaque praeparata. Sic lachrimas ex fistula importunè obortas exiccare, in quo aeneae praeualent ebibitae, vel ex Minio aquae etiam perfusae, quales multae iuxta Minium fluuium in Gallecia: & ad lucum Augusti. Sordidas vero ex antiqua lippitudine lemas, vel ex alterius exacti morbi reliquijs, cum potationes non noceant, aßiduè tamẽ ex medicatis ipsis perfusiones exiccant, aureis, aeneis, miniatis, aeruginosis, ac arte cum pompholyge paratis. In vniuersum omni inueterato oculorum affectui duccia baln. in occipite adhibita propria est: vbi nimirum eorum nerui habent originem. Idem lib. 6. cap. 15. In Ilua Tyrrheni maris ob ferri metallum percelebri insula, eminet occidentali situ altißima rupes, quae tota fere coacervata pyritide lapide videtur, ac crebris hinc inde aquarum riuulis irrigatur. Quae omnes frigidißimae sunt, cum sapore tamen insigniter acri, ac adstringente, vnde & gingiuas laedunt, ac paulisper detentae in ore stuporem inducunt dentibus. Vtiles occularijs remedijs, fluxionibus nimirum, ac lachrymis spontaneis, & rubentibus ex ea caussa oculis conspersae. Idem lib. 6. ca. 5. Aqua de Grotta vel ipso vapore spiritus visiles instaurat etiam senibus. Visum acuit, fistulas lachrymales, lippitudinẽ, suffusionem que cohibet, Sauanarolae. Idem l. 3. c. 1. Visum instaurant etiam sanis ac senibus aeneae aquae, vt Viterbiensis aqua tam nobilis, Ferinae item & Tigurinae epotae, & ex minio in Hispania peculiari proprietate. Rulandus, Visum restituunt, conseruãt, obscuritatem auferunt Dalfingenses, Castein, Laubach, Spigelberg, acida ochra infecta. Brintzbach vltra Rhenũ scaturientes ex aere & ferro, Piperinae, Syluestres, Löffingen & nitrosae aliae. Itẽ, Contra oculorum vitia valent Neubrun, Badenweiler, Fideris. Item: Ad oculorũ humiditatẽ, fluxus, lippitudinem prosunt Badenses Herciniae, Aegranae iuxta Bohemiã acidulae infectae chalcãthe, aere & ferro, Vveringenses, Leucenses, Spigelberg, Abech, Zuckenthal, Annaebergenses,

Oculorum pũctiones. Lippitudo. Caligines. Hyopochy. Lachryma ex fistula. Lemae. Duciae vtilitas. Aqua Iluae Insulae. Visum instaurantes. Aquae in Brintzbach. Ad lippitudinem.

Dalfingenses, Glottenses, Keſwaſſer, Niderborn, Vvolckenſtein. Item: oculorum claritatem confirmat, lachrymas ſiſtit, & omnem fluxum ac oculos roborat aqua frigida dulcis pota, & ſi ex ea lauentur mane oculi, vel in eam aperti immergantur & manus ex ea poſt cibum lauētur crebro: & ex ea ſubcalida pedes ante lecti introitum abluantur. Item oculorum ſuffuſioni & Hypochyſi conferunt Badenſes Heluetiæ, Caſteininæ, Annæbergenſes. Oculorum albugini, Vvaldsborn. Oculorum carnem excreſcentem aufert Spigelberg acidula. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponenſi, Stillicidium huius aquæ conducit ad reſolutionem oculorum. Item cap. 26. Vidi ex vſu balnei de Corſena cæcum quendam ſanatum: in eo eſt ſal paucum, nitrum copioſum non valde acre, calx copioſa. Andernacus, Aquæ medicatæ in Brintzbach ære & ferro imbutæ balneæ viſum acuunt. Idē, Aquæ medicatæ Ribbad prope Friburgum ære & ſulphure infectæ oculis conferunt, renibuſque calculoſis: ſcabiem diſcutiunt. Idem, Aquæ in Apulia Sudatoriæ dictæ viſum accunt, lachrymas ſtringunt. Aquæ à Bulla capiti, oculis, iecori, lieni, & vtero idoneæ in caput datæ defluxioni & oculis ægris medentur. Aquæ Locris Neapolitanis magno in vſu quemuis dolorē anguſtiamq́ tollunt: capitis & oculorum fluxionibus, caligini opitulantur. Idem, Aquæ calidæ Leucenſes ære copioſo & ſulphure infectæ oculorum obſcuritati & lippitudini proſunt. Ioh. Göb. dicit de ſuis aluminoſis aquis S. Iobi: conferre oculorum doloribus à ſuperfluitatibus ſi ijs aquis abluantur: in alijs affectibus applicari occipitio vel ſtillicidio adminiſtrari: vtiles eſſe ad hordeolum & alios oculorum morbos ſolas vel cum alijs mixtas: exemplo eſſe ſenem nobilem, qui cùm conquereretur de viſus imbecillitate & obſcuritate ob humiditatem multam oculorum eis aquis vſus aſſerebat caliginem omnino ademptam, & optimè reſtitutum viſum. Cauſæ quæ me mouent vt exiſtimem præcedentibus oculorum affectibus poſſe prodeſſe aquam fontis medicati Bollenſis, ſunt facultates à Dioſcoride attributæ Pyritæ lapiti: cum ait excalfacere, abſtergere, offuſam oculis caliginem expurgare, excreſcentiam in carne cohibere: & quemadmodum ante annotauimus, mixtura pauci ſalis, copioſioris Gagatæ vel bituminis, iuxta mixturam Beliluc. minorem tamen. Salis enim vel minima portio facit ad abſterſionem. Præterea ex facultatibus lapidis Gagatæ à Dioſc. aſcriptis. Poteſt etiam demonſtrari quibuſdam affectibus oculorum vtilem eſſe poſſe aquam Bollenſem, quia vis ei molliendi & diſcutiēdi: qua facultate etiam præditum Bitumen eodem authore, cui quoque lib. 1. cap. 83. Naphtham vocat Babylonij, bituminis colamen colore candidum, interdum nigrum, ad ſuffuſiones oculorum & albugines vtilis. Galeno etiam tributa Bitumini vis reſiccatoria tum excalfactoria in ſecundo ordine: quæ facultas moderatè calfaciens vtilis eſt oculis, quia violentiora acria ferre non poſſunt. Cur non etiam liceat de noſtro pyrite addere in tenuiſſimum puluerem redacto ſupra lapidem marmoreum?

Ad oculorū claritatem.
Aq. frigida.
Lotio pedū.
Ad ſuffuſionem.
Aq. Aponēſ.
Cœcus ſanatus aquá Corſena.
Aq. Brintz.
Aq. Ribbad.
Aq. Sudatoriæ.
Aq. à Bullæ.
Aq. Locris.
Aq. calidæ Leucenſes.
Aq. S. Iobi.
Hiſtoria.
Bollēſes ad oculorum morbos efficaces.
1. Ratione ſalis
2. Ratione Gagatæ.
3. Ratione Bituminis.
4. Ratione pyritæ.

Ad aurium affectus CAP. XXI.

Ad aurium vario morbos Belilucanarũ vsus

AVrium affectus, Dolor ex intemperie frigida sola, aut intemperie cum materia frigida, crassa, glutinosa, flatuosa: Tinnitus seu sonitus ex flatibus: Grauis auditus & surditas recens ex crudis craßisque humoribus mitigatur potu aquæ per plures dies continuos. Purgato satis corpore laticem infundimus auribus & effundimus. Crassamentum exsiccatum addito sulphuris & styracis calamitæ modico, more suffitus per acetabulum excipimus, item feruentium aquarum vaporem teste Plinio. Vlcera sordida, purulenta, sordes, caro excrescens, vermes, calculi vel alia corpora immissa exigunt frequentem ablutionem internam & externã aurium aquâ thermarum Belilucanarum per se aut stillaticiâ. Post madefiat in aqua emmotum: id auribus imponatur per horæ semissem. Extrahatur, & aliud crassamento limouè imbutum indatur. Interea decumbat æger, non dormiat in aurem affectam, Dortom. In eandem sententiam Baccius lib. 3. cap. 1. Eisdem porrò balneis ac eadem ratione aurium morbis medendum quas iam capiti, ac maximè à causa frigida applicuimus. A frigida enim ac immersa in illis partibus materia plerunque fiunt obstructio, sonitus, surditas, grauitas, & hinc ex distentione dolor, tumor, humiditas, purulentia, quibus omnibus necesse est per discussoria balnea medicari. Quales inter Italiæ Duccias sunt illæ tres præcipuæ, S. Philippus, Corsenum & Aponus, quibus ad prædictos affectus communiter hodie vtimur certißimo successu. Facit & nitrata aqua infusa tepens, quæ & vermiculos intus necat aggeneratos. Faciunt & Astruni balnea sub Puteolis, & balnea Carpi virtute partiali, omnia calida subtilis essentiæ, ac digerentia. Nec minimè in potibus vtiles & tam in calidis quàm in frigidis Aeneæ aquæ, quibus prima iuuandi sensoria tribuitur, vt sub Viterbio Grotta lasielli, ac Nausei dictæ, Leucẽses, Fabarienses, Ferinæ, Tigurinæ, huiusmodique aliæ. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponensi. Stillicidium huius aquæ conducit ad aurium sibilum: ad tinnitum & ad surditatem præsente temperie frigida & humida. Constat autem hæc aqua quæ caliditate actuali depilat sale copioso, lapide calcari & vapore sulphureo. Item cap. 26. Ago maximas gratias Deo optimo maximo quod balneum de Corsena construxerit, videtur propria ipsius manu efformatum: Cum essem penitus surdus, ex geminato stillicidio eius accepto totum fere auditum recepi: Vidi etiam alios surdos ex vsu istius balnei fuisse sanatos. In eo inest sal paucum, nitrum copiosum non valde acre, calx copiosa duplo & triplo aliam superans materiam in eo balneo contentam: Et quamuis aqua calidißima sit, tamen non nisi paucus vapor sulphureus inest. Andernacus, Aquæ Vvembdingenses manufactæ calidæ, surditatem & flatus aurium dißipãt. Idẽ, Aquæ in Apulia à Petra dictæ omnes capitis molestias dißipant, surditatem, oculorũ caliginem, suffusionemque discutiũt: pectori & cordi salubres. Vvaltherus Riuius: Pfefferbad Rhetorum constat auro, sulphure, & sale nitro, restituunt auditum deperditum. Iob. Gōb. aluminosas aquas S. Iobi vtiles

Bal. discussoria ad auriũ morbos.

Nitrata.

Stillicidiũ Apon.

Surditas curata balneo Corsen.

Aq. Vvemb.

Aq. à Petra.

Aq. Pfeffer.

Aq. S. Iobi.

esse scribit ad tinnitum aurium ex craßis vaporibus fotu administratas: per stillicidium posse etiam ijs curari veterem aurium sibilum. Rulandus, Ad aures & auditum valent aquæ Piperinæ, Keßwasser, Laubacenses, Dalfingenses, ac lotio pedum cum aqua calida dulci ante introitum lecti. Ad aurium sonitus, tinnitus flatus aquæ in Lôffingen, Antegast, Zuckenthal, Dalfingenses, Piperinæ, Badenses Herciniæ, Austriæ, Annæbergenses, Villacenses, Abecenses, Teplicæ, Syluestres, Vvendingenses & nitrosæ. Contra aurium fluxus & humiditates valent Dalfingenses Keswasser, Margraffbaden, Vvolckenstein acidula in Kissing & Vvehr. Contra aurium dolorem frigidum valent Vveringenses, Vvaldsbron. Aures purulentas, inflammatas & tumefactas sanant aquæ nitrosæ instillatæ auribus. Item, Surditatem remouent nitrosæ Dalfingenses, Brigerbad Neubrun, Badenses Austrasiæ aquæ calidæ multum sulphuratæ, parum nitrosæ ac aluminatæ Antegastæ nominatæ, Abecenses, Teplicæ, Villacenses, Vvendingenses, Piperinæ Spigelberg. Non minus emolumenti ad affectus quibus obnoxiæ sunt aures ex Bollensibus sperem. Succino quippe nigro siue Gagatæ lapidi vis est ἐπισπαστική: idemque serpentes authore Diosc. fugat: Bitumen discutit: Pyrites abstergit &, attestante Galeno, consistentia grumosa in spacijs musculorum intermedijs nata, per halitum digerit. Vbi tinnitus aurium, dolor, & surditas à frigidis humoribus, id dederim consilij vt peractis generalibus quæ totum corpus respiciunt pro topico recipiatur in aurem vapor per infundibulum incoctis aliquibus herbis conuenientibus: deinde apponatur sacculus plenus tenuissimo puluere bituminis & succini, madefacti in feruenti aqua fontis nostri. Si aqua in aures illapsa, vel animalcula, festucæ, puluis & similia sacculum ex tenui & rara tela plenum bitumine & Gagate, calidè suaserim superligari auri. Si calculi vel similia magna corpora, vt aliquando vidi nucleum allij, aquis medicatis præferrem lubricantia & relaxantia vt olea amygdalarum dulcium, violarum, liliorum & similia. In historijs nostris legitur patrem filiolum trimum, fere ab ortu statim ichore croceo manantibus auribus, cum maligna crustosaque faciei scabie, grauique inquietudine conflictatum, potu & lotione aquæ Bollensis incolumem reddidisse. In purulentis auribus non improbarim etiam balneū præmißis præmittendis, ac stillicidium: nec non iniectiones pulueris pyritidis tenuißimè triti cum aqua mirabili.

Census balneorū ad aures facientium.

Ad sonitum.

Ad fluxum.

Ad dolorē.

Ad purulētas aures.

Ad surditatem.

Accommodatio aquæ fontis admirabilis.

Ad illapsa in aures.

Aures fluentes.

Ad πυοῤῥοῦντα.

Ad narium affectus. CAP. XXII.

N*Arium affectus, olfactus deprauatus ab humore crasso obstruente ossa Ethmoidea, Sarcoma, Polypus, Ozœna vlcus ab humidis, craßis, putridis humoribus, aliudue narium vlcus, curantur potu multo ac frequenti aquæ Belilucanæ, naribus Errhini modo aqua attracta è vola manus, ore pleno aqua communi frigida. Fœx exsiccata vel exusta, item reliquiæ aquarū vstæ & rursum lotæ hîc conferūt, vt etiam in aurium sordidis affectibus, Dort. Baccius*

Potus. *lib.3 cap.10. Per potuum ministeria iuuant æneæ, nitratæ, idque genus aliæ purgantes aquæ, de Grotta, de Tiguro, Porretanæ & his aliæ consimiles. Nec minori efficaciâ ad abscessus iã incipientes occurrunt, trahendo ad infima, ac vacuãdo, quemadmodum cõspersæ plumbeæ iam factis vlceribus, Ozenæ & Polypo, quales in Lotharingiæ montanis, vel arte ex delato plumbo comparatæ, & item Albulæ prope Romam per Alumen dilutæ, omnem fœtorem leuando. Rulandus, Cõtra narium, sedis & aliarum partium excrescentias valent aquæ Niderborninæ, Glottenses. Item, Narium excrescentiam, Ozænam, Polypumq; curant, Castein, Zuckenthal. Item, Nares à morbis eiusque olfactum conseruat aqua dulcis frigida vel tepida naribus attracta: idem præstant Annæbergenses. Vtilem futuram aquam mirabilem Bollensem supradictis narium morbis, apparet ex facultatẽ quæ tribuitur à Tabernœmontano aquæ quæ Pyriten lambit: nempe curandi cancros & fistulas: quò pertinet & illud à Dioscoride proditum, cui Pyrites abstergit, durities concoquit & concocta discutit. Et inter historias nostras vna de quodam laborante vlcere narium & herpete sub axilla, qui pertractatus quasi laboraret lue venerea, cuius sanè suspicio, nec curatus, nisi vsu aquæ medicatæ Bollensis in balneo & potu. Placet balneum, attractio in nares aquæ nostræ medicatæ, dum balneabunt & extra balneum, linimentum paratum cum butyro, puluere lapidis scißilis & pyrite tenuißimo.*

Abscessus narium.

Thermarũ index ad nares facientium.

Bollenses.

Ad sanguinis profluuium ex naribus aut alia etiam ex parte. CAP. XXIII.

Aq. Cellens. A *Quæ tepidiusculæ Cellenses sanguinis profluuio ex naribus aut alia etiam ex parte non solum in potu, sed etiam in balneis singulariter prodesse multis exemplis didicimus: maximè in Nobili viro qui sæpius quotannis immedicabili sanguinis fluore per nares ad mortem vsque laborare solitus erat. Hic cum istis aquis quotannis bis vteretur, reliquo tempore nihil incommodi sentiebat: Cum autem intermitteret, rursus in morbum incidebat, Andernacus. Idem, Aquæ, Vinadi in Pedemontio ferreæ potu sanguinis fluori vtiles: confirmant ventriculum: similes etiam sunt apud Pisas Reginæ dictæ. Baccius: Salsæ autem & atramentatæ sanguinis ex naribus fluxum retinere valent, vt aluminatæ omnes, ac nitratæ etiam in fotibus, plumbeæ, ferratæ & quæ gypsum ducunt. Item lib.1. cap.1. Iure balnei ac potuum adstringentia faciunt sanguini vndecunque mananti aluminatæ, vt Albulæ & Porretanæ: ferratæ vt Sancti Caßiani omnes, villæ Lucæ, Caldanæ Pisorum, Caldarianæ Veronæ, Plumbeæ in Lotharingia, atramentosæ in Volaterrano, aqua ex gypso, & quales emplasticæ S. Victoris sub Fabiano concalefactæ, & in balneis adhibitæ. Et demum quæ valde conferunt arte paratæ, ex hematite lapide à proprietate, ex rubrica sinopidæ, antimonio schisto. Si sanguis ex naribus effluat larga & improuisa ægro frigidæ multæ aquæ affusio prodest mirificè. Rulãdus, Fluxus sanguinis narium aliarumque partium supprimunt aquæ Cellenses, Lõffigenses. Acidulæ in Kelich,*

Historia.

Aq. Vinadi.

Aq. Regin.

Elẽchus aq. ad hæmorrhagias.

Keßing, Göppingens. Kesselborn & ferratæ: & aqua frigida dulcis fronti & ceruici crebro apposita. Hæc ille Obnoxijs hæmorragiæ è naribus nihil præstantius venæ sectione ad præcautionem & curationem: quanquam ad præcautionē etiam non improbem purgationem per potum aquæ fontis Admirabilis: deinde mediocrem potum inter cibos, acidularum. Si quis lauere velit, caueat à calidiore lauacro & diuturniore mora. Fluente sanguine confert aquam frigidam continuo in ore tenere, cum incalescit mutandam, sæpe in nares trahere, addita argilla vel bolo: Vtile etiam alterutri narium imponere turundas ex pilis leporinis non concisis vt præscribit Guido & alij, intinctis in linimētum ex aqua frigidißima, argilla vel sanguine Herculeo aut bolo, ac albumine oui.

Præceptiones in hæmorrhagia cōpescēda.

Ad Scrophulas & Bronchocelen.

CAP. XXIIII.

Scrophulis ex pituitoso melancholicoq; humore ortis, Bronchocelæ niuosarum aquarum potu contractæ, potu & litu præsentaneo aquæ Belilucanæ, aquarumque partes præsidio sunt, Dortom. Aquæ thermales, inquit Fallop. de thermis cap. 7. potu acceptæ iuuant tantum illas partes per quas transeunt & quas fouent: Partes verò illæ quæ nec tanguntur, nec fouentur, puto quod non iuuentur. Adiuuantur fauces & quæ circa fauces sunt earum puto, & ideo antiqui exhibebant aquas Pinnæ Vestinæ vocatas ad discutiendas strumas vt ait Vitruuius lib. 8. c. 7. Andernacus. Aquæ rubræ quasi frigidæ Lucenses æratæ aluminosæ potæ tonsilis, auribus, vuæ & oculis commendantur: has calefacere oportet. Ioh. Göbel dicit aquas aluminosas S. Iobi curare bronchocelen. Baccius de ther. lib. 4. cap. 9. In Baianis est Scrofæ balneum, quòd à scrophulis sanandis dicitur ad vitia quoque cutis perutile. Item lib. 3. cap. 1. Broncocelas autem, id est deformes sub gutture tumentias, Gibberosi ebibita aqua sub Baijs pollicetur ex proprietate reprimere, balneum ex bituminosis aßiduè vsurpatum, Plumbeum in Lotharingia, ex ochra vel æruginibus paratæ aquæ. Sicut scrophulas subnascentes abolere Scrophæ balneum item in Baianis & digerentia, & calida alia diutißime fota, vt nitrata calentia, ac item ebibita, quales placuit Vitruuio celebrare Subcutilas aquas in Sabinis, pariterque fomenta ex bituminosis, ferreis, plumbeis, & ex braßica parata. Ruland. Glandularum mala depellunt Carolinæ, Glottenses. aluminatæ, ferratæ ore retentæ. Item, Strumas discutit ac pellit Zuckenthal, Vvolckenstein, Carolinæ, Annæbergenses & nitrosæ. Iam verò & vsum aquarum fontis admirabilis posse non sine successu prædictis morbis vsurpari nō dubito, priùs benè repurgato corpore, obseruata victus ratione tenuißima cum multo labore: quali vtuntur Hispani scrophulosi cum veniūt in Galliam vt tangantur à Rege, prouocato multo sudore, parato cœno ex aqua, pyrite & lapide scißili vstis ac etiam ipso Gagate & bolo. Scrophulosis profuisse in historijs annotauimus.

Aq. Pinnæ Vestinæ. Aq. Lucēses.

Scrofæ bal.

Scrophulæ.

Glandulæ.

Bollensium administrādi ratio in Bronchoe. & Scroph.

Ad labiorum, oris, palati, faucium, tonsillarum, & vuulæ affectus. Cap. XXV.

TVmidis & concisis labris ob frigus mederi aquas Belilucanas dicit Dortomanus. Idem præstare posse nostras Admirabilis fontis non dubito, si eâ sæpe eluantur, linteolis pòst superdatis. Ad id etiam vtilis erit Axungia Lunæ cum butyro vel oleo amygdalino. Iuuant, inquit Baccius, peculiari facultate os ac fauces æneæ aquæ, vt Grotta tam celebris, & Tiguri in Gallia, & quæ in balneis Auinionis scatebra ænea, & Leucenses in Valesijs. Deinde nitratæ, & quæ pro tenui substantia mouent, nec secus collutæ omnes. Tonsillas cohibent, columellæ inflammationem, tumoremque restringunt eædem, & ad Villam sub Luca potiones, collutionesque, ad Porretanas, ad Tigurum, ad Viterbium. Fauces aperiunt vocem instaurando eædem, Nitrata, & præsertim Bracchula, & ex Petroleo, sub Baias ebibitæ, Astrunum balneum, Tigurinum, Lotharingicum, Leucense & Zanæ in Africa Anginas ac pleuritides arcent. Rulandus, Fauces & os ab anginâ, fluxionibus alijsque malis præseruat collutio oris ex aqua frigida dulci. Item aquæ Lucenses. Item: ad vuæ affectus conducunt Vveringenses, Vvolckestein, Gypseæ. Item: Ad oris vitia conferunt æreæ, aluminosæ, Annæbergenses, Aquisgran. Glottenses, Leucenses, Piperinæ, Vvolckenstein ore retentæ. Tonsillas affectas sanant æreæ aluminatæ, Kesselborn, acidulæ infectæ ferro, ære atque calcantho, Kißing, Vvolckstein, & acidulæ pleræque: Item ferratæ, gypseæ, nitrosæ ore retentæ. Item ad vuæ affectus conducunt Glottenses, Leucenses, Vveringenses, Gypseæ per crebram collutionem oris. Hæc ille. Non video cur non poßint nostræ aquæ eadem præstare, quæ præcedentes collutæ frigidæ vel calidæ pro ratione & tempore affectuum, per se vel addito sanguine Herculeo aut Axungiâ Lunæ priore. Historiam habemus puellæ curatæ à defluxione in fauces potu & collutione.

Tonsillarũ & columellæ inflammatio. Ad fauces. Vuæ affectus. Tonsillæ. Aquæ Kesselborn. Bollensis vsus in faucium affectibus.

Ad Aphthas gingiuarum & dentium affectus ac scorbutum, Cap. XXVI.

AQuæ Belilucanæ medetur oris affectibus & vlceribus aphthodeis pituitosis ablutione potißimum: Epulidi carnis excrescentiæ in gingiuis, humidis excrescentibus gingiuis, Dortom. Facit verò ad gingiuarum abscessus colluta tepida efficaciter vel nitrata, vel salsa. Corrosis verò ac laxis, sicut & dentium infirmitati quæ nimirum ex acri & salsa è capite fluxione dependent, non vulgari auxilio faciũt quæ ad destillationes supra retulimus, potationes, balnea, discussoriæ aspersiones Sicut collutæ salsæ, montis Catini in Tuscia, Aquarij oppidi in Aemilia, Succellaria Baiarum, Porretanæ & Albulæ, ambæ ex alumine, Caldanellæ cum ferro, & quæ variæ sunt tituli S. Bartholomei sub Patauino, Astrunum à proprietate, Carporum balneum, & Veronense. Inflammatis cruentisque

Aquæ Belilucanæ. Gingiuarũ abscessus. Gingiuarũ inflãmatio.

tisque ac multa acri humiditate fluentibus gingiuis magnopere conferunt aquarum dulcium, & temperatarum balnea ex Aëtio. Faciunt porrò prædictæ minerales omnes ad confirmata iam vlcera, aphthasque quocunque vsu omnes, & præterea ex antimonio parata gargarismata, ex æruginibus fortiora, ex auro inter naturales sub Fabaris, & ex ochra quales habentur in Germania quædam. Iac. Theod. Tabern. Aquæ pyritæ tribuit facultatem Scorbutum & Aphthas (Mundfaul) *si ea sæpius os colluatur, curandi. Rulandus: Gingiuarum putredinem, humores, carnemque superfluam sanant aquæ ferratæ, aluminatæ, salsæ, Abecenses, Aegranæ, Annæbergenses, seu S. Iobi, Vvolckensteininæ, ore retentæ. Item, Scorbutum sanant Abacenses, Aquisgranenses vel Aquenses aquæ calidæ sulphure, sale, & alumine infectæ. Hæc ille. Multis rationibus possem demonstrare aquas medicatas Bollenses & acidulas ad aphthas vtiles esse, si mihi omnia sæpiùs repetenda esse existimarem. In ijs interim laudarim potum ad euacuationem nostrarum, deinde acidularum post euacuationem, ablutionem ex vtrisque, linimentum paratum cum melle, pulu. tenuissimo belemnitæ, pyritæ, & marmoris metallici. Sed etiam dentibus sui sunt dolores, sui morbi. Dortoma: Dolori dentium ex frigiditate sola aut frigidis humoribus, dentium deturpationi & decolorationi ob humores viscidos, lentos, & fuliginem, medentur Belilucanæ thermæ. Andernacus, Fons Vvaldsborn lapidibus bituminosis infectus valet ad capitis defluxiones, dentium dolorem & aurium ex frigida causa natum. Ioh. Göbelio aquæ aluminosæ S. Iobi prosunt doloribus dentium diu ore retentæ: eiusdem frequenti collutione dealbari & repurgari dentes qui incipiunt corrumpi prodidit. Ruland. Dentiũ dolorẽ auferũt Syluaticus fons Vvaldsborn, Abecenses, &c. calidæ siccæ per collutionem adhibitæ. Dentes mobiles confirmãt & sanos conseruant aquæ Aegranæ, Annæbergenses, Casteinenses, Vvolckensteinẽses, & aqua frigida dulcis qua os sæpe colluitur. Hæc ille. Qui conferet mineralia nostri fontis cum præcedentibus, comperiet nostras aquas idem posse præstare quod præcedentes.*

Vlcera oris & Aphthæ. Gargarismi. Pyritæ aq. Scorbutus. Epulis, Stomacace. Aquæ resistẽtes scorbuto. Accommodatio. Ad dentiũ affectus. Beliluc. aq. Vvaldsborn fons. Aq. S. Iobi ad odontalgian. Ad mobilitatem.

Ad Raucedinem. CAP. XXVII.

Rauis seu Raucedo, à Borea flare incipiente: Nam tertio die, hoc est postquã aliquamdiu inualuerit vix huius inæqualitatis vocis causa existit, sed aut pluuijs mitescit, aut assuetudine se toleratu facilem reddit: Ea sine potu aquæ Belilucanæ mitescit fumum hauriente & in calido balnei solio versante sat diu ægro, Dortom. Baccius lib. 5. cap. 6. Bracchulæ ex natura æris sulphure non mediocriter participantes, grossas fauces subtiliant (bronchocelas vocant) raucam vocem ebibitæ claram reddunt. Idem lib. 3. cap. 1. Vocem clarificant aperientes ac tenuis naturæ epotæ balneæ, & eædem nitratæ, Tritolæ & Iuncariæ & Astruni aquæ sub Puteolis. Petrolei fons ad Baias de natura bituminis, Grotta, Tigurum, ac similes ex ære, Fiuncella, Porretanæ & Carpi ex ferro ac

Aq. Beliluc. Aq. Brach. Vocem clarificantia.

alumine, & nitro, & ex Sandaracha aquæ, qualis Zame fons, in Aphrica. Balneis vero vtendum his ex dulcibus aquis frequenter, ac cibos comedent qui erosionis sint expertes, ac laxent. Cauenda autem his qui vocis affectiones patiuntur balnea quæ nimis exsiccant. Item lib. 6. cap. 5. Aqua à Grotta sub Viterbio asthma concoquit, anhelosa suspiria mitigat, vocem cantoribus clarificat, quod æri tribuitur, & faucium morbis medetur. lib. 6. cap. 13. Ex authoritate Varronis
Aq. Zamæ. aquæ Zame in Aphrica canoram facientes vocem. Rulandus: Raucedinem, graue-
Ribbadeses dinemq́; tollunt Ribbadenses quæ constant ex maiore parte sulphuris, minore æris: Vvaldsborn: & calida aqua dulcis ore retenta. Est & inter historias no-
Bollenses. stras videre aquam fontis Admirabilis facere ad raucedinem, felici Concionatoris experimento. Quæ si etiam ex faucium vlceribus nata sit, vt sæpe elephanticis vsu venit, collutionem è Bollensibus frequentem commodaturam haud dubitē.

Ad affectus linguæ & tumorem, ranulam, paralysin, mutitatem.

CAP. XXVIII.

Aponenses. LInguæ tumori vtiles Belilucanæ, ac batrachum seu ranulam ex pituitoso sanguine sanant, Dortom. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponensi: Stillicidium huius aquæ facit ad resolutionem linguæ. Rulandus: Linguæ nimiam humiditatem, paralysin sanant Piperinæ, Annæbergenses & consimiles. Mutos sanant Neubron & Spigelberg cui aqua acida ochrâ infecta. Ranula cum non paruus sit morbus neque facilè vnico aquæ medicatæ remedio possit curari, doctum & expertum Medicum tum in aquæ tum aliorum præsidiorum vsu
Bollenses. & administrationis consilium adhibendum esse censeo. Ad tumorem verò & paralysin linguæ inseruisse posse aquas medicatas sperem, si omnia ritè administrentur, vt affectis Hemiplexiâ: euaporationibus potiùs vtantur quàm multo balneo. Stillicidium etiam placet, additis caput roborantibus & exsiccantibus: ac crebræ ex calida collutiones & retentiones in ore additis stomaticis, vt melle anthosato, conseruâ primulæ veris & similibus. Ad mutitatem etiam nostras aquas vtiles existimo, potissimùm si sit à resolutione vel paralysi, nec quælibet mutitas vel aquis medicatis ac etiam alijs remedijs curari potest.

Ad rupta & vulsa circa omoplatas, ad dolorem clauicularum, scapularum: ad gibbos.

CAP. XXIX.

RVpta & vulsa circa omoplatas ob villorum fibrarumque in musculis dorsi solutionem continui, per interualla dolorifica, limo aquarum mitigantur. Postquam inaruerit limus, balnei aqua eluatur vt recens & crudus denuo imponatur, idque pluribus repetatur per quatriduum vicibus manè, meridie & vesperi. Clauicularum scapularumque dolor ab intemperie frigida simplici vel

cum materia, immersione in aquam, fotu eiusdem crebro & cœni luto in aprico, aut alio loco mundo & sereno planè mitigatur, maximè si cœno parum olei lumbricorum, vulpini, vel de castoreo commisceatur, Dort. Eadem in iisdem affectibus, pariq; successu vt confidimus, erit Bollensium administrandarum ratio, tum vapore excepto, tum limo è pyrite, lapide scißili, bitumine & pauca argilla confecto subactoq; imposito. Cum sæpe gibbi à causa ictuue accidant, non immeritò videtur subiungendum, quid huius causa à thermis sit sperandum. Andernaco, Gibbos discutiunt Vvembdingenses aquæ manu factæ calidæ. Ego quidem Gibbum nullum solo vsu aquarum medicatarum curari posse credo: Non negarim tamen vtiles esse eas cum cæteris remediis tum maximè vbi partes ab ictu casuuè labefactatæ sunt roborandæ, nec non vbi principiũ à defluxione pituitosa: Tunc laudarim præmißis præmittendis Stillicidium in partem addendo aquæ admirabili, chamepytim, saluiam, roremmarinum & similia: postea superimponendo lutum factum ex aqua admirabili, pyrite, lapide scißili & bolo Tecksiano, vel etiam argilla. Oportet etiam ægrum gestare thoracem durum loricamuè comprimentem partem quæ incipit protuberare, cuius conficiendæ aliquot modi docentur in lib. med. Il. Principis Domini Ludouici Ducis Vvirtembergici. Gibberosis vt cõferant aq. medic.

Ad mamillarum & papillarum affectus.

CAP. XXX.

MAmmæ sororiantes, turgentesque citiùs & plus quàm deceat ob humorum seu vaporum eò inclinantium orgasmum, mensium tardiorem eruptionẽ cutem vniuersam densiorem & perspiratu difficiliorem, sident si per dies quatuor pluresuè aqua Belilucana potetur mane & vesperi ad dosin lib. i. ß. his diebus elapsis foueantur mammæ liquore hoc: demum post fotum illinãtur fece balnei, admixto ei melle cocto & despumato simplici, anthosato, vel anacardino. Dort. Ioh. Gõbelio aquæ aluminosæ S. Iobi mulierum mammas contrahunt, duriores & firmiores reddunt si crebro linteola in aqua madefacta illis applicentur additis aliis astringentibus. Pantal. de thermis Tigurinis cap. 18. dicit eas facere ad mulierum pendulas mammas, eas contrahere & duriores reddere, potißimum si simul ad noctem lintea madefacta in succo prunellorum sylu. & aceto applicentur: eas mulieres posse etiam bibere aquam. Baccius, Fontanalem dictam in Puteolano aquam promittunt lac multiplicare, cum id tamen naturæ opus sit. Nam lac exsiccare artis quoque est, vt cum mamillas infantariis copiam lactis non sustinẽtes marina aquâ aßiduè fouemus, vel ex Grotta sumptis, vel ex plumbeis in Lotharingia, hisq; similibus extenuantibus. Rulando authore mammis laxis conferunt Annæbergenses. Supra dictis vitiis confert aqua admirabilis si addatur puluis fluorum alborum marmori similium, & belemnitæ, ac parum aluminis. Vtilem alioqui lapidem scißilem nolim addi, ne prauum colorem imprimat, nec cætera adstringentia quæ id facere possunt, vt gallas & ma-

Mammæ turgentes. Fotus mãmarum. Litus. Mammæ pendulæ. An aq. lac multiplicẽt. Mamillæ laxæ. Accommodatio.

licorium. Non absurdè & mammarum tumores (etsi de tumoribus in genere suo loco dicetur) propter affectam partem eandem meminerimus. Dortom. Tumor mammarum à flatibus ortus: Scirrhus earundem ad modum scrophularum perceptibilis, ob frigida repellentiaue remedia humores cogentia in glandulosas mammarum partes potum aquarum Belilucanarum expetit, non qui vacuet per multos dies, sed qui calefaciat. Ob id primo die vacuandum assumptis aquæ lib. duabus vel tribus. Sequentibus diebus sumat lib 1. vel 4. vel 5. tantum, vt eisdem tum etiam mergi poßit. Foueantur mammæ, liniantur cœno addita axungia crurum vituli. Rulandus, Mamillarum duritiei tumorique Casteminæ. Mammarum vlceribus Badenses Herciniæ & consimiles conferunt. Hæc ille. Censura. *Ad tumorem mammarum & vlcera non improbo balneum & fotum aquarum nostrarum. Ad tumores probo vsum bituminis triti cum aqua ad fotum moderatũ, ne plus attrahat quàm resoluat. Vlceribus in exitu balnei inspergi potest puluis crustacei lapidis adhærẽtis cacabis, vel pyritæ aut lapidis scißilis tenuißimè triti per se vel cum melle. De cancro mamillarum, Cap. de elephantiasi dictum est. Papillarum autem tumor Dortomano, carnis excrescentia, fissura ex humorum copiâ & frigore, fotum ex aqua Belilucana, litum è cœno flagitant. Simili ratione papillis affectis vtilis erit lotio ex aqua fontis nostri tepida & linimentum factum ex axungia Lunæ prima, pyrite tenuißimo & butyro.*

Ad Lactis correctionem. CAP. XXXI.

LAc frigidius, serosius, humidius in obesis fœminis, alijsuè quibus tale existit ex causis externis seu internis, calescit diutinâ & frequenti potatione Belilucanæ aquæ, in pauca tamen quãtitate, lotione balnei, fotu mammarum ex aqua lutosa. Potu distillatæ huius aquæ cum saccharo in prandio & cœna: vsu reliquiarum pro sale in obsonijs. Sparganosis. *Colostratio autem seu in Casei grumique morem lactis coagulatio in mammis ob copiam non exucti lactis vel frigus, potum, fotum, & litum aquarum Belilucanarũ desiderat, vt tumor mammarum, nisi quod in litu mel scylliticum cæteris sit præferendum, Dortom. Medicus assistẽs ægrotæ poterit præscribere vsum aquarum medicatarum admirabilis fontis & acidarum pro ratione personæ & imminuti lactis.* Præceptiones in aquarum potu. *Si obesa mulier, conferet repurgatio per cathartica & aquam: deinde balneum, non tamen calidius & sine longiori mora, proderit & fotus mammarum. Si calidiori sit temperamento præsertim hepate, os amarum & cibi minùs sapiant, suspicioq; subsit viscera biliosis humoribus redundare, euacuatio instituetur ex aqua admirabilis fontis. Sin difficiliùs ægrotæ aluus soluatur, neque efficaciter ob id vires suas aqua exserat addetur trochiscus semis axungiæ Lunæ secundæ: celebrata purgatione, ad intemperiem calidam corrigendam, acidularum potum præfero. Non oberit etiã ijs quæ sero abundant interdum excepto vapore mouere mediocriter sudores. Cæterum in colostratione, aquas nostras probo. Cum enim bitumen teste Dioscor.*

dissoluat concretum sanguinem non potest non prodesse litus cum pauca argil a bitumine tenuißimè trito, pauco aceto addito etiam oleo rosaceo : Fotus quoque Bollensium intinctis pannis tepidè sæpius applicitis, quo impediatur inflãmatio.

Ad Alarum, inguinum & pedum fœtorem.

CAP. XXXII.

ALæ fœtidæ & hirquitallæ, quod commodè recipiant putrentia recrementa è grandioribus vasis calore & humore multo scatentibus ad raram, laxam, glandulosam sedem sic curantur, nisi in valde annosis. Per integram septimanam mane hauriat aquæ Belilucanæ lib. ij. vt depleatur à noxijs humoribus: altera septimana balneo harum aquarum interdiu abluatur, alas depiles confricando: lecto compositus aspergat reliquias aquæ post distillationem, quibus adeatur puluis foliorum seu granorum myrti, lentisci, tinctorum, & maximè radix scolymi. Loco salis edulus vtatur his reliquijs cum sale communi, pipere & nuce moschata inter pastus. Dort. Rulandus, Alarum sudorem & fœtorem tollunt aquæ aluminatæ, ferratæ gypseæ, nitrosæ & Vvolckensteinenses. Item fœtorem alarum, inguinum pedum auferunt aquæ Niderborn. Item, Inguinum sudorem, fœtorem auferunt aquæ Niderborn Vvolckenstein: Tumorem Teplicæ. Hæc ille. Probo si per vsum aquarum medicatarum, vt nostrarum, repurgetur corpus per aluum & per sudores: Non tamen hoc consilij dederim vt facilè emunctorijs adstringentia aut repellentia adhibeantur. Quò enim natura vergit eò ducere oportet, si fiat per loca conuenientia, inquit Hippocr. Vbi natura grauatur putrido humore seroso, quis locus commodior, quàm alæ & inguina? Similitudinis affectus & curationis ratione ducti, bona Lectoris pace, pedum quoque fœtores attexemus. Dortom. Vuidi & fœtentes pedes, multis tales ob humorum putrentiũ copiam qui putredinis fiunt participes, etiamnum cute delitescentes: aut quod crebrius accidit, per poros egreßi, neglectis vel non curatis à sordibus pedibus secundum cutem, putrere atque tum fœtere incipiunt. Abluantur igitur crebrò balnei Beliluc. aqua cui saluiæ & absinthij comæ additæ, mundis linteis. Item tertio quoque die assumant aquæ thermarum lib. ij. plus minùs mane quo tamen die à lauacro desistant. His nisi conquiescat affectus eadem methodo vtẽdum qua in alijs hirquitallis vt modo dictum. Hæc ille. Non dubitarim aquam admirabilis fontis eo modo quo Dort. docet administratam, idem præstare posse: & feliciùs meo iudicio quàm cum balneo Rulandino, quod ad fœtorem pedum recipit Aluminis m. 1. coquendum in s. q. aquæ : in qua vsque ad talos immittantur pedes mane atque vesperi & diu multumque fricentur, lauenturque. Suspectus est mihi vsus copiosioris aluminis in hoc affectu ob multam astrictionem: Verendum ne praui humores & vapores retenti tanta astrictione, creent aliquem deteriorem affectum.

Beliluc. administratio.

Epipasma.

Baln. cẽsus ad alarum hircum.

Bollens. parallelismos.

Pedum mephitis.

Astringẽtiũ nimiũ vsus suspectus.

Ad dolorem laterum externum & vlcera.
CAPVT. XXXIII.

DOlor laterum externus ex flatuum vaporumuè copiâ aut aliâ causa contractus, maximè autem frigore externo & Aquilonaria tempestate sic curandus: ablui mergique toto corpore æger debet. In balneo fricetur multum & duriter pars affecta. Egressus balneo lecto componatur, sudet copiosè. Post absterisionem sudoris, foueatur cœnosâ hac aquâ pars dolens. Hæc fiant bis teruè in die, Dort. Simili modo possent administrari aquæ medicatæ fontis admirabilis: obseruata hac cautione, ne multis prauis humoribus repletum sit corpus, neuè etiam diu æger in balneo relinquatur si suspicio vel febris vel humorum orgasmo valdè commotorum, vel iam etiam fluentium. Sed maiore cum periculo coniuncta sunt thoracis vlcera, potissimum penetrantia: quæ Dortomano scribente, si sordida fere fistulosa, ablui aquâ Belilucana debent: Emmota & puluini latice hoc madeant cùm vlceribus imponuntur. Per interualla purgatur corpus potu largiore aquæ. Iisdem proderũt nostræ aquæ admirabilis fontis potu ad purgationem, & balneo: Puluis ex pyrite & lapide scissili conferet inspersus vel admotus cum melle: & emplastrum de plumbo parentis nostri, si vlcera in thoracem non penetrent. Nulla enim talia in thoracem injcienda: nec etiam facilè penetrantia occludenda, ne retentum pus noceat, nisi consilio medici & chirurgi fiant iniectiones cum melle vulnerariarum herbarum ex aqua admirabili.

Ad thoracis & pulmonis vitia, tussim, difficultatem spirandi, & asthma. CAP. XXXIIII.

Belil. aquæ ad tussim.

ASperæ arteriæ debetur tussis quæ à defluxione aut frigida aut humida, aut ambabus oritur: cui medentur thermæ Belilucanæ, si antelucanis horis æger fumum harum aspiret: oriente sole aquetur: potet ad commodam euacuationem, idque triduo continuo. Collum cœno obducatur finita purgatione.

Ad spirandi difficult.

Ad pulmones pertinet anhelatio, spirandi difficultas, asthma ob infarctã pulmonibus pituitam crassam, lẽtam, viscidam, nisi admodum sit malum antiquatum, diutino vsu interno aquæ Beliluc. per mensem puta integrum euincuntur, si primo die aquæ potu æger purgetur assumptis aquæ lib. ij. vel pluribus tribus diebus tantum lib. j. assumat: quinto die rursum lib. ij. sexto, septimo, octauo lib. j. & sic in sequentibus. Pro potu vtatur aquâ stillatitia, loco salis reliquijs huius aquæ, Dort. Baccius, Thoracem peculiari facultate tuentur ex Sandaracha aquæ, cuius naturæ fons proditur Zame in Aphrica, Plinij testimonio. Et item æneæ, quæ attenuant, acuuntque vitales spiritus mirificè, & Nitratæ: nam è diuerso quæ indurant, vt Ferreæ, ac Frigidæ, vel opplent, obstruuntque, vt Gypseæ, ac alumine dilutæ, minùs eligibiles. Quare immersis in altum thoracis vitijs, ex

Ex Sandar. aqu. ad thoracẽ affectũ.

Aeneæ, & Nitratæ.

lento potißimam phlegmate sientibus, vt obstructiones, Peripneumoniæ, suspiriosa Asthmata, efficacißimum habetur remedium tenuium, quales diximus, aquarum potatio, in primis Grotta, & Tigurum ex ære, Fabarienses ex auro, ad vallem Sancti Marini, ac aliæ Nitratæ ad Baias, Porretanæ admistæ in Bononiensi, Carporum aquæ, & Aquæ in Liguria ebibitæ, ac similes. Asthmaticis vtilis habitatio ad Puteolos habetur, (authores sunt Medici Neapolitani) pro naturali sulphuris habitu, qui modicè siccat, atque attenuat. Vtilis porro & vocis exercitatio, cantus, & clara lectio. Cæterùm post initia purgationibus alijs prægreßis, omnia calida, ac digerentis facultatis balnea, ac etiā sudatoria conueniūt: quales discussoriæ Badeniæ in Austria, blandæ Aquisgrani in Brabantia, Miniatæ Aquæ calidæ in Hispania, Leucenses in Valesijs, multiiugæ facultatis Aponus, atque his similes aliæ modicè calentes nec vllo mineræ excessu aut astringentes, aut siccantes. Tußim verò macerant eædem epotæ, aperiendo, tenuando, educendo, vt Tritoli speciali virtute ad Puteolos, & ex bitumine aliud ad Baias, Plagæ Romanæ titulo aqua in Ischia, ac demum sub Astruno aspersiones in antiquata etiam tußi. Fallopius de thermis Patauinis cap.17. de balneo Aponensi. Thorax iuuatur ex vsu istarum aquarum: cùm pulmo humidior, nihil est præstantius quàm diuturna insessio in Aponitana aquâ quia consumit & siccat humiditatem illius. Confert etiā ad Asthma si æger diu moretur in balneo: quod nō ingredietur nisi cessarit paroxysmus. Andernacus Virebadenses aquæ calidæ admodū, vbi dolio quodam exceptæ aliquanto deferbuerint, potæ ad frigidos totius corporis humores, asthma, difficultatē spiritus & vrinæ, & aquā intercutē, &c. conueniunt. Item, Aquæ Badevillenses manu factæ calidæ iuxta oppidum vulgo dictū Vvattweil sulphureæ & nitrosæ asthmaticis ex pituita auxiliantur. Prædicat Io. Gôb. aquas aluminosas S. Iobi, valde vtiles difficili respirationi & similibus morbis originem trahentibus à frigidis & tenacibus humoribus, si mane, vt decet, bibātur vel in occipitiū stillicidiū recipiatur. Solum ipsum balneū profuisse nobili magni nominis Franco qui difficilimè spiritum ducebat & vexabatur fluxione in thoracē: cōpescuisse fluxiones in thoracē, leniuisse dolores neruorū: frigidū ventriculū calefecisse: deniq; vtiles esse admodū omnibus frigidis morbis quibus afficiebatur prædictus nobilis, à quibus multo vsu balnei sanus domū reuersus sit. Helisæus Rößlin de Alsatia & aquis Niderborn Il. Comitū Hanawensiū: spiritū habent cupri: Vbi enim vitriolū facilè reperitur cuprū. Nā vitriolū succus est metallicus, ex quo tēporis tractu fit metallū potißimū cuprū & ferrū: participant sulphure, nitro siue sale petræ: tepidæ sunt: habent sal & bitumen: curant veterem tußim, calefaciunt refrigeratum thoracem, repurgant à coaceruata pituita, valdè vtiles difficilè spirantibus, conferunt incipienti phthisi. Rulandus, Tußi medentur Cellenses, Annæbergēses, Gebersweiler. Lutterbad, Vvaldsborn, Zellersbad. Itē Asthmaticis prosunt aquæ ferreæ, salsæ, cuprinæ: ac in specie Badēweiler, Sylu. Embsenses, Badēses Herciniæ, Vvisbadē, Vvolckēstein, Vveringēses, Vvattweil, aquæ in Löffingē, Zuckenthal, Annæbergēses, Dalfingenses, Ribbadē-

Taxatio & enumeratio aqu. thoraci cōferentiū.

Ad Asthma.

Sudatoria.

Ad Tussim.

Aspersiones

Aq. Aponēs.

Pulmo humidior.

Ad Asthma.

Aq. Vireba.

Aq. S. Iobi.

Historia.

Aq. Niderb. mistura & vires.

Aqu. catalogus ad tussim.

ses, Antegast. Lutterbad. Item, Pectoris angustiam, defluxiones & & thoracis cæteros morbos omnes auferunt Cellenses, Göppingenses, Hubbad ex alumine, ære & sulphure, BadenWeiler aquæ frigidæ, sulphure & nitro infectæ, Embsenses, Kesselborn. Kißing, Idem: Spirandi difficultatem tollunt Badenses Heluetiæ, Vvaldsborn, Sultzbrun in ditione Triuerensi constans sale, alumine atque calchantho. Idem, Thoracem pituitosum expurgant nitrosæ aquæ Badenses Austriæ, Heluetiæ, Villacenses, Teplicæ, Abecenses Ribbacenses. Idem lib. 1. cl. 3. cap. 4. Lixiuium ad Asthma siccans & sistens distillationes ex capite ad subiectas partes ℞. Saluiæ, betonicæ, hysopi ana m. ß. fl: chamæm. ros. rub. granorũ myrthi contus. ana m. 1. Bulliant in s. q. lixiuij dulcis condita sacculo. Ex hoc caput singulis septimanis lauetur semel aut bis ante cibum. Vtenti aquis fontis admirabilis ad similes affectus, lixiuij loco erunt ex ipsa venâ latices in quibus candẽtes lapides fuerint extincti, cui herbæ & semina iam dicta incoquentur. Ad hæc nõ video cur non etiam in his affectibus vtamur potu & balneo aquæ medic. Bollensis, considerata naturâ mineralium. Argumento sunt historiæ eorum qui asserunt se eâ subleuatos. Quamobrem qui volent vti prius se præparent ex consilio medici, qui poterit eis præscribere bechica, quæ consulo sumenda & ore tenenda dum bibent ac balneabunt: A balneo diuturniori & calidiori caueant, aërem frigidum in exitu balnei vitent vt summum venenum. Mane poterunt tußiculosi & asthmatici paulatim & guttatim ad horam semis deambulando, deglutire de aqua nostra stillatitia admirabilis fontis in vitro calefacta, addito saccharo candi vel syrupo violaceo, iuiubino, de hyssopo, glycyrrhiza prout medico aßistenti ex vsu esse videbitur. Quid si paretur Electuarium lambẽdum quod recipiat minutißimum pollinem bituminis? quod tamen committo iudicio aßistentis medici. Crebro dissectione anatomicâ obseruata asthmatis & difficilioris respirationis causa, pulmonem ad pleuram certis locis per fibras agglutinatio: de cuius per balneas curatione Dortom. Pulmonibus cum succingente costas membranâ glutinatis ab humore frigido, humido viscido, lento crasso aqua Belilucan. intus assumpta & foris admota, purgare detergere, incidere oportet pluribus diebus: in solio balnei versari, auram eius aspirare, aquam stillatitiam potare, salem eius lingere &c. Si quis poßit cognoscere aut coniecturâ consequi se laborare glutinatione dictâ, quòd fortè fiet si æger sentiat dolorem in aliqua thoracis parte certa continuò vel crebrò vexantem, & aliquando in eam partem ceciderit aut ictus fuerit, costa rupta aut tale quid euenit, vel laborant pleuritide vera vel defluxione in eam partem: Tum non inutilem existimarim potum aquæ admirabilis fontis vel eius stillaticiæ eo modo quo ante dixi lentè deglutiendo cum bechicis. Poterit etiam adhiberi fotus repurgato priùs diligẽter corpore ac etiam sanguine detracto si repletio aliqua, ne fotus non digerat, sed potius attrahat Fotum etiam nolim vel nimium vel calidiorem. Cuius quoque non minùs quàm fotus Belilucanarum Dortomanni vsus erit, si à diaphragmatis intemperie frigida & humida difficilior euaserit respiratio, vt ei apud Galenum accidit qui à ventriculi calore

Ad spirandi difficultatẽ.

Lixiuiũ ad Asthma.

Accommodatio.

Pulmonum cum pleura adhæsus.

calore & siccitate curatus admotis frigidis humidis remedijs, frigidam humidamque contraxit diaphragmatis intemperiem: quapropter difficulter in posterum spirauit.

Ad Hæmoptysin siue sputum sanguinis.

CAP. XXXV.

SAnguis ore eiectus cum tussi, ex thorace prouenire & pulmonibus ob vasorum aliquod vel copiosiore sanguine distentum, aut ictu, casu, grauiorum onerum sublatione, gestatione, tussi violentiore apertum ruptumuè vt in ῥήξει, ἀναστομώσει: vel acri humore erosum, vt in διαβρώσει: vel denique rarefactis tunicis, serosiorem simul factū sanguinem parū firmiter retinere valēs, vt in διαπηδήσει. Tot ergo αἱμαπτύσεως esse possunt causæ ad quam multi medici, inquit Fallopius feliciter exhibent aquas medicatas, vt Villensem vocatam in agro Lucensi Aq. Villens. quæ non solum plurimum liberata sputo sanguinis, verum etiā à marcore illo ex quo fit phthisis, ita vt præseruet à phthisi. Vidi dum essem in Hetruria apud bal- Ad phthis. neum Villense plures ex potu eius aquæ subleuatos à sputo sanguinis & præseruatos à phthisi: Obseruaui eos quibus statim aqua egrediebatur per secessum, nō adiutos ex potu: qui verò retinebant per tres horas & postea excernebant per vrinam summopere adiutos, Fallop. de thermis cap. 11. Item cap. 27. Aqua balnei Villensis habet aluminis parum ita coctum & commixtum aquæ, vt aqua ipsa diu integra duret, & per totam Italiam & extra Italiam deferatur, habeaturq; semper in omnibus ferè Italiæ vrbibus, præterquam Patauij & Venetijs: roborat & laxas partes astringit, eâ felicissimè vtimur in sputo sanguinis ex aperta vena Ad sputum sanguinis. in thorace, priusquam factum sit vlcus vel callus crustaue aliqua in vena, damus in potu roborat ventriculum & viscera omnia, & confert ad laxatas venas, ad fluxus vteri rubros & alios similes affectus: soluit parum ventrem & permeat facilimè. Idem, Aquæ calidæ Porretanæ quasi temperatæ, aluminosæ & modico Aq. Porret. sulphure, sale, & nitro scatent, potæ cerebrum sensusque & ventriculum corroborant: capitis defluxiones sistunt, difficultatem spirandi tollunt: appetentiam cibi excitant: sanguinem ex fracto vase in pulmone aut pectore profluentem sistunt. Idem, Aquæ iuxta Veronam Calderianæ in Italia ferreæ & aluminosæ, Calderianę. potæ pituitam ex cerebro fluentem sistunt, sanguinis sputitionem prohibent. Hæc ille. Vide capite de phthisi authore Dortomanno, thermas Belilucanas com- Belilucanæ. petere phthisi & hæmoptysi Sicuti etiam ex Baccio quasdam ibi annotauimus. Ioh. Gôbel. dicit aquas aluminosas S. Iobi vtiles spuentibus sanguinem ob aper- Aq. S. Iobi. tam in thorace venam, si nullum adsit adhuc pus: potas facere etiam ad humidam tussim. Rulandus, Ad sputum puris & sanguinis conducunt Syluestres, Fideris, Annæbergenses, Leonstein aquæ quæ profluunt ex alumine, sulphure ac ære. Vvolckenstein. Hæc ille. Aquas acidas nostro fonti admirabili vicinas magni facio in hæmoptysi potissimum ijs qui calidiori sunt temperamento. Non im-

probo etiam nostras admirabilis fontis dextre præscriptas per peritum Medicum qui poterit exhibere omnino paulatim sorbillandam cum axungia Lunæ prima vel cum sanguine Herculis.

Ad Empyema & Phthisin. CAP. XXXVI.

EMpyema è pure collecto inter pulmones in spacia thoracis, eodem fere modo tractādum quo asthma nisi quòd in hoc linctu ex melle & reliquijs sæpiùs vtendum, Dort. Quamuis empyici non facilè curentur, subleuari tamen multum possunt: accidit sæpe vna parte pulmonis minùs infectâ & corrupta diu superuiuere, si expectorationis diligens habeatur ratio. Bechicis vti etiam poterunt ægri eo modo quo præcedenti capite dictum ad tußim & asthma. Placet etiam mel mixtum cum aqua admirabilis fontis. Huic affinis est, sæpe etiam eius effectus, phthisis: licèt tum hæc, tum hæmoptysis alias subinde causas agnoscant, thermis vel curand vela lenienda. Phthisis enim & hæmoptysis, testante Dortomanno, ab vlcere etiam interno, dictu mirum, ex aquis Belilucanis alleuamentum percipiunt tametsi paßim fama increbuerit, phthisicis has aquas esse insaluberrimas. Quod verum comprobamus, si phthisi seu hæmoptysi laborans, harum aquarum largo potu abutatur. At in thermarum solio versari, moueri, agitari, vehi, fumum & vaporem inhiare: ablui aquâ per interualla, selibrã eius aquæ cum syrupo de tußilagine mane sensim deglutire, post multam in solio moram, ijs ex vsu est maximè. Sic namque Plinius de salsis aquis agens. Harũ aliâs vsus multiplex, principalis verò nauigandi phthisi affectis, aut sanguinẽ egerentibus, sicut proximè Anneum Gallionem fecisse post consulatũ meminimus &c. Baccius, Pulmonarijs ad tußim conuenientes aquæ, quæ eædẽ vlcera omnes consolidant Plagæ, Iuncariæ, & ex Petroleo balneum in Baiano. S. Marini in Flamina, Fons Catinus in Hetruria, Aqua Borra, Porretana, Villæ, Grotta. Tiguri & quæ minio in finibus Hispaniæ dilutæ sunt. Hæ enim contrahunt a[illegible] villos densando visceris à phthisi etiam confirmata vendicant, quo nomine Villa Lucæ cõmendatur, Grotta Viterbij & sub Tiguro aquæ, nec minus Porretanæ potiones, Albulæ & his similes. Quare & hæmoptoicos, id est sanguinem extußientes iuuant. Rulandus, Phthisicos sanant Piperinæ, calidæ quæ scatent è sulphure, nitro, ære, auro ac ferro. Embsenses, Iungbrun, Cellenses Annæbergenses, balneum aquæ dulcis calidæ. An aquæ Admirabilis fontis Phthisicis ex vsu sint, dubium alicui videatur, cum Tabernæmon. pulmonarijs aquarum vsum interdicat, quas spiritus vitreoli imbuit, vt nocuum. Vvierus quoque eos taxet Medicos, qui acidulas Asthmaticis præscribunt. Ego tamen, vbi rem penitus expẽdo, Admirabilem fontem minimè detrimentosum futurum phthisicis mihi persuadeo, quantumuis aliquid habeat tenuiorum partium viteoli. Non enim ita adstringit vt excremẽtorum expulsionem impedire poßit, nec ea etiam est acrimonia, quæ rodat & vlceret. Quare vel eo nomine cõferre putẽ quòd abstergendi facultate præ-

Beliluc. ad phthisin & hæmoptysin efficaces cõtra vulgarẽ opinionẽ.

Salsulæ phthisicis vtiles.

Baln. catalogus ad phthisin celebratorũ.

Bollen. etiã phthisicis & asthmaticis salutares.

ditus sit fluxionesque à cerebro in pulmones decumbētes potis sit consumere, corpusque repurgare per aluū, per sudores, per eam quam vocant eruptionem. In historijs nostris, legitur D. Ranzij obseruatio de Phthisico cui Bollensis aqua contulerit. Et certè minimè catholicum Vvieri interdictū esse, euicerit nobilis Burgundus macilentus, extenuatus, tussiculosus, defluxionibus obnoxius, phthisicus multis habitus, quē acidularum potu plurimùm adiutum esse certò scio, adeo vt secundo biberit, vsus interea victus laudata ratione. Tabernæmontanus etiā Cap. 4. Thesauri, inter acidularum Langenschwalbacensium præconia, dicit exsiccare & consumere à capite in thoracem, pulmonem & alia membra, defluxiones: asthmati, obstructionibus thoracis & asperæ arteriæ mederi, expectoratum iuuare, pulmonum viscidam pituitam expurgare, respirationem faciliorem reddere: vlceratis iam pulmonibus, si non prosint, at certè nihil etiam obesse. Nos quidem ex Galeno diximus lib. 1. terram Armeniam Phthoê laborātes adiuuare, vlcus desiccare. Quidni etiam idem faciat aqua Bollensis, argillæ particeps, cuius vires in siccandis vlceribus non minus forsan efficaces terrâ Armeniâ? Nullius hîc tamen temeritati subscribam: quin ex consilio duntaxat periti Medici paulatim mane sorbillandam suaserim, additis bechicis & axūgia Lunæ prima, non minus fortè vtili ipsâ terrâ Lemnia, vel axungia solis, siue terra Silesiaca.

Ad pleuritidem & peripneumoniam.

CAP. XXXVII.

PLeuritis quædam à frigore ambiente, cute perspiratu prohibita, frigidiore sanguine orta fotu & litu thermarum Belilucanarum curatur, Dort. Rulandus: Peripneumoniam sanant Ceilenses quæ constant alumine, ære, ac modico sulphure balneum aquæ dulcis calidæ. Pleuriticis vtiles sunt aquæ salsulæ, cupreæ, dulces, Piperinæ, Syluestres siue Ferinæ calidæ infectæ sulphure, sale ac alumine, vt alijs placet ære & nitro. Hæc ille. Pleuritide laborantem vel peripneumonia malim aquam medicatam nostram bibere quàm vinum, ad quā scio multò vtiliorem. Nolim tamen nimium frigidam bibi, ne frigiditas expectorationem impediat. Vtilis etiam erit paulatim & crebro cum syrupo violaceo aut altheæ in sacharo depurato aut candi deglutita: Nec ipsas acidulas non nimium frigidas pro potu inter pastus improbo. Bollensium potus.

Ad cordis affectus. XXXVIII.

COr autem (vt inquit Aristotele) s vitium aliquod non patitur graue. Quare hoc primarium viscus balnea non nisi secundaria actione iuuant, prohibitis nimirum, quos aut ex aliquo censensu partium, aut aliorum morborum incurrit, affectibus: vt quæ Cardialgiam, palpitationē, syncopenq; prohibēt, ventriculū iuuātia, vterū, thoracē, pulmones, fauces, veluti ænea, vt de Grotta Viterbij aquæ quas nō desunt qui aureā quoq; fouere materiā existimēt, Fabariēses ex auro in Rhetia, vel ex auro parata aqua, vel in qua aurū extinguitur: vel quæ extrinsecus dißipatos ex affectu, vehemēti dolore, vel ardēti febre spiritus vniāt cōfirmētq; epithemata, Bacc. And. de baln, Aquæ in Apulia Astianæ pulmoni, lieni Fabarienses aquæ. Aquę extinctionis auri Astianæ, aq.

Iuncariæ. *& tuſsi abigendæ aptæ appetentiam excitant. Aquæ à Iuncare vocatæ, ad ventriculum & iecur roborandum efficaces, lætitiam & hilaritatem inducunt, venerem excitant.* Aq. à colat. *Aquæ à colatura appellatæ potæ cor exhilarant, tuſsim moleſtā tollunt, pulmones à pituita liberant, tuſsim prohibent, ventriculi concoctionem iuuant & appetentiam excitant, in balneis præcipuè pulmoni conferunt. Hæc ille. Aquæ admirabilis fontis non exiſtimo minores vires ad cordis affectus quos cauſæ prædictæ pepererint, quàm modò nominatorū: hoc tantum monuerim cauendum corde patiente à nimij caloris balneo.* Cautio. *Quod ſi in ordinato motu cor feratur, inquit Dortom. vt in palpitatione obſtatum craſsiorem vel humorum melancholicorum copiam in pericardio aut corde vt parte diſsimilari coërcitam, non ſolum aquam Belilucanam potando, ſed lauando reluendoque ſanatur. Nos, ſi certò ſciri poſsit cauſam palpitationis eſſe ſimilem prædictæ, licere putamus etiā balneo vti aquæ admirabilis fontis: quo egreſſus æger, cum pulueribus cardiacis, vt aromatici roſati Bollenſes bibet. At ſi palmum peperit calculus vel tuberculum, non tantum deſperata curatio, ſed difficilis & obſcura coniectura. Hîc Medicis Cæſareis ſolertiſsimis hæſit non ita pridem aqua. Cæterùm inter cordis palpitationis cauſas Galeno habetur nimia ſeri copia in pericardio coërcita, quo tamen in perfectè ſanis ſeri non pauca quantitas continetur, vt in mortuis.* Seri copia nimia in pericardio. *Hac, inquit Dort. parte adactum telum Chriſto Saluatori noſtro crucifixo fit veriſimile. Seri hæc copia inter Pericardij & cordis ſubſtantiam fluctuans, largiore aquæ Belilucanæ potu per quatriduum depletur. Si aliqua coniectura innoteſcat copiā adeſſe ſeroſi humoris in pericardio, eum velim repurgari ſyrupo de Rhamno cathartico ex aqua admirabili, deinde vti vapore ad mouendum ſudorem, demum applicari cardiaca reſiccantia.*

Ad Omphalocelem. CAP. XXXIX.

VMbilici eminentia tollitur per Vvetingenſes aquas Rulando. Ego verò eam ſolo aquæ medicatæ vſu curari poſſe vix crediderim, niſi fortè ſit à flatu ſolo, vel ab aliquo humore pituitoſo: nihilominus tamen vtiles exiſtimo aquas medicatas noſtras eiuſmodi affectu laborantibus, ſi priùs repurgentur diligenter cum aqua ipſa, addito etiam trochiſco Axungiæ Lunæ ſecundæ in adultioribus, in iunioribus ſemiſsis vel triens ſatis fuerit. Omphalocele à flatu vel humore pituitoſo. *Velim ſi ſit à relaxatione peritonei faſciâ conſtringi optimè ægrum, quam in ipſo balneo geſtet, ſuſtinentem qua parte vmbilicum ſpectabit, globulum ex probato aliquo emplaſtro contra herniam, qui excipiatur tela ſerica.* A relaxatione peritonei. *In exitu balnei in dorſum decumbenti adempta faſcia madida, ſacculo repleto bolo Teckſiana, argilla, pulu. pyritæ, ſciſsilis lapidis & ſuccini nigri, immerſoque in aquam medicatam calidam foueatur ad mediam horam: ad quadrantem deinde horæ applicetur ſacculus ex aqua medicata frigida madens: tandem verò globulus ex prædictis cum faſcia recenti vmbilico alligetur: Ita interim prouiſum eſto faſciæ, vt cum ſurget, non*

decidat. Adhæc summa diligentiâ cauendum ne erumpat eminentia ambulando equitãdo, clamando, cantãdo, aluũ reddendo &c. Post menstruũ vsum balnei per annum integrum fasciam cum globulis gestet caueatque ne sine ijs sit, nec tentet experiri an curata sit prominentia. Quòd si Omphalocele sit ab humore aliquo vel flatibus nec globulis nec fascijs opus est præmissa purgatione supra dicta sufficient cum balneo fotus, litus, & emplastra quæ poterunt præscribi ab aßistente medico vel perito Chirurgo pro ratione morbi.

Ad viscerum morbos & nutritionis instrumentorum, in genere.

CAP. XL.

Viscerum plurima sunt paßionum genera, ac diuersa, quibus pro ratione balnea naturalia conueniunt, plus aut minus, aliquibus nequaquam conueniunt. In vniuersum illis conueniunt omnibus, quæ alteram duarum habẽt originem, vel obstructionem scilicet vel debilitatem, vel vtramque simul. Balnea enim naturalia hæc operantur præcipuè, quod aperiunt, & resoluunt, atque corroborant debiles partes. Vsus verò duo præcipui, In potibus scilicet quo statim ipsarum aquarum ebibitarum qualitates ad affecta ipsa loca perducitur: & item in balneis, quæ digerendo operatur, & confortando, quo nomine & lutamenta in aliquibus viscerum morbis quandoque recipiuntur. Obstructionum quidem soboles sunt omnes istæ paßiones, Intemperies quæcunque sit, inflationes, tumores, dolores, abscessus, vlcera. Et præter hæc, repletiones, cardialgia, ictericia, lienes, atræ biles, viscositates, arenulæ, lapides, hæmorrhoïdes, vteri morbi, præfocationes muliebres : quæ omnes paßiones abstergentibus opus habent remedijs, ijsdemque attenuantibus, ac digerẽtibus, & quæ huiusmodi sunt balneis. Debilitatem verò viscerum hæ potißimum consequi solent paßiones, indigestio, vomitus, fluctuatio, flatus, colica, cruditas, inappetentia, fluxus, cachexia, hydrops, diabetes, sanguinis mictio, vteri fluores, laxitates, abortus, sterilitas, quæ omnes, affinesque aliæ paßiones corroborari in primis desiderant ipsa membra, ac simul digeri superflua, quæ duo egregiè præstant balnea, & quæ in potibus sumuntur maximè. Ergo, vt in omnibus, ita potißimum interiorum morbis debitam supponimus præparationem esse præmittendam, qua & superflua quantum fieri poterit excernantur, & viæ dilatentur, & membra tandem ipsa ad futuram balnei operationem disponantur. Quoniam verò particularium ipsorum affectuum, ac particularium membrorum habenda ratio est, in quocunque balnei vsu, in primis quidem ipsarum intemperierum diuersitas attendẽda est, quæ aut cum materia esse possunt, aut sine materia, calidæ, frigidæ, humidæ, siccæ, vel mistæ ex his, Et qualitercunque sint, per balneas competenter curantur, habita tamen ratione penes qualitatem intemperiei, & ad quantum se extendat gradum: vt frigidæ intemperiei calida adhibeantur balnea, tam abstergentia, quàm digerentia, calidæ vero, & calidæ siccæ intemperiei minus calida consulantur,

Potus.

Balnea.

Lutamenta.

Morbi ex viscerũ obstructione.

Debilitatẽ.

Sua cuique intemperiei opposita balnea.

Bal. ad quâlibet viscerum intemperiem indifferenter.

imò frigidæ facultatis sint balnea. Paßionibus porro omnibus interaneis (id est quæ sub prædicta veniunt censura) conuenire promittuntur Aqua de Grotta Viterbij, & quod iuxta est balneum titulo Iastelli, quod & apostemata discutit interna, Tigurique in Heluetijs similis aqua, Acidæ ad Gôppingam, Acidæ ad Rotenburgum, & ad Caroli 4. aquas fons acidulus. Cæterum non solum quidem affectibus internis his, qui pendent à debilitate, robur esse procurandum intelligo, verum etiam in omni fere viscerum morbo, semper inter alias balnei medicatas facultates, quæ robur ipsis simul adiungant, præferuntur, quales sunt quæ ferro participant, vt Ficuncellæ ad Sanctum Caßianum egregia in hac facultate præditæ, Villa Lucæ, Carpi, Aquæ in confinibus Liguriæ & Monferrati, Ferrugineæ ad Baias, Leucenses in Valesiis, Ferinæ ad Martianam syluam, Quæ omnes, vt plæræque his similes aliæ bibuntur, abstergunt vias latas, & relaxata membra confirmant.

Roborãtes aquæ potu.

Roborãtes aquæ solo vsu balnei.

Corroborat verò solo vsu balnei nec adeo calfacit Auinionis balneum ex ferro, & huic simile de Aquis, & Regina sub Pisis, Balneum cui Sancti Ioannis titulus sub Luca, Corsenumque Caiæ, & de Palatijs Viterbij, quod vulgo balneum à Serapide cognominatur, Caldarianum item sub Verona, Fitterum in Hispania, Badeniæ in Heluetijs, Plumbeæ in Lotharingis, & ex alumine Albulæ potu & lauacro vtiles, Nitratæ in Alsatia, Porretanæ, Aponus. Itaque hæ viscerum maximè affectibus medentur, inter quas (vbi non tantum roboris quæritur) Nitratæ ebibitæ clementius agunt, vt Tritolæ, & Paganelli sub Viterbio, Tritolæ aliæ, Iuncariæ, Petræ, & Plagæ sub Puteolis, Blandulæ Sancti Marini apud Ariminum, & Albulæ, quas adeo Archigenes ad vesicæ, & vteri vlcera celebrauit quæ omnes vix primum attingunt caliditatis gradum. Ideo earundem potiones ad viscerum inflammationes valent, intelligas quæ citra æstuosam sunt febrem, aut in principijs, aut effectu iam declinante. Nam in his priuata alia non desunt præsidia. Inflationes verò, & indurata, quæ frigidæ indicant intemperiei excessum, digerentibus, item ebibitis discutere oportet, ijsque aliquanto calidioribus, ac roborantibus: Aponi aquæ vsu quocunque ad id idoneæ, Balneum Carporum, Bussetum Viterbij, Sanctæ Crucis ad Baias, & his similia, Non posthabitis interim prædictarum, aut Aeneæ, aut Nitratæ mixturæ ad hæc omnia prærogatiuis. Sicut easdem in balneis dißipant Aponus, Auinio, Aquisgranum, Lotharingium, Badeniæ Austriæ, Sancta Maria in balneo, Sancta Asculi, Sanctus Martinus in Comensi, Calidæ in Bergomensi, quæcunque vbique terrarum ex sulphure seu syncero, seu admisto temperatæ, Bacacius.

Ad eosdem affectus, aq. balneo efficaces.

Ad viscerũ n. ritioni inf. ruiẽ. iũ im! ecillitatem facientes aquæ.

Porro eorum, qui balnea bibunt ob quampiam membrorum nutritioni inseruientium imbecillitatem, est plurima pars, quæ idcirco corroborantia desiderat balnea. Corroborantium verò in communi hæc ratio est, vt siue peculiari virtute, siue temperamenti æqualitate membri naturam ita contemperent firmentque vt superflua, & circa ipsum calida, frigida cuiuscunque excessus reijcere valeant, atque aliunde irrumpentia vitare. Vtramque virtutem singulariter obtinent de Grotta aquæ inter æneas, & iuxtà consimiles fontes ad Viterbium, &

Tigurinæ in Heluetijs. Villa sub Luca fortius roborat, minùs euacuat pro pluri ferreæ mineræ admistione. Medium obtinet Ficuncella S. Caßiani. Quibus tribus generibus quæcunque aliæ sumendæ aquæ balnearum confirmandæ erunt, vt Speluncæ aquæ in Ischia, Caldanellæ sub Senis, Caldariariæ sub Verona, Leucenses in Valesijs, de Aquis in Gallia transpadana. Et deinde quæ in balneis ex quacunque intemperantia firmant, Auinio sub Senis ex ferro, & huic simillima Castilio in Ænaria, Aleria in Corsica, Carpi, Aquæ, & Regina sub Pisis, Corsenū sub Luca, Fitterum, Aquisgranum, & Badenia Austriæ. Nitrosas aquas in potibus corroborare stomachū author est Auicenna 2. Canonis, quæ tamen si minus validæ sint in hoc quam Ferratæ, sunt purgando saltem leuißimæ. Tales sunt S. Marini scrobes, Aqua Borra, Trescurianæ fons sub Bergomo, Tritoli, & Iuncariæ venæ, Gibberosi, Plagæ Romanæ in Aenaria, Nitrosæ in Alsatia, quæ tamen omnes phlegmata, visciditates, & cruditates valenter vndecunq; ex vijs latis extrudunt. Nec minus Porretanæ ex alumine, & ferro modico, Albulæ in vrinis efficaciores, Ferinæ ex ære ad Martianam syluam in Germania, Fiderij puteus, & ad Göppingam balneum, superbus Aponus. Vomitu soluunt salsæ, Marinæ, & his similes, Montis catini salsula, & alia Aquarij apud viam Aemiliam, Salmacidæ sub Asculo, Trescurianæ, Borra interdum inflans, Porretana, Ficuncella. Violenter verò subuertunt Atramentosæ, vt Stygis aqua in Arcadia, qua traditur Alexandrum mundi domitorem fuisse necatum: virides & æneæ naturæ in Perside, & item ex Chrysocolla, Auripigmentoque, qualis ad Susas fons in Persia. Contra, crebras sistunt vomitiones, ac nauseā Ferratæ in primis, & quæ extrinsecus adhibitæ firmant, vt Auinio, cæteræque. Deinde Aluminatæ vt Albulæ, quanquā putidæ primo sensu, & Porretanæ firmando ad extremum, de Aquis in Liguria trans Apenninum, & ex Gypso irroratæ emplastica virtute, sicut & Plumbeæ in Lotharingis. Sitim vero arcent mendosam, quæ viscera item postea refrigerant euacuando acria: ac humectant, siccam intemperiem alterando, Nitratæ, Aeneæ, ac partim Ferreæ, Acidæ, & Calidæ insuper simplicis labrū. Porrò veteres ad omnem viscerum debilitatem, & ad robur virium comparandum, commendabant super cætera exercitium, & præcipuè in ventriculi morbis, nec non dulcium & temperatarum aquarum balneum.

Aquæ [illegible]. Contra vomitum & nauseam. Sitim compescētes aquæ medic.

Ad ventriculi morbos. CAP. XLI.

PEr ea, quæ communiter nutritorijs accommodata sunt remedia, facilè balnea quæ ventriculum iuuent, inferemus. Corroborant enim ac frigidæ simul, & subcalidæ faciunt intemperiei eadem balnea tam epota, quàm in lauacris sumpta. Calidæ verò intemperiei eo; quo in communi viscerum modo diximus, succurrendum, quæ videlicet modicum refrigerent, reprimantque astrictoria facultate per initia, vt ex Ferratis adpositißima est Ficuncella, Villa Lucæ, Sanctæ Crucis ad Baias, Porretanæ interdum. Acidæ verò aquæ omni id genus calidæ intemperiei ex proprietate vtiles, quales ad Anticolum Aquæ in Campania, vsui etiam in domestico idoneæ: Acidæ extra vrbem ad 3. lapidem secus viā Hostiensem, Fiderij Fons in Germania, & ad Göppingam. Ibi

Ad calidam intemperiē.

enim confirmata intemperies euicit humidum, sicca ac desperanda introducitur ventriculi tabes, cui inter lauationes priuatas ex aquis dulcibus temperatis consulendum, ac per hydrelaei fotum. Choleram verò in fine sedant quasi eædem, Ficuncella, Porretana, Villa Lucæ, Auinio, Caldariana: nec minus clysteres ex salsa, & Subcutilæ vetustæ in Sabinis, ac eodem modo superbibita tepida, authore Galeno. Subcutilas subinde istas videtur probasse Celsus in Cœliaca paßione, ac lienteria, fluxibusque cruditatum; quibus à Grotta sub Viterbio potiones egregie medentur, & aliæ ex ferri natura refrigerantes, aſtringentesque vacuando, & Porretanæ. Atra vero bile in ventriculo vexatis eadem consulitur, & Tiguri potatio in Heluetijs. Ad excitandum verò appetentiam nitratæ faciunt, & salsæ, & acidæ priuata facultate, quomodo nobiles sub Viterbio Paganelli titulo, & à Grotta mirificè, quæ reconualescentes etiam, & pregnantes citra noxam appetere promittunt. Noxiam verò è diuerso caninæ famis voracitatem cohibent Cellenses ebibitæ in Heluetijs, quibus non paucas ex superioribus censuris conferre poteris, & lauatio ex simplici aqua frigida, & fomenta, & epithemata, Baccius.

Fallopius de thermis cap. 11. Potus aquarum thermalium confert ad euacuationē ventriculi, intestinorum & reliquarum partium, per quas transeunt teste Galen. l. 4. de tuenda sanitate cap. 4. & Vitruuio 8. lib. c. 3. & Alexandro Tralliano in curat. affectus colici qui exhibet has aquas pro euacuandis detergendisque intestinis, & pro calefaciendis illis partibus omnibus & visceribus per quæ aqua transit. In Hetruria apud Senas multi assumunt thermales aquas pro euacuādo corpore. Aquæ thermales potu acceptæ calefaciunt viscera per quæ transeunt, testes sunt illi qui refrigeratum habent ventriculum & hac de causâ medicatas aquas bibunt, quibus sentiunt ventriculum calefieri & roborari, dummodo aqua permeet & non moretur diu in ventriculo. Fidem quoque faciunt Trallianus & Auicenna qui exhibent medicatas aquas in potu, in colico affectu non solum vt expurgent, sed etiam vt calefaciant. Hæc ille, qui etiam scribit Montiscatini fontem Balneolum in vsu esse pro potu ad roborandum ventriculum & reliqua viscera: sed præcipuè ad abstergenda intestina & primas venas: Aquam autem illam feruentem esse & salsam. Item cap. 17. de balneo Aponensi. Ventriculus iuuatur ab hac aqua siue in potu, siue in stillicidio laborans inappentiâ, difficultate concoctionis. Roborat enim valde ventriculi partes relaxatas earumque humiditates absumit: denique confert ad omnes affectus prouenientes ex frigiditate & humiditate Item cap. 24. Aquæ balnei Caldarini in agro Veronensi, licet refrigerare dicantur, tepidæ sunt quibus vtuntur medici Veronenses ad potum, balnea, fomenta, in cibis pro ægris, diluunt vinum, habent saporem subsalsum, parum adest salis, vt vix poßit excedentem aquæ humiditatem corrigere, continet etiam rūbricam: nostri medici vtuntur ijs ad dissolutionem ventriculi à causa calida & ad hepar & renes calidiores, ad menses nimium fluentes & relaxationem renum, & vbi refrigerandum & siccandum. Earum igitur facultas est siccare, refrigerare, roborare, aſtringere & ventrem nonnihil subducere ratione salis.

Ad Cholerā. Ad atrābilē. Ad appetētiā deiectā. Ad caninā famem. Ad euacuationē ventriculi. Ad calefaciendum ventriculū. Aq. Aponēs. Aq. Galdar. Ad calliditatē vētriculi. Purgatio.

salis. Solent tamen grauia parere symptomata, nisi quis cautè vtatur, & attendat ventriculo ijs vtendo. Item cap. 25. Aqua balnei Aquarij scatet frigida & pauca ex saxo alto, nullum habet odorem manifestum, inest illi sal & nitrum vt reperi distillatione: habet præterea nescio quid marmoris vel calcis facti ex marmore candidissimo. Habet hæc aqua vim calefaciendi & exsiccandi magnam, & diu perdurat integra, calefacit ventriculum, prodest ad menstruorum alborum fluxionem & ad omnia membra quæ laxa sunt constringenda. Dortomanus: ventris infimi affectus Stomachi dolor, cardialgia à putridis pituitosis humoribus, vaporibus tetris: ab externis remedijs frigidis nimia quantitate continua & discreta foris adhibitis, hac ratione curandus. Ante cœnam enema infundendum ex thermarum Belilucanarum aqua: postridie assumendæ lib. 2. aquæ diluculo: vomitus ciendus post horæ spacium digito in os inserto. Si per vomitum commodè non vacuetur, per inferiora aluus excernet irritata & stimulata aquâ assumpta, aut citanda denuo clystere. Sequentibus tribus diebus mane sumat aquæ huius minorem quantitatem, puta libram vnam. Horâ vna ante cœnam foueatur stomachus hac aquâ additis absinthij comis. Quinto die copiosam hauriat aquã æger mane vt susque deq; depleatur: ad hoc iuuabit aliquamdiu inspirasse vaporẽ thermarum. Pro communi sale ægro conferet magis sal reliquiarum, nuce moschata, pipere & communis salis portione mixtum. Pantaleon de aquis thermarum Tigurinarum cap. 18. dicit insigniter ventriculò vtiles, augere concoctionẽ, certum esse: quamuis in principio non sapiat cibus, si quis balneo octiduum ordinatè vtatur, subsequi magnum cibi & potus appetitum: quod si non sequatur & inflatio sentiatur, non esse bonum signum, præstare domum reuerti, quod sæpe euenit qui adeunt thermas inconsultis medicis & violenter balneare volunt. Rulandus: Nutritoria viscera roborant acidulæ Saurenthal ferri, aluminis, ac nitri particeps, Kerlich ex alumine & ferro. Item: Calefaciunt ventriculum & alia membra aquæ salsæ, sulphureæ, bituminosæ, aluminatæ. Item Auwenses, Vvisbad, Badweiler, Leuckerbad aquæ calidæ copioso ære & modico sulphure. Balneum aquæ dulcis calidæ. Item ventriculum roborant, intemperiem frigidam & humidam corrigunt, humores vitiosos, crassos, viscosos, acutos & mordaces expellunt: dolores, flatus, tumores & alios morbos profligant aquæ sulphuris, cupri, ferri, satis, nitri. Item Leucenses, Cellenses, Vberling, Neubad, Göpping, Fideris, Bertringenses, Vvaldsborn, Gonderthal, Falborn, Kesselborn, Kißing, Ahr, Badenweiler, Syluestres, Badenses Herciniæ, Heluetiæ, Austriæ, Schweningen, Saurenthal, Treffbach, Vberlingen, Vvendingenses, Löffingen, Vvillingen, Auw, Vberkingen, Ebenhausen, Deinach, Gebesweiler, Bellerthal, Ettingenses, Ribbacences, Sultzberg, Sulzbrun, Kerlich, Mendich, Ponterborn, Montebarer, Bassenhaim, Embsenses, Keswasser, Lonquich, Mertesdorff, Teplicæ, Vvillacenses, Abecenses, Auwen, Carolinæ, Dalfingenses, Glottenses, Vvolckestein. Andernacus: Aquæ calidæ Badenses apud Heluetios sulphure copioso, & alumine modico imbutæ potæ, quamuis ob copiosum sulphur minimè sint gratæ, tamen pituitosis

Aquarium balneum.

Beliluc. ad ventriculi dolores.

Aq. Tigur.

Nutritoria viscera corroborantes aquæ.

Aq Badens. Heluetię ad ventriculũ pituitosum.

stomachi affectibus, intestinorumque obstructionibus, angustijs thoracis, spiritus & vrinæ difficultati prosunt: cibi fastidium malamq; concoctionē emendāt.

Aq. Ferinæ. Aquæ autem Ferinæ quanquam non sint adeo feruentes aut calidæ vt Badenses, tamen imbecillis stomachus inde ob sulphuris copiam intumescere solet, & cibi appetentia amitti. Quæ si eueniant maturè ab eis abstinendum est. Item: Fons

Fons Syluaticus. Syluaticus Vvaldsborn lapidibus bituminosis infectus est, super quē oleū album non grauiter olens, dolorem stomachi & frigidam ventris intemperiem flatusq; intestinorum discutit. Item: Aquæ Vvilligenses sulphureæ & modici aluminis participes, artubus imbecillis in balneis salutares; fluxiones exsiccant & ventriculo prosunt. Idem: Aquæ Cellenses quæ tepidiusculæ appetentiæ caninæ & ventriculo praua intemperie affecto prosunt potæ. Item, Aquæ Batouillenses sulphureæ & nitrosæ aquæ ventriculo & intestinis refrigeratis conferūt. Quamuis hæ

Vvatvvillēs. etsi neglectæ, tamen efficaces. aquæ Vvatwillenses in Alsatia sitæ sub Abbate Murbacensi sint calefaciendæ nec magno in honore sint ac quasi neglectæ iaceant, nec mundentur scaturigines, nec loca commodè extructa pro lauatione, nihilominus efficaciter medicamētosæ sunt, quemadmodum in meipso & alijs expertus sum tum internis morbis: etiā meo ventriculo coaceruante pituitam multam à cerebro defluentem, hepate calidiore, licet sulphur potissimum odore se demonstret. Si Domini Abbates curarent perquirendas neglectas scaturigines eo modo quo Ill. meus Princeps in suo fonte Admirabili, non dubitarem quin in vtilitatem Alsaticorum & aliorum vicinorum id futurum sit cum summo multorum pauperū commodo. Quæ res Deo grata esset, ex cuius mandato nobis curæ esse debent pauperes, & non minùs in illos erogari facultates ecclesiasticæ destinatæ olim in pios vsus, quàm in ipsos ecclesiasticos, quos interea nullo modo negligendos arbitror. Boui enim trituranti non est obligandum os, ait Diuus Paulus de his qui diuinum verbū annunciāt & sacramenta ritè administrant. Verùm hæc in transcursu. Reuertemur ad nostras aquas Admirabilis fontis non minus vtiles vētriculi quibusdam affectibus

Bollenses stomachicę. quàm Vvatwillenses non excultæ & multæ aliæ enumeratæ: quod constat ex historijs à nobis in medium productis & ex ipsorum mineralium mixtione. Inter alia Iac. Theod. vt priore libro annotatum, aquas bituminosas ventriculum calefacere scribit, & Pyritæ consumere omnes superfluitates in capite, ventriculo, & matrice, sedare dolores ventriculi, ventris & matricis. Nostræ igitur aquæ poterunt in affectibus ventriculi frigidis calidæ assumi ad purgationem per se vel etiam cum Axungia Lunæ 2 vel alijs catharticis, ad balneum, ad fotum in quo possent incoqui herbæ, absinthium, mentha, calamus aromaticus & similia. In calidis affectibus ventriculi præfero acidulas pro ordinario potu.

Ad nauseam, vomitum, singultum, ructum.

CAP. XLII.

Aq. Beliluc. NAusea, vomitus, singultus ex plenitudine vitiosorum humorum os ventriculi molestantium, præscripto modo ad stomachi dolorem persanantur & breuiore tempore vsui fructuiq; aquarum Belilucanarum cedunt. Pri-

mo namque die hæc symptomata conquieuisse assumpta larga aquæ quantitate sæpenumero vidimus, Dort. I. Göb. auctore aquæ aluminosæ S. Iobi roborant ventriculum ac vomitum impediunt, coctionē à frigiditate tardiorem promouent, id quod multi testentur, qui experti ventriculum calefacere eiq; robur addere, si ea in ventriculo non diu maneat. Addit multis etiam profuisse tensione vexatis ob imperfectā ciborū coctionē: Singultui & cardialgiæ (id est Eckeln *&* Hertzwee*) à frigidis humoribus mox ex ipsa vena haustas & balneo per aliquot dies vsurpatas Rulandus: Singultum sedat Zellersbad aquæ sulphuratæ. Item: Nauseam tollunt Annæbergenses, Badenses Heluetiæ & acidulæ pleræq;. Item: Contra ructus conducunt, Zuckenthal, Auwenses quæ sunt acidæ & imbuūtur permulto sulphure, pauco alumine atq; ferro. Item: Vomitum supprimūt aquæ aluminis, ferri, Auwenses, Göppingenses. Vberking. & acidulæ aliæ Vvendingenses, Annæberg. Cellenses, Leonstein, Vvolckenstein. Aquæ sane admirabilis fontis & acidæ eis vicinæ non pauciora præstare possunt quàm omnes prædictæ: Bollenses quidem euacuando per aluum & per vomitum: acidulæ autem roborando ventriculum & hepar quæ insigniter nauseam tollunt.* Aq. S. Iobi. Bollenses & acidulæ.

Ad ventriculi cruditatem, inappetentiam, Bulimon, nimiam appetentiam, concoctionem deprauatam, ardoremque ventriculi, CAP. XLIII.

VEntriculi intēperies frigida, humida, spirituosa ab assumptis admotis, quā sequitur cruditas, inappetentia, bulimos, nimia appetentia, concoctio deprauata à qualitatis frigidæ & quantitatis nimiæ pituitosæ vitio cōtracta, quandoq; fotu externo aquarū Beliluc. curantur: sæpius si adsit humorū quantitas, depletionē horū desiderant. Primò tum die simplū aquæ, secundo duplū, tertio quadruplū hauriendū & hîc sistendū. Stillatitia, aqua sit pro potu cū sacharo aut melle, & reliquiæ eius mixtæ, pro sale. Lotio ex aquis his ante prandiū horis duabus oportuna, Dort. Rulandus: Appetentiā excitāt & restaurāt Dalfingēses, Kesvuasser, Sultzberg, Vberlingenses, Vuattvueil, Veringenses, Vuolckenstein Glotterbad, Leucēses, acida Göppingensis, Syluestres, Cellēses, Badēses Herciniæ, Margraffbaden, Vberkingens. Ebenhausana, Auvuensis, Mendich, Saurental Lonquich, Metesdorff & pleræq; acidulæ. Appetitum caninum infringunt Cellenses, Glottēses, Veringenses, Zollersbad, Vberkingensis & acidulæ aliæ. Balneum similiter calidum dulcis aquæ. Itē: Cibi fastidiū tollunt Badenses Heluetiæ, Vuendingenses, Ponterborn acidus fons ferri, aluminis, atque calcanthi particeps, Cronenburgicæ. Item: Contra malam concoctionem auxiliantur aquæ alminatæ, Villacenses, Volckenstein, Badēses Heluetiæ, Herciniæ siue Margraffbad, Leucenses, Fideris, Vberlingenses. Hæc ille. Nostræ quoq; aquæ admirabilis fontis euacuādo succurrere possunt omnib prædictis affectibus. Plurimū laudarim in Bulimo & nimia appetentiâ. Ad inappetentiam verò mihi magis probātur acidulæ quæ mirabiliter appetitū restituūt, quod in me ipso expertus sum. Vbi autē sentitur ardor vētriculi, citò sedatur potu aquæ acidæ in Lāgens.

Schwalbach Iacob. Theod teste. Ioh. Göbel. laudat aquas aluminosas S. Iobi ad ventriculi ardorem, Soht vocat. Rulandus: Contra ventriculi ardorem & calidã intemperiem prosunt ferratæ, Embsenses, Sylvestres, Leumingen, Brubach, & aliæ acidulæ. Hæc illi. Placet mihi aquæ fontis admirabilis potius ad vomitũ vsq; vbi ardor vexat, qui fœcundis calicibus calidis ac etiam addito axungiæ Lunæ trochisco prouocandus indito etiam ori digito. Solet plerunque is ardor euenire à chylo & pituitâ corruptis in ventriculo. Iam dictâ itaque ratione benè repurgato ventriculo, roborandi ergô licebit vti in potu ordinario parua quantitate acidularum, potißimum si adsit calida intemperies.

Vomitus Bollensibus ciendus.

Ad alui fluores ac dysenteriam. Cap. XLIIII.

Pertinet autẽ ad intestinorum affectiones tam iure potus, quã balnei omnia, quæ ad nutritionis instrumentorum tutelam seruiunt. Galenus in 4. de San. tuen. inter deiectoria medicamenta adnumerat vsum aquarum sponte manantium, quibus aut sulphuris, aut bituminis, aut nitri vis inest, quibus solitos fuisse quosdam inquit vere, vel Autumno quotannis excrementa euacuare. Clementer operantur nitrosæ aquæ, deinde salsæ, acrius vel ex ære, vel calchãto. Quo in genere violenter absterforiæ, seu potius excoriatoriæ sunt euitandæ, qualis Stygos fortasse hydor in Arcadia, & viridis quædam aqua in Persia. Mediocres, quas diximus nitrosas, vtiliter ad meseriacarum obstructiones bibũtur, simul atque ad corroborandum interanea ipsa. Talis Plaga aqua, & Iuncaria ad Baias, & quædam similes in Aenaria insula potabiles: quæ omnes & excremẽta abstergunt, aperiunt obstructa, ac refrigerant. Talis & Sanctus Marinus in Aemilia, aqua Borra, & Montis Catini, & Aquarij, & in Alsatia nitrata. Efficaciores æneæ, Grotta in primis, & ibi Iasielli, & Nausei dictæ aquæ, Tigurinæ subinde, dein Porretanæ ex alumine, & ferro, & nobiles Albulæ. Fluoribus alui communiter ex herbis medicatis insessus probantur. Porro in Dysentericis cruciatibus reuocãt hodie ferè homines de morte ad vitam aquæ M. Catini. Salmacidæ, quæ à Tettuccio vna, altera minus salsa à Balneolo cognominantur, seruãturque etiam in longinquas regiones ad latæ toto anno incorruptæ. Dantur iteratis potibus plures dies. Quorum exemplo consulo id genus Salmacidas, quæ innumeræ paßim nascuntur, quenquam ex periri debere. Harum enim antiqua laus est à salis natura: Muria (inquit Dioscorides) Dysentericis infunditur, etiamsi nome intestina corripit, & Ischiadicis veteribus. Eadem ad verbum testatur Plinius libro 31. cap. 8. Et item Paulus lib. 3. cap. 42. Muria & portulacæ succus (inquit) potus Dysentericis conuenit. Baccius. De fluoribus autem hæc scribit Dortomanus: Diarrhœa & Perirrhœa ex crudis corruptisuè humoribus fundum ventriculi obsidentibus, alternis diebus copiosum potum aquarum Bellucanarum desiderat, tumque solo pane vino tincto victitet æger. Postero die quo abstinendum ab aquæ haustu, panatis vtatur. Hæc vicißim fiant per septi-

Intestinis repurgãdis aq. medic.

Aperiendis mesaraicarum obstructionibus.

Ad fluores alui.

Ad dysenteriam.

Salmacidæ.

Ad Diarrh. & Perirrhœ.

Aq. Belluc.

manam. Cœliaca affectio & lienteria per rheumatismum seu synathroïsmum crudorum corruptorum aut alio modo vitiosorum humorum curanda vt dictum de diarrhœa, nisi quod quantitate minore a ternis diebus sumenda aqua. Quandoque hic clysterum vsus ex hac aqua summè profuit. Cæterum in diarrhœa & perirrhœa, cœliaca, & lienteria maximè confert argilla rubra ad Bellucum copiosa, si sæpius lota aqua dulci ventriculo & abdomini illinatur. Iac. Theod dicit aquas acidulas in Langenschwalbach euacuare prauos humores & tollere lubricitatem intestinorum & postea roborare grata sua aciditate: denique habere facultatem purgandi roborandi & astringendi vt habent Myrobalani. Rulandus, Lienteriam sanant Vvendingenses & similes. Item Diarrhœam curant Embsenses, Annæbergenses, Göppingenses, Vvendingenses, Vvolckenstein. Hæc ille. Aquæ feruentes constituunt Montis catini vocatum balneum, vnus fons Balneolum, alter Tectutium. Aqua fontis Balneoli est in vsu pro potu ad roborandum ventriculum & reliqua viscera: sed præcipuè ad abstergenda intestina & primas venas. Aqua Tectutij est in vsu in potu maximè ad soluendum ventrem: Nam soluit validissimè quantitate duorum triumuè cyathorum. Aquâ etiã Balneoli sum ego vsus & expertus in dysenterijs vlceribusque intestinorum, exhibebam sex vel octo cyathos, felicissimo cum successu: ad eundem affectum optima quoque est aqua Tertulij: Verùm cum sit fortior in minori quantitate est exhibenda, Fallopius, qui cap. 11. addit: Cum essem Pisis, ibique grassaretur dysenteria, audiui quod quidam medicus exhibebat aquas thermales Montiscatini: cœpi exhibere illas grãdioribus natu, cumque vidissem quod summopere profuissent, exhibui etiam puerulis duorum annorum quod potui & quantum ipsi volebãt, & conueniret: & aliqui accipiebant vnum cyathum, alij duos, alij tres. Quamuis illa aqua, salsa sit non excedit tamen salsedo: quotquot bibebant aquam illam, omnes liberabantur. Est post: Exhibui in dysenteria quibusdam laborantibus febre, quia febris pendebat ex dysenteria, & ita remota dysenteria, cessabat & febris Rulandus lib. 1. cl. 5. Dysenteriam sanant aquæ Plumbariæ, Cellenses, Vvendingenses. Iacobo Theod. aquæ quæ succinum nigrum habent bonæ sunt aduersus omnia sanguinis profluuia. Octobris 20. anni 1596. fui apud fontem prope Naborn è regione Bissinguen cum D. D. Rantzio peritissimo medico qui dicitur curare dysenteriam: Fons in agro situs fluit per argillam, aquæ turbidæ, valde frigidæ, nullo euidente sapore: insectum alit quod curaui depingendum, & ranas. Rustici narrabant multos accersere & bibere potissimum ad dysenteriam: esse etiamnum quendam fabrum in pago qui eâdem septimana ita turbidam bibisset & curatus esset, quique omnino sibi persuaderet se potu huius aquæ curatum. Non longè à fonte est argilla bona cœrulea. Eâdem hebdomada lapidem tophaceum album, leuem è lapicidinis versus Bissinguen aduexerant, vt fontem fornice includãt. De quo ad me Ranzius noster anno 1596. mensis Oct 31. his verbis. Etsi fontem Nabornensem, vir præstantissime plurimumq; colende nuper metipse satis superq; perspexisti, cum de Monte Teccensi & Bolifodina descendis-

Cœliaca & lienteria.

Aq Langenschvvalb.

Balneol. & Tectut. ad dysenteriã.

Aq. ad dysenteriam.

ses, adeò vt descriptione vlteriore non indigeas: nihilominus tamen quia me hortatus es vt fontem illum describerem, viresq; eius paulò accuratiùs peruestigarem libenter morem gerere & in obsequium venire volui. Ecce igitur appellatur fons ille vulgo der Sinnerin Brunn, desumpto nomine à pratulo illo appellato der Sinnerin wasser, vbi suam habet scaturiginem. Distat hic locus parum ab ipso pago Naborn, spectans versus Vuillam oppidum. Licet verò fonticulus nunc appareat, nec etiam num fornice vel operculo aliquo decoratus: non propterea tamen ita sterilis est & contemptus: quin gemina scaturigine instructus, satis copiosam aquam de se diffundere conspiciatur. Cæterum fontis aqua non limpida est & clara, vt alias se habet potabilis aqua, sed turbulenta (quam argillaceam diceres) non aliundè profectò quàm ex terra argillacea vel lutosa, quâ cespes ille gramineus, vbi scaturit, d u s est & abundat: Qualem etiam ibi loci figuli pro construendis fornacibus eruunt & commodissimè vtuntur, Quòd si quis aquam ori admoueat gustuq; dignoscat, non reperiet sanè alium saporem, quàm terreum & argillaceum, cui sapori quoque analogia respondet odor per destillationem & decoctionem redolens: quin etiã ipsa in sartagine exsiccicata residentia alium nõ refert præter lutosum saporem. Ad tactum insuper gelidißima apparet. Vt tamen sit, ranis alijsq; animalculis, quos araneas vel Sepiolas aquaticas, vulgò wasserspinnẽ appellant, abundat, qualia scaturigo fortior secum ex terræ visceribus non secùs atque arenulas calculos & terræ glebulas effert & extrudit. Quod admiratione profectò nõ indignum videri posset. Licet autem descriptus ita ruditer fonticulus videri potest, quasi maiores ipsum parum æstimassent eò quod sub dio tam longo temporis spatio, absque fornice remansit: Nihilominus tamen, vt retro est dictum mirificas illi vires inesse aduersus dysenteriam, tenasmum & similes alui fluxus, quin etiam contra alcolas & anginam comperio. Id quod maximè hoc anno grassante dysenteria epidemiali, experti sunt plurimi paßim homines, quos maxima cum vtilitate & iuuamento, illo vsos noui. Quo nomine fortè commoti sunt Nabornenses, quòd propter præstantiam in currandis corporis malis, hoc demum anno fornice ex lapidibus tophaceis vulgò Sauchstein ex monte Bißingẽßi der kinderberg appellato, aduectis, ornare & contegere decreuerunt. Et vt exemplis res non careat ecce retulit mihi nuper R. & doctißimus pastor Narbornensis M. Christophorus Bayer paucis ab hinc annis in summa affectus dysenterici desperatione, vsurpasse hunc fontem Nobilissimam fœminam Annam à Freiberg indeque breui conualuisse. Hanc eandem aquã biberat quoque ex suasu dictæ iam fæminæ, filius Adolphi Demari Nobilis, Capitanei in arce Kircheimensi contra dysenteriam & quidem non sine emolumento. Sed quid opus est longiore inductioue? testantur vnanimiter omnes quotquot adhuc interrogaui, mirificè contra dicta corporis mala fontem illum prodesse. Annon fama ad te pervenit, quid fabro illi ferrario Nabornensi dysenterico fons hic profuerit? Ita sanè. Quis igitur fontem Nabornensen ob præclaras suas virtutes & diuinam vim ad hæc corporis mala, non prædicabit? Dignus

sapor fontis Naborn

vires eius.

Histor.

sanè æternâ memoriâ, dignus vt in fontis admirabilis historiàm quam præ manibus habes, referri non immeritò debeat. Si nostrum institutum fuisset plenius & distinctè de singulis morborum differentijs agere, hic nobis essent variæ fluorum species ac eorum causæ tradendæ vt diarrhœa, lienteria, dysenteria, cœliaca &c. Verũ prolixitatis vitandæ ergò de fluore alui in genere & de dysenteria hic agemus & monstrabimus, quomodo in ijs affectibus vtendum sit Bollensibus. Si fluores alui sint ab acribus humoribus, vtilis erit potus aquæ fontis admirabilis: quo in casu pluris facio, quàm vbi pituitosi in causa: licèt nec tunc spernam abstersionis & purgationis ergò propter vires à bitumine, à sale & cæteris admixtis. In dysenteria mihi etiam probatur, quia argillæ est particeps. Suadeo tamen vt primùm in omni fluore & potissimũ in dysenteria ex consilio medici iungantur aquæ nostræ medicatæ myrabolani & rhabar. ac syrupus rosatus, ad meliorem & magis subitaneam euacuationẽ, quam summè probo experientiâ edoctus in curanda dysenteria: Euacuatis humoribus exsiccantibus dysentariam licebit vti cũ potu ordinario ex aqua medicata; Axungia Lunæ & sanguine Herculis mihi non minorum virium, quàm Axungia solis tantopere decãtata ab Andrea Bertholdo Oschacensi Misnio. Poterunt hæc eadem vtiliter etiam enematum forma inijci, quæ in dysenteria magni facienda addita argillâ & bolo Teccensi, abdomini emplastra ex ijsdem & luto inducta. Id penè omisseram post primam euacuationem non inutilem futuram aquam medicatam cũ axungia Lunæ prima vel sanguine draconis etiam ad nauseam & vomitum. Vomitus enim educit crassam & viscidam pituitam ac bilem crassam, quæ difficulter per intestina deturbatur. Non improbo etiam moderatum potum acidulàrũ in his morbis, potissimum in dysenteria cui iuncta febris.

Applicatio. | Purgatio. | Potus Bollensium. | Clyster è Bollẽsibus. | vomitus.

Ad dolores intestinorum: vt colicos & iliacos, CAP. XLV.

Flatibus verò ex intimis intestinorum anfractibus discutiendis, vt in Colica vsu venit ac in Ilei cruciatu, in clysteribus efficacissima aqua Aponi, ac iuxtà alia vena titulo S. Petri, Aseulanæ, Pisanæ, Lucanæ, Caiæ, Trescurianæ, Ferinæ, Aquisgrani, de Molgyus, Badeniæ vtræq;, Embs dictæ, Brigẽses, Fabarienses, Cellẽses, bituminosæ, salsæ, omnes vbiq; terrarum pro calido fomite actuali digerentes ac discussoriæ. Et aliquæ ebibitæ, vt ad Göppingã acidæ. Colicæ Alexãder Trallianus exhibet thermales aquas in potu quæ & euacuent & calfaciant: & item Auicenna 16. Tertij. Siccæ vero intẽperiei vt siccantia & calida balnea improbantur, ita balneis dulcibus vtendum & medicatis ex herbis emollientibus: hydrelæo itẽ & oleo. Porrò discussorij balnei vice artificialia aliquãdo sufficimus, vt vaporarij vsum, atq; olei vel hydrelæi soliũ tepens, maximè si ex fæcibus ibi induratis, vel sicca alui intẽperie pendeat dolor. Frigidæ .n. intẽperiei satis ea calorifica faciũt cõpetẽti vsu, Baccius. Idẽ lib. cap. 10. Peculiari instituto in colicis paßionibus solẽt medici ad Patauina balnea & itẽ ad Viterbẽsia, clysteres ex eisdẽ facere. Rulandus; Colicæ paßiõi medẽtur aquæ Annæbergẽses, Auuenses

Clysteres ex aquis. therm.

sticæ, Abr acidulæ, Baden ses Heluetiæ, Herciniæ, & Austriæ, Bertringenses, Hubbad, Vveringenses, Carolinæ, Dalfingenses, Vvolckenstein, Crastein, Piperinæ, Vvalliß, Schweinningenses, Göppingenses acidæ, Embs, Lencens. Syluestres, Bellerthal, aqua dulcis calida & aliæ aquæ ferratæ, bituminosæ, auriferæ. Item: Iliacam paßionem curant Piperinæ, Dalfingenses. Item: tormina ventris leniunt Salsulæ, Fideris, Montebaur quæ sunt acidulæ ferratæ, sulphuratæ, & aluminatæ, Sultzbergenses Fallopius de thermis cap.17. de balneo Aponensi: Ad affectus & dolores intestinorum confert summopere hæc aqua in potu assumpta vel per clysteres iniecta. Idem cap.25. de Aquariano agri Rhegiensis, aqua scatet frigida, quæ habet bonam mixtionem, ita vt centum & plures etiam annos integra seruetur, & ego eam bibi quæ tamdiu fuerat & extra proprium fontem seruata & incorrupta prorsus erat: Accepi etiam bis in colica affectione: inest sal & nitrum vt comperi ex distillatione. Si ponamus etiam aquam in vas aliquod ligneum in quo sit rimula per quam aqua sensim per totam noctem resudet, videbitis mane concretum sal in ea rimula. Habet hæc aqua vim calefaciendi & exsiccandi magnam: defertur in Galliã, in Hispaniã, Neapolim & alias longinquas partes incorrupta semper manens Calefacit ventriculum, colon intestinũ, prodest ad menstruorum alborum fluxionem, & ad omnia membra quæ laxa sunt, constringenda. Montagnana de balneis Patauinis tract.3. Colicos & iliacos absque lapide renum plurimum iuuat clystere ex aqua balnei cum quarta parte ol. ricinini & olei de baccis lauri, quod lenius, vel de ruta vt me docuit ratio & experientia: Paretur autem hoc modo: ℞. Aquæ balnei lib.1, ol, de lauro ℥. iiij, olei autem ricinini quia vehementius est ℥ ij. Iac. Theodorus scribit historiam notatu dignam de dolore ventris quo laborauit per annum, bis in die certis horis reduce, curato potu aquæ acidæ ex Langenschwalbach, *quo & purgabatur & dolores sedabantur. Cum autem rediisset cruciatus cum desiderio deiiciendi continuo, iniecto enemate ex aqua, educta magna copia acris & vrentis ac nigræ bilis, adiuncta viscida pituita & sanguine putrido, roboratus fuit etiam ventriculus qui non concoquebat. Ibidem legitur historia suffraganei laborantis dolore ventris diuturno, obstructione splenis, imbecillitate ventriculi, & cachexia, qui adiutus eiusdem aquæ potu. Hæc autem aqua constat multo ferro, vitriolo, misye, succino, sale gemmeo, camphora foßili & pauco sulphure. Ioh. Gôbel. aquas aluminosas S. Iobi nobis commendat in colico dolore & torsionibus intestinorũ à pituitosa materia enemate iniectas cum oleis quibusdam & benedicta: prodesse profluuijs alui tum potu tum balneo. Hæc ille. Pluris facerem aquam aluminosam in fluoribus alui quàm in colico dolore, in quo ad educenda pituitosa non faciunt quæ fluxus compescunt. Nostræ ergo aquæ mirabilis fontis commodiores erunt ad colicum dolorem propter mixturam salis. Sal enim abstergit: Propter bitumen quoque: Denique quia non tanta astrictio adest quanta in alumine solet esse. Andernacus: Aquæ S. Mariæ in Italia ferro & sulphure constant, articulorum resolutioni, iliosо colicoque dolori conferunt. Dortomanus:*

[Margin: Baln. Aquariani mixtura & vires — Aq. Langen. — Aq. S. Iobi. — Aq. S Mariæ.]

Colicus

Colicus dolor à pituita, flatu, abscessu œdematoso, externo vsu thermarum Belilucanarũ faciliùs cedit. Vvalterus Riuius in speculo dicit, thermas marchionum Badensium vtiles esse ijs qui diu laborarunt ventris dolore, colica & iliaca passione. Paracelsus de balneis scribens de thermis Marchionum, Vvildbad, & Zellerbad ait calere à calce, non esse vsque adeo efficaces, arrodere cutem propter calcem, non curare vlcera, tantum mundare: vires in restaurandis resolutis membris imbecilles, sedationem doloris colici communem esse cuilibet calefactæ aquæ aut calci affusæ: quod laßitudinem tollant, appetitum excitent, causam esse quietem & diuturnam lauationem: mitigare quidem aliquos magnos morbos, sed curare non posse. Hæc ille. Quàm bene iudicent medici qui de illis thermis scripserunt & tueantur suam Spartam, si placet. Quod ad me attinet in Iliaca paßione & colico dolore potißimum vbi astricta aluus vel inflammata intestina, præfero vnicum enema ex aqua medicati fontis admirabilis pseudochymicorum antimonio & argento viuo, quæ ignis violentiæ suæ symbolo imbuit conuersa in vitrum, flores, mercurium præcipitatum, sublimatum, turbith &c. Qui iliaca paßione & colica laborant vtantur intrepidè, donec aduenіant medici, enematibus ex aqua admirabili Bollensi: bibant etiam calidã. Medicus augebit vires aquæ herbis, oleis, & ijs quæ existimabit è re ægrotorum esse. Sanè si, vt vult Iac. Theod. lib. 2. cap. 32. ad iliacum & colicum dolorem vtiles sunt aluminosæ, quis dubitet parem esse Bollensium efficaciam, potißimũ si quo modo ille aluminosas, nos Bollẽses præscribamus? Quippe in aquæ aluminosæ mens. ß. decoquit absinthij, menthæ, fl. chamæm. sem. anis. ana M. j ad medias: decoctionis vnciis 24. admiscet ol. chamæm. ℥j. ß. elect. Bened. lax. ℥j. hieræ picræ ʒ ß. sacchary ʒj. oui vitellum. F. enema inijciendum modicè calidum, perque horam retinendum. Ab huius vsu biduano triduanóue certum pollicetur & præsens præsidium. Porro autem in dictis affectibus, Bollenses, me consultore, calidæ & liberali manu ieiuno ventriculo haurientur, quibus non displicebit incoxisse chamæm. cum aniso, vel fœnic. vel sem. carui, præsentibus potißimum flatibus vel pituita. Si non sequatur euacuatio dolorisuè mitigatio, aluusq; adstricta maneat, placet ad præscriptam formulam enema cõcinnatum inijci, aquâ Bollensi pro aluminosa substituta. At si à biliosis fuerint & calidis humoribus prædicti affectus, aut à scybalis retentis, nõ probo calidiora hæc, sed potius pinguiũ intestinorum decoctũ ex aqua admirabili cum oleo vel butyro, crebro iniectum: aut oleum ex aqua copiosa propinatũ. Si cui consilium est lauare, id non nisi aperta aluo faciet, nec diu in solio hærebit: cuiuscunque enim generis balnea, quantum ego in Germania obseruare potui, colicis doloribus parum conferunt, imò verò paresin inducere videntur, quo nomine nec eos magnopere iuuant, qui nuper admodum resoluti ineptos habent ad motum artus, vt suo loco dictum. Rulandus de balneis lib. 1. cap. 3. Ad colicam ventrisque torsiones ℞. Flor. chamæm. meliloti, anethi. S. lini ana m. ß. Menthæ, calamenti, absinthij ana m. j. Pulegij, origani, cumini, gran. juniperi, baccarum lauri, spicæ m. ß. sulphuris viui ʒ. j. Salis nitri ʒ. ß. Sacculo indita coquantur in s. q. aquæ flu-

Aq. Beliluc.

Badenses March.

Paracelsi censura de Badens. March. Ferinis, & Zell.

Bollensium vsus in Col. & Iliac.

Enema.

Baln. resolutionis colicorum caussa.

Insessus.

uiatilis ad tertias, & fiat insessus, quo vtatur æger manè & vesperi, & si opus sit noctu ac sæpius donec ex toto remittat dolor. Sacculum hunc decoctum in aqua admirabilis fontis non improbo, potissimum si applicetur ventri in colico dolore à flatibus vel pituitosis humoribus.

Ad vermes ac lumbricos. CAP. XLVI.

Belilue. *LVmbrici ab humidi pituitosi, crudi putrentisque nō planè putridi, succi copiâ interno vsu thermarum Belilu. faciliùs cedunt, Dort. Ander. de balneis dialogo 1. In Comitatu* Bitsch *fons bituminosus tempore Friderici Cæsaris*

Vualdsborn fons bituminosus. *cœpit innotescere vulgò Vualdsborn dictus, lapidibus bituminosis infectus est, super aquam oleum albi coloris, non nigricans nec grauiter olens vt Iudaicum, sed potius odoratū apparet. Valet ad capitis defluxiones, dolorē dentium & auriū ex frigida causa natū: capillos capitis retinet: valet contra albuginē oculorū, tussim inueteratā, difficultatē spiritus, dolorē stomachi & frigidam ventris intemperiē &c. Vermes ventris interficit. Bacc. Ceterū vermes ingeneratos enecant, extrahuntq́ aquæ maximè amaræ omnes, acres ac fortes, quales ex atramenti materia in Volaterrano, Acidæ, Porretanæ, Trescurianæ & ipsæ M. Catini salinæ. Vualterus Riuius: Fons acidus Göpp. potus enecat lumbricos, sedat colicā & iliacā passionē. Iac. Theod. dicit aquas acidas in* Langenschwalbach *impedire vermiū generationē, restituere pueros emaciatos ob lumbricos. Io. Göb. ait, aquas aluminosas S. Iobi pellere tænias quas* lange vnd breite Würme *nominat. Ruland. Vermes ventriculi enecant & expellunt nitrosæ, acidulæ Göpp. Auw, Vberkingē, Ebenhausen, Annæberg. Carolinæ, Teplicæ in Bohemia infectæ sulphure, nitro, bitumine, alumine, saxoq́ calcario, Aegranæ, Badenses. Hæc ille. Vti credo plerasque ex prædictis prodesse ad pellendos lumbricos eorumuè materiā educendā, ita etiam non dubito aquā nostrā medicatā tantundē præstare posse. Verū cum lumbrici, tæniæ, ascarides sæpe non cedant etiā multis & vehementissimis remedijs, potissimum si fuerint in ventriculo, consulo vt statim à principio qui volent eas expellere, iungant axungiam Lunæ 2. vel sennam, rhab. agaricum & similia adiectis insigni eorum antidoto, S. contra, corallina, & fraxinella. Poterunt etiam mane aquam medicatam calidam bibere cum absinthio, centaurio vel tanaceto.*

[Margin: Göpping. — Langensch. — Aq. S. Iobi. — Catalogus aq. ad lumbricos.]

Ad ani affectus, intestini recti relaxationem, mariscas siue ficus, hæmorrhoïdas fluentes, suppressas. CAP. XLVII.

Ani procidentia. *INtestino relaxato & tumido optimè conferre aquas aluminosas S. Iobi scribit Ioh. Göbel. Ad eundem morbum vtilem etiam futuram aquam admirabilem non dubito balneo administratam & euaporatione, addendo candentem lapidem scissilem vel etiam aliquid aluminis. Laudarim etiam si post balneum, reposito intestino inspergatur puluis scissilis lapidis cum argilla cœrulea vel bolo Teccensi: emplastro ossi sacco ac inter fœmineo apposito. Rulandus insessum ad tinesmum parat ex fol. tapsi barbati m. iij. & calyculorum sem. lini lib. ß. coctis in aqua. Idem: ad ani fluxum sanguinis eiusque conuersionem & pro-*

[Margin: Tinesmus.]

cidentiam valent aquæ aluminosæ, ferratæ, gypseæ. Ani phlegmonen, procidentiam & rimas curant aquæ Badenses Hercinia, Vvendingenses rimas & vlcera, acida iuxta Antegaſt, Badenses Auſtriæ, Embſenſes, Glottenses: tumorē Vveringenses. Item: Mariscas auertunt, Piperinæ, Aquisgranenſes, Vvetingenses, idque genus aliæ. Huc pertinet & hæmorrhoïdum consideratio, siue eæ p.n. fluāt, siue ſuppreſſæ: qua de re Dort. Hæmorrhoïdum ſuppreßio à frigidiore, craßioreque ſanguine melancholico, pituitoſo, item obſtructione &c. Vt prouocentur potum fotumque frequentem ac multum deſiderant aquarum Belilucanarum. Baccius lib.2. cap.1. Vbi verò noxiè retentas hæmorrhoïdaliū venarum fluxiones reuocare opus eſt, quæ menſibus ciendis commēdantur in potibus maximè vſurpandæ nitratæ, æneæ, ferreæ temperaturæ, Porretanæ, Albulæ, vel blandis certè lauacris extimulādæ, ſulphuratis ſcilicet, & quæ haud nimis exſiccent, vt Aquiſgrani lauationes, S. Philippi, ad aquas Piſarum & conſimiles. Exiſtimarim potum, balneum, fotū ac potiſſimū vaporem aquarū fontis Admirabilis hæmorrhoïdum turgentibus venis dolorem creantibus poſſe prodeſſe ac interdum aperire: ſi ægri id non impetrent, conſilio medici iungant alia medicamenta vt pilulas purgantes, & alia topica. Econtra autem accidit interdum vt plùs iuſto fluāt, in quo caſu Baccij conſiliū eſt l.3. c.1. Exſiccant hæmorrhoïdas omnia calorifica & ſiccæ naturæ balnea: habenda tamen ipſarum conditionis aliqua ratio. Oblongas enim & inflatas, quales ad thymos Cap. de pudend. vitijs appropriauimus, ſanare valent. Obſtante verò dolore, mitiora adhibenda & minùs acria, vt ſalſa aqua, & marina tepens, vel ex ſulphure & alumine, vel ex antimonio in priuatis remedijs comparata, & ex herbis medicatis adſtringentia balnea. Faciunt autem Porretanæ venis hiſce fluentibus, Sauanarola teſte, & eadem qualitate Albulæ. Faciunt & S. Caßiani ebibitæ, de Ficuncella aquæ ſuper cætera: quippe exſiccant, ac omnem ſeroſam humiditatem è renibus, ventre atq; hepate abſtergentes, tam calidam quam frigidam eorundem intemperiem corrigunt eodem teſte, ac viſcus ipſum mirificè confortant, & ſanguinem reddunt minùs fluidum. Idem præſtabunt Leucenſis aqua, & Ferina in potu ex Germanicis, plumbeæ, gypſeæ, omnes adſtringentes, emplaſticæque opplentes, & earundem virium medicata balnea arte facta. Item lib.5. cap.6. Aqua potulenta in Baianis Pugilli nūcupata, quæ vel eo nomine inſignes meruit laudes quod ſolutum quampiam ex cauſa vētrem aſtringere valet ac hæmorrhoïdarum fluores: calidam nimirum acremque intemperiem remouēdo. Quare nec fortaſſe à ferro abſoluitur, quemadmodum ſunt ad ea confinia Solis & Lunæ & Imperatoria vocata balnea ferrata. A longis pariter febribus liberat. Idem lib. 6. c.5. Aqua de Grotta ſub Viterbio tam balneo quàm potu atq; clyſteribus colicam diſcutit, iliacam atq; hæmorrhoïdas. Rulan. Hæmorrhoïdas ſupprimunt aluminoſæ, ferratæ, gypſeæ, Itē Plūbariæ Erkauēſes, Annæberg. Badenſ. Heluetiæ, Hubbad, Vvending. Vvolckeſtein. Io. Gôb. Si nimiū & nimis diu fluant hæmorrhoïdes aqua aluminoſa balnei S. Iobi miraculosè iuuat balneo ad vmbilicū & potu. Ego ſanè nō improbarim a-

Rhagades. Mariſcæ. Belilucanæ. Aperiendis hæmorrh. Bollenſium in hoc aff. vſus. Hæmorrh. ſiſtendis. Aq. Pugilli. Aq de Grot. Aq. s. Iobi.

Bollenses.

quam admirabilis fontis in balneo, modo non sit calidius nec mora diuturnior. In potu præferrem tamen acidas easque mediocri quantitate & non ea qua præscribuntur ad mouendam aluum. Poterit etiam addi axungia Lunæ & Sanguis draconis. Præterea anus aquâ mirabili ijs admixtis tepidè foueri. Non tamen reprimendæ hæmorrhoïdes nisi tantus sit fluxus qui prosternat vires.

Acidulæ.

Ad Cystis fellis obstructiones, Epiploï, Mesenterij Pancreatis vitia. CAP. XLVIII.

Belilue.

OBstructio cystis fellis à crasso viscido lentoq; humore vnde icterus flauus & alui excrementa multâ bile tincta more modoq; obstructionis venarũ mesaraïcarum curatur thermarum Beliluc. vnius diei potu, alterius balneo, si alternatim his aliquamdiu ægri vtantur: vt & aquâ stillatitia in pastu & extra cum sacchbaro vel melle: sale similiter reliquo post euaporationem & stillatam aquam. Epiploi, Mesenterij & Pancreatis saburratorũ tumores, ob ingluuiem nimij aut vitiosi cibi: item primæ vel etiam secundæ coctionis vitium (Dico primam & secundam coctionem more scholis recepto & vsitato, tametsi nulla coctio prima, nisi tempore, nulla secunda, sed omnes tertiæ reuera sint, hoc est, eadem sit ratio facultatis, functionis & vsus: diuersæ tamen partes & materiæ in prima & secunda quàm in tertia concoctione) Sanantur modo iam dicto nisi quod in hisce affectibus contumacioribus vt plurimum remedia in longiorẽ protelare moram oporteat: Dort. Cum obstructiones & affectus prædicti non facilè vni medicamento cedant, certè nec ita facilè solis aquis medicatis profligabuntur. Necesse igitur est vt ægri consulant priùs medicos peritos. Alioqui profuturas nostras aquas non dubitarim: poterunt enim victus ratione & potu aquæ calidæ mirabilis fontis præparari ad expurgationẽ. Vult enim Hippocrates προὔγραίνειν *corpora vt commodius euacuentur, id quod sine molestia fiet vsu triduano vel quatriduano potus aquæ quotidie augendo: quem sequetur deinde purgatio, quæ institui poterit propinatis catharticis ex aqua. Nec displicebit postea descensus in solium ad dies quindecim modò sit moderatum quod non excalefaciat nimiũ corpus & sitim pariat. Placent clysteres sæpe administrati ex aqua medicata sola vel alijs obstructiones soluentibus ac etiam purgantibus additis. Nec displicebit potus acidularum per se si sitis, & hepar calidius: vel cum vino.*

Omnis cõcoctio tertia est.

Obstructio affectus cõtumax.

Bollenses syruporum præparantium loco.

Solium.

Clysmata.

Ad Iocinoris morbos. CAP. XLIX.

IEcur autem maximè, seu calidam patiatur intemperiem, seu frigidã, & quocunq; adhibendo remedio, seu intrinsecus, seu extrinsecus, semper quæ robur visceri adiungant, desiderat, Galeno teste xj. Metho. Quam maxime prærogatiuam Ficuncellæ potiones obtinent; mediocris ex calido somite temperaturæ, eiusque ex ferri portione admista stypticæ, & quæ tamen noxia vndecunque purgamenta extrudens, cuicunque huius visceris morbo præsentanea est, vnde illi apud vulgus nomen Figatella inditum fuit Post hanc est Villa Lucæ, non adeo expurgans, Calderiana aqua, & sub Carpis, similesque, quæ bibun-

Iecur roborantes & expurg aq

Ferreæ.

tur. Deinde æneæ naturæ de Grotta, de Tiguro, Ferinæ, quæ calidiores sunt prædictis. Nec minus subtilis substantiæ Fabarienses ex auro, & Porretanæ, tam potu, quam lauacro ex alumine roborantes, vacuantesque, ac similes ferè tepentes Albulæ. Vltimo loco nitratæ, quæ quantum quidem ab alijs firmandi facultate deficiunt, tantum reliquas superant species refrigerando infirmata, aperiendo obstructa, & purgando, vt multæ sub Baijs, & in balneis Caldanellæ, Auinio, de aquis sub Pisis, aliæque. Eædem propterea ad morbum regium, & ad inflationes excutiendas efficaces. Nec secus sulphuratarum balnea temperata, Aponus, Aquisgranum, Bathoniæ in Anglia, Mattiacæ sub Maguntia, ne vulgares in Italia reiterem, & præter has temperatarum aquarum balnea. In frigidis verò, hepatici, seu qui obstructo, aut indurato viscere, toto abdomine inflantur, & Cachexiam illapsi efficaciora, & tam intus, quam foris calorifica magis digerentiaq; desiderant. Talis Aponus, & quocunque vsu accommodus, Sanctus Martinus ad iuga Rhetia, Badeniæ in Austria, alteræ in Heluetia, Leucenses, Ferinæ, Lotboringiæ, Tigurinæ, Grottæ. Idem lib. 4. cap. 11. Calidæ quoque, & in balneis celebres aquæ sunt ad Castellum, cui Vicum nomen, sub Alleccæ oppidi ditione in Corsica, quæ pro aliqua mistione ferri, mirificè viscera, ac intestina corroborant in potibus. Hepaticos fluxus persanant vt Ferratæ reliquæ. Similes aquæ apud Morazanum castellum, diocesi Mariana, vbi scabiem sanant, vlcera exiccant manantia, colicos, & artuum dolores compescunt, vsu balnei. Similes & ad Baricem Castellum. Atque hisce omnibus calidiores ad Talagum pagum. Itē cap. 9. Cum Alumine verò mineræ quoque sulphureæ est balneum, quod de Palatijs nuncupatur. Vbi magnifica balnei peruetusti, ad Serapidis templi vestigia apparent, cuius hodie quoque vulgare cognomentum seruat, Balneo de Monte Grotto, quod est in Patauinis adsimile ponitur Sauonarolæ, calfaciens, digerens, serosamq; excrementorum sobolem, quæ vitio hepatis in totum corporis ambitum diffundi solet, valdè exsiccans. Vnde aiunt has aquas experimento, ieur tota sui forma respicere. Dortom. Hepatis intemperies frigida, humida, flatuosa hinc dependet cachexia, hydrops: ex melancholico scirrhus fiens pedetentim exantlanda. Ob id mane & vesperi terni cyathi aquæ Belliucanæ hauriendi: clysteribus ex hac aqua, fotu hypochondrij dextri, deinde litu ex limo cui additum sit spicæ nardi, cinnamomi, & mastiches momentum, vna cum oleo absinthino vtendum. Sabulo ad litus maris obruantur hydropici. Rulandus: Contra calidam intemperiē iecoris & renum valet Kesselbron *acidula quæ inficitur ferro, ære, atque calchanto Contra iecoris intemperiem calidam, inflammationem & obstructionem valent acidulæ Vberkingenses, Göppingeases, Ebenhusanæ, Auwenses, Leiming, Me*ich, Ponterborn,* Kesselborn, *Kissing, & acidulæ aliæ, Item aquæ Embses Constantiæ. Contra iecoris intemperiem frigidam & humidam, & mala frigida conducunt Badenses Herciniæ, Austriæ, Vvillacenses, Teplicæ, Abecenses, Vueringenses, Dalsingenses: Iecoris dolori, tumori & scirrho conferunt sulphuratæ, Badenses Austriæ, Antegast, Badenweiler, Item*

Aeneæ. Aureæ. Aluminosę. Nitratæ.

Ad icterum & inflationes hep.

Sulphureæ.

Frigidæ hepatis intēp.

B. de Palatijs Viterbij

Ad calidam intemperiē hep. & renum.

Ad iecoris intemperiē frigidam.

Obstructiones.

obstructiones iecoris, splenis, pulmonum, renum, vesicæ, aliorumque viscerum & partium aperiunt Badenses Heluetiæ, Göppingenses, Vvildbad, Leucenses, Piperinæ, Cellenses, Hubbenses, Badenweiler, Leonstein, Vvaldsborn, Niderborn, Auw, Vberkingē, Deinach, Bassenheim, Mēdich, Dalsing. Glottens. Keeswasser Kronemberg, Laubach, Vuillacenses, & salsulæ, sulphuratæ &c. Io. Gô. dicit magnam vtilitatem esse aquarum aluminatarū S. Iobi in obstructionibus lienis & hepatis siue potu siue balneo: cōmendat etiam ad icterū. Fortè non minor erit vis tollendæ obstructionis in aqua admirabilis fontis ob subtiles partes salis, potissimum si stillatia aqua sumatur cum cichorio, agrimoniâ, & similibus: Præfero tamen in affectibus hepatis & potissimū calidis acidulas Göppingenses & Yebenhausenses, Peters &. Lingenbērgenses, Licebit etiam vti nostris aquis Bollēsibus ac ad præparationem euacuationi præmittendā in obstructionibus, vt ictero & tumoribus: Conueniunt etiā enemata. Augeri potest vis aquæ tum ad purgationem tum ad apertionem iunctis medicamentis internis & externis vt facit Dortomanus. In tumore hepatis frigido pituitoso non oberit litus cum aqua fontis nostri, bitumine, pyrite & lapide scissili ac alijs, quæ poterūt dextrè à perito medico assistente præscribi: quem requirunt hepatis morbi, ne incuriâ magis lædatur hepar siue nimio potu, siue nimio aut calidiore balneo: quo moderatissimè vtendum sentio ne à calore actuali balnei incalescat hepar, excitetur nimia sitis, ac ex nimio potu sequatur hydrops. Calida intēperie hepatis laborantibus omnino censeo abstinendum à lauacro, nisi interdum lauent vt obstructio pororum tollatur ac ea ratione exhalare meliùs possint acres aliqui vel maligni vapores in habitu corporis per mediocres sudores, vel insensibilem transpirationē vel si adsit aliqua scabies, cuius reliquiæ meliùs euacuandæ aut resoluendæ. Verùm caueant à diuturniori mora in calidiore balneo, quam etiam in aqua non medicata in his affectibus improbarim.

Bollensiū vsus.

Ad lienis affectus. CAP. L.

Lienis intemperies, frigida, humida, pituitosa, melancholica: Scirrus ab arteriarum calore destitutarū obstructione adstrictioneue multiplicē plexū in liene. Quin & ab arteriarū crasso humore refertarum in liene obstructione sæpe icterus niger (maximè virginibus cū primùm catullire incipiunt) alui astrictio, cachexia, hydrops oritur. His affectibus conueniunt thermæ Belilucanæ & eandem cum hepate curandi methodum desiderant. Sed quia hoc in dextro, ille in sinistro stabuletur hypochondrio, vtendi modo variant, Dort. Eadem ratio in ministrandis circa lienem balneis quæ in hepate esse debet: nisi quia pro ratione huius visceris, solidioris ex natura substantiæ, frequentius ab intemperie frigida, humidaque lædi solitus, calidioribus, & magis subtilis essentiæ potibus gaudet lien, & quæ simul egregiè firment. Quare lienosis, id est obstructionē patientibus, duro, oblongo, ac tumido ad sensum hypochondrio si-

Icterus virginum.

nistro, ferratæ aquæ (vt Rasis est author) à proprietate conueniunt, quales supra paulò recensuimus multas. Deinde æneæ, deinde nitratæ, deinde aluminatæ omnes in potibus: Vel in balneis calidæ omnes, & cum viribus digerēdi, nec ferro exutæ ob eandem affinitatem, quales Caldanellæ sub Senis, de aquis in Liguria, sub Luca, sub Pisis, sub Viterbio, in Hispania multæ. Præseruare à lienis morbis Anticoli aquas vsu comperimus, & similiter aquas ab vrbem, Acidulas Sancti Iohannis: confert quoque obstructo visceri lixiuium ebibitum eiusdem Rasis Medici authoritate, vel quales naturales aquæ aliquæ in Baiano produntur, quæ cineres, ac pumices elambunt. Galenus in ix. de comp. Med. secundum loca ex Triphone marinam quoque commendat in potu cum vino, ex balneo tamen aquarum dulcium, ac malagmate: Et idem discussorijs rebus illutamentum, salsum, sulphurosum, ferreum, actu calidum, qualia ad neruos contractos, & in articulorum tumentijs idonea esse comperiuntur. Caliæ vero intemperei, ac inflammato lieni, satis quæ hepati adscribūtur faciunt, Baccius. Rulandus: Contra lienis vitia omnia opitulantur aquæ ferreæ, sulphureæ, dulces: imprimis vero Piperinæ, Leucenses, Gebersweiler, Badenses Herciniæ, Bertringenses, Annæbergenses, Auwenses, Saurenthal, Montebaur. Obstructiones lienis iecoris, renum, aliorumq; viscerum aperiunt Sylvestres, Glottenses, Göppingenses, Vberaking. Ebenhausanæ, Vvolckenstein, Leucenses, Piperinæ, Cellenses, Leonstain, Niderborn, Brintzbach, Mendich, Heilborn. Lienis obstructionem & intemperiem calidam depellunt acidulæ Auwenses, Vberkingens. Ebenhausanæ, Leumingens. Ponterborn. Lienis tumorem, duritiem, inflammationem, doloremq; curant aquæ salsæ, sulphuratæ, Casteininæ, Löffingēs. Badēweiler, Bassenheim. Lienem extenuant acidulæ Kerlich, Kesselborn, Kißing. Montebaur. Lienis intemperiem frigidam emendant Badenses Herciniæ, Dalfingenses, Vueringenses. Hæc ille. Scribit Præceptor meus Rondeletius, Tot fiunt morbi & tales in splene, quot in hepate: Quare simili modo & simili methodo & fere eadem materia medica curantur: In hoc tamen differunt, quod morbi splenis valentiora remedia incidentia ob materiam quam continet terream & crassam requirunt. Verùm quia fortiter aperientia lædunt hepar, in internis cauendum. Hæc cum ita se habeant non erimus prolixiores: tantum monebimus, nos plures facere in huius affectibus balnea quàm in hepatis: Præterea etiam nos magni facere enemata, quibus addi possunt fortius extenuantia, aperientia, purgantia, hæmorrhoidas mouentia vt depleatur splen sine hepatis noxâ Cum potu etiam possunt addi Scolopendrium siue Ceterach, Tamariscus. In topicis lutatione cum oleo capparorū, fotu additis corticibus eorū & similibus poro arbitrio periti medici.

Ac. marina. | Illutamētū. | Contra Lienis vitia. | Hepatis & lienis ijdē morbi, eademque fere remedia.

Ad Hydropem. CAP, LI

Hydropi omni incipienti occurrit aqua Grottæ: confirmato autem non adeo solet prodeße. Similiter & Serapidis balneum cum ferro. Vitio autem hepatis cōfirmato pauca spes in omnibus balneis eße debet. In curatione .n.

Hydrops cōfirmatus balneis nō cedit.

hydropis prima statim se exhibet redundantis aquæ vacuatio, cui rei quanquam aliqui nostri veteres aquarum naturalium potiones, & balnea consulunt: docet tamen experientia, ac ratio, non esse eis admodū confidendum. Verendum enim in potionibus est, ne aqua aquæ addatur. Itaque æger siue ex viriū imbecillitate siue nimio onere succumbit, vt aliquos vidimus ad hoc remediū inhiantes in ipso etiam vsu miserè periisse. Balnea verò, quamquam calorifica, & fortia, vel nequicquam sunt tumenti hydropi, vel certè prosunt tantum in fine & vacuatis aquis. Quocirca tria iudico necessaria: hepatis robori primo, ac perpetua curatione esse intendendum. Secundò facto hydrope à balneis abstinendum, & tertio tentanda balnea, vel in principio, si ita ratio postulare videatur: vel certe in fine. Quæ vteri vitio vel lienis coaceruari solent humiditates, & in Ascitis specie principio, vidimus nitratas, ac salsulas quasdam modicè purgatorias sanasse in totum & sola in Marinis balnea, & quales probauimus Grottæ aquas calorificas, digerentes, roburque visceri, ac nutritoriis reliquis adiungētes, adhibitis aliquandiu ad finem, vel sulphuratis, similibusque calidis balneis, vel ex marina aqua.

Ad Tympanitem.

In Tympanite verò discussoriæ omnino facultatis esse oportet aquas, siue in potibus in principio tentanda sint, siue in balneis sub fine: quando idonea quoque est vaporibus ipsarum calidarum fomentatio, qualis ad Corsenam commoditas, ad Aponum, ad Baias, ad Puteolos, nec minus super saxa, barenasque calentes sub Sole recubitus insolatusque. In Hyposarca denique assidua prosunt illutamenta præter cætera & in marinis, salsis lacunis, atramentosis paludibus in sulphurosis calidissimis quantum vires sufficiunt, lauari. Adde incomparabile remedium ad omnem hydropem in puluere ad aquas calidas in Ischia voluntari, atque insolari. Ex Plumbo balnea in Lothoringis omni hydropico permira habentur, Fabariensia, Badenia vtraque. Calidæ ad Viennam ad fines Bohemiæ cum lutamentis, & infra sub Buda aliæ. Acidum & valdè potens Stygianum ex nostris, non longè ab vrbe, & Sabatinum valde acre, Bullicanum Viterbii feruidum, Bulla saliens ad Puteolos, Thermæ in Sicilia, calidæ ad Lucum Augusti in Hispania: quæ omnes vbique calidæ ad Hydropem valere ab authoribus promittuntur. Omni item hydropi ex salsis clysteria vtilia sunt. In herbis medicatis similiter decubitus, insolatus, exsudatio saburratio, quin sub tritici aceruo, aut salis, dum calent, volutari valde conuenit. Nec minus stuphæ, hypocausta, ac Pyriateria, Baccius Idem lib. 4. cap. 8. Prope calidas in Ænaria insula sunt speluncæ, est vsus Arenationis, cui fortasse parē facultate non inuenies in tota Italia. Siquidem natura soli sponte calida, ac sicca cum sit totaque materiæ sulphureæ ac aluminosæ, discussoriā obtinet virtutem egregiam. Quamobrē defossa ad genu scrobe calenti puluere obruuntur, tecto tamen sub tuguriolo capite ac mutato sæpius puluere vbi refrixerit. Iuuat Hydropicos supra oē remediū, podagricos tumores discutit, hystericas ventre inflato mulieres sanat, artuū tumores resoluit. Paralysin firmat, neruorum contractiones quæ ex humiditate ac frigiditate pendent distendit, omni frigidæ ac humidæ intemperiei convenit.

Balnea.

Saburratio.

Sudationes siccæ.

Idem

Idem cap. 10, meminit balnei Porcetani Aquisgrani quod lapidem in alueis facit: cuius præcipuus sit vsus in balneis, quibus valde exsiccet, humidis idcirco defluxionibus articulorum, cutisque affectionibus idoneum, ventriculo humecto ac nauseabundo opitulari, hydropisim, laxosq; tumores id genus extenuare. Gal de simpl. facul. l. 1. c. 7, Salsæ, nitrosæ, sulphurosæ, bituminosæq; omnes aqua inter cutem laborantibus perutiles. Ambrosius Pareus lib. 25. cap. 42. de med. facul. & compos. Aquæ calidæ morbis frigidis & humidis auxiliantur: membrorum inflationes hydropi, ictero, ab humoris craßi lenti & frigidi obstructione superuenientes tollant &c. Vtiles cutis defœdationibus, herpetibus, elephantiasi, lepræ. Vitandæ tamen sunt naturis biliosis & feruido hepate præditis: Nam cachexiam & hydropem iecore assato inueherent. Fallopius de thermis capite 17. de balneo Aponensi: Facit ad leucophlegmatiam, nec non ad hydropem particularem ventris, si præcipuè æger vtatur huius aquæ vaporibus, id est stufis. Andernacus: Omnis aquæ inter cutem species quamuis balnearum aqua in primis discutiatur: tamen etiam luto ventri obducto. Item Aquæ Vicebadensis calidæ admodum potus ad aquam inter cutem ex frigida & humida materia contracta conuenit. Idem, Aquæ Ferinæ Vvildbad paulò magis quàm temperatè calidæ sulphure, sale, & alumine imbutæ. Potæ quidem iecoris & lienis obstructiones in aqua inter cutem & morbo regio aperiunt. Idem, Aquæ Cellenses tepidiusculæ malo habitui & aquæ inter cutem subueniunt potæ. Idem, Aquæ Vvembdingenses manufactæ calidæ humores, & aquam inter cutem discutiunt. Idem Aquæ medicatæ in Zuckenthal sulphuris, aluminis, nitri & salis participes hydropicis, flatuosis tumoribus, anhelatoribus, vteris frigidis & albo ipsorum fluori, laßis & scabiosis in balneis conferunt. Idem, Aquæ calidæ domus nouæ in Italia ex alumine & sale copioso, calcis & cineris modicè participes, aquæ inter cutem ex frigida intemperie contractæ potu vtiles. Idem, aquæ Asinellæ in Italia ex ære constant, sulphuris participes: hydropicis, obstructionibus viscerum & vteri collectionibus potu vtiles. Iohan. Gœb. ait aquarum aluminosarum Sancti Iobi vsum consumere humiditates facientes hydropem, si hydrops non sit inueteratus & confirmatus. Item postea, potu & crebro balneo optimas esse ad tumentem ventrem siue hydropem, icterum & spieneticos affectus: id scio inquit, non tantum auditu, sed etiam experientiâ. Rulandus, Hydropicos sanos faciunt aquæ nitrosæ, salsæ, maximè autem Vvendingenses, Vveringenses, Vvolckstein. Vvalisserbad, Vveisbaden, Sultzberg, Annæbergenses, Auvvenses, Antegast, Aquisgranenses, Dalfingenses, Leucenses, Badenses Hercyniæ, Austriæ, Göppingenses, Teplicæ, Abecenses, Vvillacenses, Vberlingenses, Brugenses, Piperinæ, Syluestres, Cellenses, Zuckenthal, Belleribal, Heylborn, & reliquæ aquæ atque thermæ calidi & sicci temperamenti. Item ad tympanitem commendantur aquæ Bertringenses, Castein. Iac Theod

A. Porcetā. Aquisgran.

Aq. Aponēses.

Aq. vicebadenses.

Cellenses. vvemding.

Aq. in Zuckenthal.

Aq. domus nouæ.

Asinellæ.

Catal. bal. ad hydropē

dicit aquas acidas in in Langenschwalbach tollere cachexiam, cōsumere hydropem & potissimum Asciten: adeoq; & ab hydrope præseruare. Ex eodem demonstratum aquas quæ spiritus sulphuris habent vtiles esse hydropicis. Cum autem admirabilis fons eos etiam habere videatur & præterea aliorum metallicorum ad hydropē facientium, non dubitarim asserere vtilem esse etiam admirabilem fontē modò hydrops nō sit deploratus, & consilio adsit peritus medicus, qui prius hydropicos præparet ad balneum, impediat à nimio potu, caueat ne hepar nimiū incalescat, procuret fluidā aluum, moueat vrinas & sudores alternatim, potissimum per vaporarium à nobis institutum, & nominatim in leucophlegmatia. Arridet quoque nobis medicamentū Tabernæmontani, potissimum si hydrops sit Ascites, de quo sic scribit lib. 2. cap. 39. Medicamentum ex aqua sulphuris aduersus hydropem. Accipe tres manipulos seminis lathyridis, salis m. 1. Contunde simul & cum aqua sulphurea fac pultem, quæ extensa supra pannum applicetur tumenti ventri, manifestè videbis aquositatem consumptum iri cum diminutione tumoris. Eodem modo in balneo admirabili paretur medicamentum cum lathyride, sale, addito lapidis scißilis & pyritæ tenuissimè triti m. 1. ß. abdomini applicetur post euaporationem & tamdiu permittatur donec siccetur totaque nocte maneat donec sequenti die lauacrum, in quo non nimium diu hæreat, abluat. Possumus etiam arenationem artificialem instituere. In vaporario crebris foraminibus pertusi aluei caldariorum vaporibus excipiendis superponentur: puluere lapidis scißilis, cuius quantitas maxima esse debebit, pyritæ, gagatæ interiecto panno lineo aut canabino densiore (ne puluis per foramicula excidat) replebuntur. In his volutabit æger, aut partem tumentem detinebit. Vaporationes cum videam approbari in hydrope & leucophlegmatia, quæ eius species à Fallopio de thermis cap 15. Si quis igitur eâ siue hydrope anasarca laboret & velit vti aquâ medicata admirabilis fontis, suadeo cum Montagnana tract. de balneis Patauinis, vt potius recipiat vaporem aquæ in hypocausto quàm balneet: Idem suadeo agendum in tympanite. Addit Montagnana magis iuuari laborantes tympanite decubitu super saxa vel lateres aquâ balnei calefactos: Se vidiße ex vapore maximum iuuamentum, vt vtar eius verbis, in prædictis morbis & in duritiebus neruorum, & ad sedationem dolorum à materia frigida & flatibus procreatorum. Suaserim ergo vt vis aquæ nostræ augeatur iniecto lapide scißili candente qui facilè excitabit vapores extenuantes, siccantes, & excalefacientes. Potum acidularum interdum vtilem aduerti & nominatim anno millesimo quingentegesimo nonagesimo sexto Grisbachianarum cuidam insigni viro magna cachexia & hydropis principio laboranti. Alter autem æger egregius vir præterito anno earumdem vsu in hydropem incidit, qui tamen Deo ita fauente, varijs remedijs longo tempore administratis curatus est. Qui sibi timebit ab hydrope non bibat aquas nostras nec acidulas sine consilio: & inter alia hoc diligenter obseruet

Bollensium administratio in hydrope.

Arenatio.

Vaporatio.

Potus acidularū anceps euentus, noxius magis quā vtilis.

vt consideret an aqua reijciatur pro ratione ebibitæ, per aluum, vel vrinas vel sudores: quibus euacuationibus non succedentibus, earum vsus non carebit periculo.

Ad lumborum, renum & vesicæ morbos.

CAP. LII.

RENum verò affectus, viscerum, & maximè hepatis, cui videtur ministerio subesse, rationem in Balneis consequuntur, ac vesica renum. Vexantur autem renes calidæ intemperiei affectu vt plurimum, tum quia primarij, latiq; venarum, & arteriarum caudices eò trāseunt, tum quia renū ipsorum substantia laxa pinguitudine admodum inflāmabili quæ ex sanguinis ibi serositate luxuriat, participat. Vnde ex leui quacunque causa, vel exercitio immodico, vel percußione, vel ponderis leuatione, vel cibarijs calidis, vel etiam venere, incandescere solent, & inde lapides in materia ibidem cruda, & crassa gignuntur, inbecillitates in tenui humido, inuoluntariæ pollutiones, fluores albidi, diabetica paßio, inflammationes, vlcera, morbi immedicabiles. Primæ curæ ergo debet esse calida intemperies, cui per easdem balneas super cætera rei medicamentariæ remedia, occurrendum. Purgantes scilicet subtilis, & mediocriter calidæ essentiæ, aperientes, digerentes, vt nitratæ, atq; æneæ, vel non indecores, si ad robur conferendum ferro quadātenus participent. Quæ scilicet & detergunt simul uiscera, & confortant. Qua sanè virtute ad eos etiam qui sanguinem mingunt, siue ipsa debilitas renum in causa sit, siue laxitas vasorum, siue humorum tenuitas, hæ iure balnei ebibitæ aquæ mirificè probātur: Ficuncella, Grotta, Tigurum, Villa, Plaga, Iuncaria, Gibberosum, Porretanæ, Albulæ, Aponus priuata virtute, & in externis permultæ. Quæ & arenulas, calculumq; tam è vesica, quam renibus conterere, ac extrudere pollicentur, & vrinas prouocare. Nec est dubitandum, quomodo poßint medicatæ aquæ harenulas extrudere, aut frangere lapidem, cū ex aduerso plæraq; ex dictis aquæ præsertim ferratæ, & aluminosæ, manifestè lapidescant ipsæ, qua transeunt. Nam in omni ferè medicinæ vsu, satis quisque deberet contentus esse experientiâ, qua scilicet liquidò patet hanc aquam ebibitam facere ad lapidum vitia, quicquid exterius moliatur contrarium, præsertim quia ratio diuersitatis huius est in promptu: Nam vnius rei non est eadem dispositio intra, & extra adhibitæ, in corpore humano, & in alijs rebus. Nam ex summi Philosophi decretis, non fit quodlibet exquolibet: Sed determinatum ex determinato. Aqua hæc super terram lapidem gignit, lapidem ebibita homini detergit, extenuatq; euidenter lapidem, & ducit arenulas. Tales manifestè effectus cōtrarios videmus in Albulis. Quin Anienis fluuius, quacunq; pertingit lapideam facit terram, & ligna, & cortices: & tamen Tybure toto fere anno turbida bibitur, & rarißimè tamen lapidum vitia sentiūt, nec harenulas Porro eiusdem facultatis, ad vrinas promouendas, & ad calculos sunt Porreta-

Intemp. cal. & eam sequentia.

Ad sanguinis mictū.

Ad calculos & arenulas.

Quomodo aquæ extrinsecus lapidescētes lapidem frāgant bibitæ digressio.

uæ, Villa Lucæ, Paganelli balneum sub Viterbio, Tritoli, & Tritolæ pari nominis virtute Puteolis, Petræ ibidem dictæ aquæ, Sancti Georgij insignibus ad Baias, Furnelli, & Succellaria, quos fontes laudat ad hoc Plinius in Ænaria, aquæ ad Tungrim in Gallia, quæ hisce affectibus antiquißimæ laudis sunt. Fiderij item fontes in Rhetia, Cellenses aquæ in Heluetijs, Fabarienses, Ferinæ, plures aliæ. Acidæ subindè aquæ, quarum in renibus vesicáque, & meatibus vrinæ expurgãdis prima est prærogatiua, qualis in Stadiano Dimidia, in Venafrano Acidula, ad Theanum Sidicinum Plinio, ad tres fontes extra vrbẽ porta Tergemina, aqua Anticoli in Campania, Acidula in Bergomensi, acidæ ad Göppingam, ad Rotenburgun, & aliæ in Germania, quæ omnes & in potibus priuatis bibuntur. Balnearum enim Solia aut disponunt, quemadmodum mollia quædam & bituminosa, aut dolori leniendo ministrantur, qualia priuatim ex temperatis aquis, vel hydrelæo, vel oleo balnea, & emollientia eius generis alia, quemadmodum & ex Iudaico lapide per artem medicata aqua, quæ calculis à tota eßentia facit in potibus. Eædem omnes aquæ, ac similes vrinæ acritatem ardoremque, & inde natam stranguriam, vel mingendi impatientiam sanant præter cæteras medicatas, inflammationes arcẽt, vlcera abstergũt, curantque, in quo maximè Albulas in Latio celebrauit Aëtius ex Archigene, & nos Porretanas, Viterbienses, Lucanas, Caßianẽses, in Tuscia, vt insigniores adducã. Ad quos omnes affectus, Vesicatorias dictas in Tuscia, ob vesicæ proprietatem celebrat Scribonius Largus. Eædem inuoluntariam siccant seminis effluentiam, nocturnas pollutiones, improuisam per somnum emictionem, diabeticum fluxum, & sitim exinde natã inextinguibilẽ, Maximè vero laudãturq; in potibus medicatis expurgando, pro ferri qualicunque impreßione, vim quoque insignẽ obtinent roborandi, deinde æneæ deinde aluminatæ, deinde nitratæ, postremò salsæ, & quæ extrinsecus balnea vtcũq; prosunt, ex ferro itẽ admistæ, vel plũbo, vel alia minera, quæ actiuis sint qualitatibus temperata. Nam obstructis aperiendis, tum in renibus, tum in vesica, ac frigidis earundem intemperantijs corrigendis; satis ex prædictis balnea eligi poßunt, Baccius. In Baianis Gibberosi aqua potabilis quidem, ac super aliam quancunque in renibus iuuandis efficacissima perhibetur, meatus vrinarios apperiens, abstergens, firmans, arenulas mucoresque in his locis hærentes extrudens, fluores muliebres ex locorum imbecillitate mirificè sistens. Idem; Nitrosa Sancti Georgij nuncupata aqua lapidem frangit. Idẽ, Paganelli balnei aquæ secundæ in Viterbiensibus laudis: sanè quæ à Grotta celeberrimæ aquæ tum naturam tum virtutes æmulantur ex nitri natura limpidæ, iucundæ & potulentæ cum virtute soluendi ac prouocandi vrinam. Tritolæ sub Viterbio aquæ arenulis, calculisque extrudendis comprobatæ. Fallopius de thermis cap. 11. Aqua thermarum pota iuuat renes & vesicã quia per has partes transit: Vnde Archigenes exhibebat medicatas aquas in affectibus vesicæ, & Scribonius & Marcellus Vesitularias dictas quia facerent ad affectus vesicæ. Idem: In Regiensi ditione apud Castellum Brundusium est fons aquæ medicatæ frigidæ, cuius aqua pulcherrima, habet nescio quẽ

Ardori vrinæ.

Inflammationibus.

Vlceribus.

Censura aquarum ad vesicæ & renum morbos.

saporem salsum, sed illum minimum vixque perceptibilem, ea aqua bobus gratissima. Anno 1468 à Christo Saluatore nostro nato cœpit ineunte æstate inter boues grassari talis epidemia, vt omnes mingerent sanguinem, & omnes illi boues qui bibissent vel biberent dictam aquam sanabantur: aliorum autem locorũ boues, quibus non erat data facultas bibendi, moriebãtur: Quod vbi obseruatum, omnes finitimorum locorum pastores suos boues ad illam aquam duxerunt. Tandem res à bobus ad homines deuenit, & cum quidam paterentur circa vesicam, cœperunt analogiâ quadam argumentando in potum assumere, & aliqui excreuere arenulas, aliqui lapillos, aliqui saniem, & sanati sunt: Quæ res demum deuenit ad medicorum aures, qui aquæ illius vsum pro affectibus virgæ & vesicæ comprobarunt, & hactenus illius vsus ad talem affectum viget. Idem cap. 17. de balneo Aponensi: In potu aqua hæc iuuat renes & vesicam, cum repleti sunt renes arenulis vel materia pituitosa multa, vel si adsit vlcus; modò absit inflammatio. Similiter vlceribus vesicæ prodest, maximè si non possunt retinere lotium, ita vt die noctuq; & semper mingant, propter resolutionem musculi vesicæ: In hoc affectu nihil est præstantius quàm vsus istius aquæ tum in potu tum per insessionem, quia aqua ista exsiccat, digerit, calefacit & roborat partes. Andernacus, In nephritide & vrinæ difficultate solent etiam quædam condita & pulueres exhiberi post balneum, vel aquæ potionem, nempe El. Iustinianum aut Lithontribum dictum, vel medicamentum quod recipit: Nucleorum persicorum, cerasorum sing. ℨ ij. Dauci, Seseleos montani sing. ℨ. vj. Sem. fœniculi, anisi, Glycyrrhizæ sing. semunciam, Artemisiæ ℥. 1. Zacchari modicum. In puluerem redacta mixtaque cochlearis instar ex vino albo tenui vel aqua naturali (fortè minerali) si huic malo conuenit, assumi debent. Aliquando Zulapia quædam vel decocta quæ renes & vesicam affectam respiciunt, leniterq; vrinam mouent, qualia optimè fieri possunt ex Benedicta siue Garyophyllata, Aquilegio spinoso, Carduo benedicto & similibus: vel ex aquis aquilegij spinosi, adianthi vtriusque sescunciâ, olei ex granis juniperi guttis tribus. Idem: Aquæ ferinæ potæ renum & vesicæ calculos expellunt, vrinam mouent, ventriculum & intestina confirmant, colicos dolores sanant, appetentiam cibi mouent: In balneis etiam præ cæteris calculos ejiciunt quod sæpe vidimus cum in alijs tum in muliere quadam prouectæ ætatis, quæ lapidem oui columbini instar insidens aquæ, ad extremam vsque vesicæ ceruicem excernebat, cui illè adeo impactus erat vt sine auxilio chirurgi exire non posset. Eodem tempore etiam concionator quidam pituitæ quandam materiam adeo viscosam & longam, vt intestinum quoddam videretur, per vesicæ canalem reddebat. Idem, Vvembdingẽses aquæ manufactæ calidæ sulphure, alumine & nitro constantes, valent ad renum & vesicæ calculos, adeo vt quidã à chirurgo malè curatus illius vsu quadraginta calculos reddiderit: vrinam non retinentes sanant. Idem: Aquæ à terra dictæ vrbis veteris aluminosæ & ferreæ, purgant renes. Idem, Aquæ Carpenses in Italia frigidæ, odoris fere nullius, non adeo grati saporis, aluminosæ & modici sulphuris, salisque participes renum &

Boues mingentes sanguinem.

Aq. Aponẽs.

Vlcera vesicæ.

Aq. Ferinæ.

Vvẽbding.

Terrestres.

Carpenses.

vesicæ exulcerationi conferunt & alia vlcera conglutinant. Idem: Aquæ in Apulia à Petra dictæ quod petræ calculos conterant expellantque. Idem, Fons Vvaldsborn valet ad calculum insigniter & ad vesicæ flatus, nec non ad vteri stranguslatum, & eius prolapsum. Idem, Aquæ medicatæ iuxta Vberkingen plumbo, ære, & sulphure, frigidæ erumpunt, ad vesicæ & renum vitia calculosque vtiles in balneis. Vvalterus Riuius in speculo sanitatis dicit esse balneum calidum in Alsatia Gebersweiler constans alumine, nitro & ferro potu frangens calculũ renum & vesicæ. Si vera dicit, nõ dubitarim asserere admirabilem fontẽ idem præstare posse ob mixtionẽ metallorum quæ in nostro cognita est, in illo ignota. Reinerus Solinander de eodem: In Alsatia inquit, non procul à Gebersvvilero, sunt aquæ calidæ quibus hactenus nullũ sulphur ascripserũt, nec euidenti argumento aßignare possunt. Eidẽ postea sunt aluminosæ, nitrosæ & ferratæ. Io. Gob. scribit aquas aluminosas S. Iobi vtiles esse in potu & balneo ad renũ & vesicæ calculos, ad dysuriã, stranguriã, vrinã purulentã & sanguinolentã, modò non adsint calidi tumores. Ego præferrem admirabilis nostri fontis aquas, quia non ita astringunt. Rulãd. Contra spinæ dolores valent Carolinæ, Elboganæ Bohemiæ sulphuris & aluminis participes, Löffinge oppido Furstenbergensi aquæ frigidæ sale, nitro, & alumine constantes, Bertringenses. Idem: Contra lumborũ morbos præstant aquæ sulphureæ & harum species. Nephriticis vtiles sunt cupreæ, dulces, Leucenses, Auwenses, Luterbach, Episcopi Argentinensis balneũ sulphureũ, Carolinæ, Keswasser, Sylueſt. Vvolckenstein in Misnia imbutæ aquæ permulto alumine, pauxillo pyrite, atq; bitumine. Itẽ, Contra renũ morbos & dolores iuuãt aquæ æreæ, salsæ, Badenses Helueticæ, Herciniæ, Plumbariæ, Bellerthal, acidula in valle Bellethal ex ferro, calchantho, & sulphure pauco profluens, Annæberg. Vveringẽses, sulphuratæ, bituminosæ & salsæ aquæ. Renũ chron. mala Piperinæ sanant. Renes refrigeratos Bertringenses. Renũ exulcerationẽ Carolinæ, Renum inflãmationẽ & calidã intemperiẽ Cellenses, Embs, Kißing, acidæ infectæ sale multo, alumine ac calchantho: acidulæ aliæ. Renũ arenã & calculũ tollunt Syluestres, Badweiler, Ribbacẽses, Brintzbach, Castein, Embs, Brigenses, Keswasser, Sultzberg, Schweiningen balneum particeps sulphuris atque aluminis, Vvatsweil, Fideris. Idem, Calculum vesicæ & renum rumpunt, dißipant, educũt aquæ sulphuratæ, aluminatæ, auriferæ, salsæ. In specie Aquisgranenses, Annæbergenses, Badenses Heluetiæ, Castein, Dalfingenses, Keswasser, Luterbad, Vveringenses, Vvolckenstein, Zellerbad, Vvildbad, Erckauenses, Egentinæ. Badweiler, Fideris, Brintzbach, Piperinæ, Marggraffbad, Leuckerbach, Schweiningenses, Embsenses, Hubenses, Vberlingenses, Vvaldsborn, acidulæ in Leuningen, Birckfeld, aquæ in Mendich, Niderlonstein, Saurenthal, Kißingen, Carolinæ, Vvendingenses, aquæ ad Aegrã, Kronenberg, Sultzbrun. Stranguriam auferunt Dalfingenses, Teplicæ, Annæbergenses, Vvendingenses, Vveringenses. Idem: Vrinæ difficultatem, ardorem & suppreßionem tollunt, vrinam, prouocant, & corporis viscera per eam purgãt, aquæ Badenses Heluetiæ, Herciniæ, Cellenses, Hubbad,

Petreæ. Vvaldsbor. Vberking. Gebervvill. Aq. S. Iobi. Spinæ dolor. Lumborum morbi. Nephritici. Renũ vitia. Aq. Lithonthrypticæ.

Vberlingen, Vvendingenses, Vvisbad, Aeganæ, Annæberg, Antegast, Vvesterbad, Sylucstres, Heylbrun, Balneum aquæ dulcis calidæ. Vrinam non retinentibus conferunt ferratæ Vvendingenses, Bertringenses. Idem eodem lib. de balneis præscribit insessum ad arenam renumq́; calculos. R. Raparum num. v. Nasturtij aquatici, Polygoni ana m. iiij. Incisa lineo sacculo indantur ac incoquantur aquæ quantū satis est insessui: vtatur æger tēpore paroxysmi & vbi ingēs vrget dolor. Hæc ille. Nō displicet augeri vires aquæ admirabilis incoctis herbis: verū malim meliloto vel chamæm. vel aliqua plantâ vrinā mouente vti quā dubio polygono refrigerāte & astringente: de quo ait Gal. l. 8. simpl. Refert Diosc. quod & vrinā prouocet exhibitū stillicidio seu strāguriâ affectis, nō tamē affectū ritè discriminat, in quo ipsum dari expediat. Ad vesicæ calculum & stranguriam præscribit insessus frequentem vsum ex Raphanis x. incoctis in aqua. Ego si calculus sit magnus in vesica, existimo potius nocere quàm prodesse. Iac. Theod. dicit aquas acidas in Langenschwalbach vtiles esse in omnibus morbis renum & vesicæ, pellere arenas, impedire calculum, expertum esse & singulare remedium ad dolores lumborum & renum à calida renum intemperie, vnde corporis extenuatio: repurgare renes, vreteres, & vesicam exulceratos & purulentos, non autem curare. Pantalcō c. 18. scribit, aquas thermarum Tigurinarum facere ad Nephriticos, & lumborum ac vesicæ dolores, aperire obstructiones renum, materiā viscidam pellere ex qua fiunt arenulæ, ac extenuare incrassatam, vt in seipso est expertus, vt qui ante balnei vsum cogeretur rectus scribere propter dolorem dorsi, postea verò potuerit sedendo scribere, donec materia hæc mala iterum coaceruata. Dort. Renes ob validam attractoriam vim, viciniam venæ cauæ descendētis sanguine turgidæ spiritu copioso plenæ, nihilq́; dissipantis densam substantiam, situm decliuē, tantam pinguedinis in ambitu copiā aceruant, vt viam seroso sanguini suprà, vrinæ infrà præcludat. Hæc pinguitudinis copia dissipatur, pabulo cedit & ortu prohibetur, frequēte iteratione vacuātis huius aquæ & cōtinuo vsu stillatitij huius liquoris in mēsa sorpti. Clyst. ex egelido hoc latice cōueniūt crebro vsurpati. Vlcera sordida in renibus ex sanguine extra vasa fuso & in renibus morā trahente: itē ex colluuie putrētis humoris ad renes viā affectātis: deniq́; ex calculo findēte scindenteuè substantiā renū vltra medicatæ aquæ Beliluc. vsum prædictum de pinguedine renum balneo & fotu eius, litu cœni indigent modò à fotu & litu dulcis aquæ calidum balneum ingrediatur æger. Calculus in renibus potū aquæ desiderat largū (cui tam hîc quàm in renū vlceribus puluis herniariæ miscendus) Balneū aquæ dulcis tepidū post ingrediatur: demū balneū thermarū. Puris mictio ob renum vesicæq́; vlcus, detergi intus & foris debet iuxta methodum in renum & vesicæ affectibus curandis præscriptam. In vesica abolita functio meiendi, puta Ischuria, vel imminuta dysuria ob viscidam, lentam, pituitosam materiam, sanguinis grumos, calculum, œdemata, crassum pus: Hi affectus clystere gaudent ante cœnam. Postridie copiosa his competit aquæ Beliluc potatio. Tribus diebus sequentibus assumatur parcior aqua ei addēdo milij solis, herniariæ, alismatis, pulueris cicadarū singulorū modicū. His elapsis diebus dosin grā-

Insessus. Polygonū. Raphanus. Langensch. Belilu. vsus in nimia renū pinguedine. Vlceribus renum. Calculo. Purulentæ mictioni. Ischuriæ & dysuriæ.

dem aquæ rebibat qua depleatur. Ist hæc iterentur per tres septimanas. Pubes & Peritoneũ interim crassaméto oblinautur quotidie addito oleo anethino, rutaceo & scorpionũ. In vesicam tum aqua thermarum per syringa injiciatur. Iis qui volent vti aquis fontis admirabilis in affectibus renum qualibuscunque, suadeo vt ex consilio medici præparent corpus & præhumectent potu aquæ admirabilis manè assumpto per tres dies quatuorvè: Deinde purgentur trochisco Axungiæ Lunæ secundæ vel alio cathartico conuenienti pro ratione morbi ætatis, aliarumque circumstantiarum. Qui autem vtuntur diureticis in morbis renum, quod multis valde commune, non repurgato corpore, se perdunt & in totum corrumpunt adeoque & arenis calculisque gignendis causam præbent: idem facientes quod figuli, qui calefaciunt fornaces & limum inferunt ad coquendos lateres. Diuretica pleraque & quæ Lithontriba dicuntur sunt calida, calefaciunt hepar ac renes eodemque deducunt excrementa. Nihil enim assumptum per os aut per intestina potest peruenire ad renes & vesicam, quin priùs in venas mesaraïcas & venam portam in tenuissimas fibras trahatur ad hepar, & deinde distribuatur per minimas venas in hepatis parenchyma substantiamuè, vnde iterum assumitur per ramulos capillares venæ cauæ, inde per emulgentes attractum distribuatur per venulas in renes, & per tenues portiones tunicæ internæ vreteres cõstituentis, tandem per eos descendat in vesicam. Cùm tam longinqua sit via ad renes, eorum quæ assumuntur aut injiciuntur, fit satis verisimile quanto cum periculo pseudomedici, pseudochymici, Chrysopœi, artifices auri potabilis, secretorum occultorum sycophantæ, misanthropi, enthusiastæ, agirtæ, imperitæ muliercula ad frangendos calculos & renum & vesicæ, incerti etiam an adsint, vehementia remedia exhibeant, ventriculum & hepar corrumpentia: à quibus cauebunt omnes prudentes viri & qui valetudinis suæ rationem habẽt. Illud mihi consideratione dignum videtur quomodo certa experientiâ & ratione possit cõprobari, lapides Iudaïcos, oculos cancri & similia terrestria non hærere in intestinis & per aluum rejci: sed renes per tot ambages penetrare & in renibus ac vesica lapides, quos exemptos vix mallei valido vibratu frangas, comminuere. Idem etiam dixerim de omnibus lithontribis, quæ si injicias in ipsam vesicam in qua constet per Catheterem adesse lapidem, id sine profectu feceris: quanto minùs sperandum auxilij vbi is renibus infarctus constiterit? Lithontriba vera, vtilia, & rationi consentanea sunt quæ qualitate manifestâ assumpta, iniecta, & applicata, vel occultâ tenuioribus suis partibus, vrinam mouent, abstergunt, extenuant, & dissecant viscosos humores, iungentes lapillamenta & arenas: vel etiam lubricitatem quandam introducunt, dilatant, relaxant partes, inflammationes sedant. Quò fit vt post sufficientem euacuationem non verear præferre auro potabili, tincturis & similibus aquas admirabilis fontis potu copioso, balneo, enematibus, fotu, lutatione in vlceribus vesicæ. Terebinthina in enematibus multum mihi commendatus, si administretur eo modo quo docui in historijs. Porrò etiam aquas & nostras & acidulas vicinas (quas maximi facio in affectibus

Bollensium vsus in affectib. renũ.

Præposterus diureticorũ vsus.

Terebinth.

fectibus renum calidis) illis aquis quæ petrificandi vim habent prætulerim. Imò verò saxificis illis non lubenter vterer. Scribit Gesnerus de figuris lapidum. Sunt qui ex aquis tofos & lapides gignentibus bronchocelas excitari putent. An verò renum quoque & vesicæ, aliiuè in animalibus lapides crebro earum potu coïre poßint considerandum. Hæc ille. Vrina si non retineatur, probarim balneum & postea lutum ex pyrite, bitumine & lapide scißili & argilla vel bolo Teccensi, addito etiam alumine adhibitum pubi & perinæo in exitu balnei, in vaporario vel ad ignem resiccandum.

Ad pudendorum vitia. CAP. LIII.

PVdendorum autem vitiis Minerales aquæ, & præsertim metallicæ valdè conueniunt. Sunt enim hæ naturaliter siccæ, ac siccis ex æquo medicamentis hæc loca indigent. Ea autem quoniam maiore ex parte hodie Luis Venereæ soboles sunt, vt inflammationes, prurigines, rimæ, verrucæ, apostemata, vlcera: habenda inprimis eius contagionis ratio est, quemadmodum Cap. de Lue Venerea habetur. Lui Vener. *Summa hæc est, quod dummodo affectus non sit in principio, neque in statu, & præmissa sit diligenter totius corporis purgatio, naturalia id genus balnea, quæ sicca sint & adstringentia, foris tutò poßint ministrari. Vt ferratæ aquæ, quale Auinionis balneum, Regina & Villa: & æneæ, quales ad Viterbium, & plumbeæ, vt in Lotharingiæ montanis: & ex minio in finibus terræ Hispaniæ: & aluminosæ, vt Albulæ & Porretanæ & salsæ tepentes, Omnem verò calidam pudendorum intemperiem, omnemque humorum acrimoniã eò adfluentium excernunt obtunduntque bibitæ aquæ quæ purgant, vt nitratæ lenißimæ ad Baias, ad Puteolos, ad Ariminum, ad Tungrim, in Alsatia: præsentaneæ verò magis ex ferro quædam, vt Ficuncella inprimis, ac ex alumine Porretanæ atque his similes.* Calidæ intemp. & affluxui. *Abluendis verò solidandisque eorundem vlceribus lauacra eadem benè faciunt, & salsæ, & aluminatæ, & ferreæ, & Fabarienses ex auro, & Plumbeæ Lotharingiæ, & Leucenses, & Albulæ: nec minus ex cinere lixiuium, & ex calce aqua, & ex braßica fomentum, hydrelæumque. Eadem ad pudendi virilis, quæ serpunt, vlcuscula, ex minio præsertim naturalia, plumbo, & cadmia: vel arte parata ex his collyria, quæ putrefactionem cohibent purificantque, exedens virus absumendo sine dolore.* Vlcusculis. *Nec minus mulierculis vtilia, vuluæ id genus pruriginem cruciatumque sentientibus.* Prurigini vuluæ. *Verruculas autem, quæ in pudendis vtroque sexu enatæ thymi florem repræsentant, scabras & subrubentes, acrioribus aquis & eo, quod in imis earum alueis residere solet smegmate diu imposito amputare exedereque tentandum: quales salsæ, & marinæ ex his quæ paßim habentur, & spuma maris præcipuè, & nitratæ, quæ vbi synceræ nascuntur, vt in Ægypto, calceamenta consumunt: atramentatæ, quales in Volaterrano, & ater Auernus in Campania: chalcitide, sory e, vel misy e dilutæ, quales in Cypro Insula ad ærarias aquas virides, & virides apud Neusolam in Dacia. Plumbeæ similiter erodunt, & aureæ, ex chrysocollæ præsertim auro con-* Verrucis.

nascentis impressione, vt in Lotharingis & in Rhetijs: ac acerrimæ aliæ, vt ex argento viuo vel auripigmento Stygianæ in Arcadia, & de facilè parabilibus ex antimonio paratæ, vel ex calce, vel cinere. Rimas autem, quæ vt plurimum, circa muliebria, aut circa sedem grassantur, reficiunt abstergendi consolidandíque vi præditæ & emplastica virtute, vt ex ferro, qualis in Frioli ad M. Falconem, & plumbeæ eædem, & ex alumine in Latio; eædemque ex Antimonio paratæ, vel calce, nec non palæstritarum ceromata apud thermas veterum erasa, Hæc Baccius: Quibus subiungimus sequentia ex Portomano, Carunculæ in meatu vrinario, ob lentum crassumque sanguinem vel humorem non naturalem, si etiamnum in fieri est, frequenti iniectione aquæ Belilucanæ post πλύμμυσιν *& potus satietatem præseruatur & curatur. Rulandus: Virgæ exulcerationem curant aquæ Bertringenses Treuerensium tepidæ alumine, ferro, ac modico sulphure imbutæ, Aquisgranenses, Fideris. Hæc ille. Ad vlcera proderit iniectio ex aqua admirabilis fontis, quæ si non exsiccat sufficienter, maceretur in ea lapis scissilis & pyrites tritus: Nolim tamen inijci aquam cum puluere: non dubito balneum & fotum, nec non potum vtilem.*

Rimis.

Carunculæ in meatu vrinario.

Virgæ exulceratio.

Ad testiculorum & scroti morbos. CAP. LIIII.

Intēperies.

NEc secus calidæ Testiculorum, & Scroti intemperies quam quæ in renibus percurandæ, per ebibitas scilicet purgatorias aquas plus minus roborantes. Nam quæ adducta in illas partes materiæ copia, insignem tumorem conflant, per initia digerentibus forinsecus balneis excutiuntur, Sulphurosis temperatis, aut calidioribus, bituminosis, salsis tepidis, & ex ijsdem lutamentis: quæ omnia in fine ad reliquias, quæ indurari ibi solent, commodius probantur. Apertis verò ac ruptis epotæ quidem medicatæ aquæ conferunt, si valenter adstringentes, cum hoc etiam promtissimè purgent, quales sunt raræ, vt Fucuncella: nam quæ leuiter & pigrè mouent, & quæ vehementi opus habent conatu, exercitioque, non vacant maiori fiendæ aperturæ periculo, ac satius propterea hisce temperata simul ac styptica admodum lauacra consulendum. Quos verò audiui timidos balneis calidis in apertis, ac herunosis, Galeni auctoritate diffidentes, haud ea quidem aperientia, laxa ac mollia in Thermis vrbanis, ac naturalibus istis, ac adstringentibus distinguebāt, quæ primaria faciunt facultate, Sanctus Cassianus, Auinio, Maceretum, Villa de aquis, & Caldanæ Pisarum, Sanctus Bartholomæus sub Apono, Caldarianum, Lucense, Ferinum, Fabariense, Porretanæ, aquæ Albulæ, & aut ferro, aut alumine, aut plumbo, aut quocunque eiusmodi astringente constipantes. Ad flatulentas autem hernias securiùs calidiora, ac discussoria magis baln. ministrari possūt, qualia sulphurata esse perhibentur Caroli 4. balnea in Bohemia, calida ad Budam, vbi & illutandi copia; Aponus, Asculum, Sanctæ Crucis cognomento ad Baias, ad Puteolos, Viterbientia, Stygiana, Senensia. Ad aquosas eadem & lutamenta. Ad Sarcoticas verò, ac valde induratas mollia primùm vaporaria, vel ex salsis fomenta vel in consimilibus naturalibus insessus, & assidua illutamenti appositio. in quo genere plura, ad alias durities narrauimus, Baccius lib. 3. cap. 1. Idem lib. 4. cap. 9.

Tumores.

Hydrocele & Sarcocele

Ad viam Aemiliam, prope Sarſinam & Ceſenam extat balneum cognomento Sanctæ Mariæ, quod aßiduo commeatu, ac frequentia quotannis hominum ad balnea, in caſtellum eius cognomenti euaſit. Aqua mineræ ſulphureæ, alumine, ferro, atque ære participans: quare ad tertium qualitatis gradum à veteribus, Sauonarola quoq; teſte, æſtimatur. Facit ad frigidas, atq; humidas ægritudines, calfaciendo, ac digerendo, in cunctiſq; citius quàm Auinionis balneum, quod huic eſt valde ſimile, operatur. Ex communi verò fonte cum diuerſa huc deducantur balnea, alia viris, alia mulieribus, alia alijs tepentiora, inſignes ad vſum Ducciæ laudes obtinent, cerebri affectibus frigidis necnõ articulorum, ac iuncturarũ vitia. Deſtillationibus, obſtructis, reſolutis, tremuliſq; opitulantur, ventriculo, hepati, inteſtinis, vtero affectis. Hernias extuberãtes, œdẽata, ac inflata inhibent, & podagricos tumores præſertim laxos primo acceſſu diſſoluunt, dolores qui cõſequi eos ſolent, leniendo. Pruritui, ſcabiei, omnibuſq; intercutaneis vitijs medentur. Idem lib 4. cap. 10. Frigida bibitur vſu balnei frequenter aqua in valle Caregia montanorum in Corſica, calidæ hepatis ac renum intemperantiæ, ventris obſtructionibus atq; hernijs admodum vtilis. Aliæ in valle S. Antonij frigidæ perſimiles. Rulandus: Contra teſticulorum inflationem & tumorem auxiliantur aquæ Göpp. Sultzberg, Annæbergenſes. Teſtium dolorem mitigant Vvolckenſteinenſes aquæ. Ioh. Göb. aquas aluminoſas balnei S. Iobi admotas cum pannis pudendis tumefactis ob nimiam humiditatem vtiles admodum & ſalubres eſſe ſcribit. Dort. Enterocele & cæteræ herniarum ſpecies, à diſtendentibus, rumpentibus, vellentibus humoribus frigidis, humidis, flatibus craßis &c. ortæ, potum ſeu doſin aquæ Belilucanæ longo ſatis tempore efflagitant: Clyſteres & balnea auerſantur. Cœnum cui ſaniculæ, herniariæ, conſolidæ, croci Martis puluis mixtus, affectæ parti diu multumq; imponendum. Puluis hic etiam potui ſeu doſi tum parciori miſceatur alternis diebus mane & hauriatur cum aqua. Hæc ille. Suadeo ad imitationem Montagnanæ vt qui laborant hydrocele, pneumatocele aut ſarcocele, recipiant vaporem aquæ balnei Bollenſis in quam iniecti lapides ſcißiles cãdentes: Foueant etiam aquâ Bollenſi cui adiectum ſit ſulphur viuũ: vel ex Andern. Ramex flatuoſus, aquoſus & carnoſus primum vapore calentis aquæ ad quartam horæ partem rectè foueatur: deinde luto obducatur cui decima pars ſulphuris viui in puluerem redacti ſit adiecta. Nos poſſumus etiam addere puluerem lapidis ſcißilis, ac etiã aliquid aluminis. Inter hiſtorias noſtras eſt cui in tumoribus pudendorum profuit aqua medicata Admirabilis. Ad bubonocelẽ, enterocelen, epiplocelen non ſufficiunt nec potus nec balnea, nec fotus aquarum medicatarum ſiue noſtrarum ſiue aliarum. Opus ligaturis affabrè præparatis, & emplaſtris: quo in genere vtilißima quoque erit bolus Teccenſis.

Aq. S. Mariæ. · Aq. Corſicæ frigidæ. · Bollenſium vapor. · Fotus.

Ad veneris impotentiam & augendum ſperma. CAP. LV.

PEnis piger, iacens, & arrigere ſe non valens ob intẽperiẽ frigidã (ſimplicem, aut cũ materia pituitoſa, craſſa muſculos aut neruum opplente) humidã cũ materia ſemper: nã ſine materia illa eſſe nequit, frigidam & humidã ſimul:

item ob obstructionem flatum spiritumque aditu praecludentem: arrigitur potu aquae Bellilucanae non largo, balneo, fotu & coeni litu cum oleo de piperibus. Dortom. Baccius: Brigenses aquae in Valesiis iucundae ingredientibus sentiuntur: Mineram tradunt sulphuream calefaciendo, exsiccando, ac digerendo vtiles. Vnde capitis & cerebri passionibus ex frigida intemperie ortis, neruis, articulis, iuncturis, tumentiis quibuscunque tum laxis, tum flatulentis opitulantur. Vlcera exsiccant consolidantque, & scabiei generibus medentur. Vsus in balneis & temperatis temporibus: alioqui magnis caloribus, & capite debiles, aut renibus non adeo iuuant. Nec minus qui febrem sustinent & aegrè coëunt. Item lib. 3. cap. 1. Venerem incitare traditur Tritolae & Iuncariae aqua bibita ad Puteolos: quae & viros impotentes iuuare possunt, eoq; nomine sterilitatis ex eis causam amouere. Ad idem Aqua Viterbij valet ebibita, aliaeq; similes quae renes mundando ac roborando vim quoque prolificam restituant. Rulandus de balne. class. 5. Contra spermatis defectum afferunt remedium aquae dulces calidae. Item Castein, Göppingenses. Item Venerem stimulant Piperinae, Embsenses. Refrigeratis lumbis & partibus genitalibus vtiles futuras aquas admirabilis fontis nõ dubito si adhibeantur cum consilio medici per balneum moderatum & lutum ex lapide scissili, pyrite, & bitumine: proderunt etiam potae ad repurgationem, si postea sequatur moderatus potus acidularum appetitum excitans & viscera roborans. Impotentiae affinis Gonorrhoea, ad quam, si ex feruore renum procedat, inquit Fallopius, aquam Virginis quae tepida purissima salsedinem vix perceptibilem habens, in potu exhibemus. Rulandus: Gonorrhoeam compescũt Annaebergenses, Hubbad, Teplicae. Iac. Theod. Fons acidus in Langenschwalbach curat gonorrhoeam & menstrua alba mulierum. Io. Goeb. non immeritò laudat suas aluminosas aquas S. Iobi in potu ad gonorrhoeam. Nec improbo aquam fontis admirabilis in balneo, si moderatus eius sit vsus, ac lumbi & interfoemineum à balneo illinantur cum argilla coerulea, bolo Teccensi, & puluere lapidis scissilis tenuissimo (quibus poterit etiam addi aliquid aluminis) dissolutis omnibus cum pauca aqua admirabili: In potu malim assumi mediocrem quantitatem aquarum acidarum. Si gonorrhoea eueniat quia semen aquosius, sudores conuenient à balneo.

Aq Brigenses Valesiorum. Tritolae & Iũcariae aq. Accõmodatio. Aq. Virginis Langenschvvalbach. Aq. S. Iobi. Bollenses.

Ad vterinos morbos & sterilitatem. Cap. LVI.

VTeri intemperies prima frigiditas, humiditas: secunda densitas, crassities, lubricitas, Oedema, schirrus, fiens vlcus quae sterilitatis saepè causae existunt Suffocatio ab humoribus prauis, mensibus vel semine retento. Mensium suppressio ab intemperie frigida, obstructione. Fluor muliebris ex colluuie recrementorum totius corporis sese per vterum deplentium: aquae Belilucanae potu largo, balneo frequenti, fotu, litu, iniectione per metrenchyten sanãtur. Peculiare autem est strangulationi vteri balneo increbescere, pro quo vapor nidorosus thermarum vsurpandus per suffitum, Dortom. De vterinis morbis Baccius, An ad ipsum vterum transeant in potibus medicatae aquae, itaque

Belilnc.

faciant ad ipsius vitia, quidam dubitant: qui haud mirum in balneis non sunt admodum exercitati. Faciunt enim balnea ad vteri vitia, tum transitu ipso, latis scilicet venis ad vterum ab hepate, ac mesaraïcis, & renibus, quæ loca penetrare ipsas balnei aquas ebibitas, nemo est qui dubitet, tum etiam ex accidente, siccatis scilicet renibus, hepate, ventriculo ac mesaraïcis ipsius, detersisque exinde humiditatibus superfluis: cui rei attestatur experientia ipsa balnearum. In vniuersum facere ad mulierum atque vteri affectiones perhibentur peculiari virtute Porretanæ aquæ quocunque vsu, Cajæ ex ferro, ac bitumine Viterbij, à Regina balneum nuncupatum ad Pisas, villa Lucæ, & in clysterijs Badeniæ Heluetiorum. Insigne verò vitium inter omnes vteri affectus sterilitas est: quæ multas habet caussas, vt est durities, quâ sæpe vterus ex natura, sæpiùs verò affici solet ex accidente: intemperies calida aut sicca, lubricitas, fluor, mensium copia, nec minùs suppreßio: quæ omnes caussæ particulari opus habent consideratione, ac balnei rationem postulant diuersam præsertim in sterilitate. Ad duritiem ergo, necessarium est cum emollientibus procedere atque humectantibus, & similiter ad siccam intemperiem, & calidam. Potißimum verò has tres omnes sterilitatis caussas habere solent quæ viragines sunt mulieres, caliditatem, siccitatem, & duritiem quampiam naturalem in vtero: quæ non possunt nisi longo vsu humectantium balnearum simul atque humectatione aliarum rerum ad victum pertinentium emendari. Qualia sunt ex aquis dulcibus balnea, aut arte, ac varijs matricalibus rebus, prout ex vsu melius videbitur, comparata: in hisque longum aßiduumque vsum esse oportebit. Posthæc recurrendum, ad balnea naturalia: illud certò scientes, ad spem sobolis non reperiri aliud remedij genus neque salubrius, neque experientia certius quàm balnea ipsa naturalia, si debitè ac ex ratione ministrata sint. Vt sunt in causa proposita quædam, quæ parcè, exsiccant, ac magis emolliunt: quales sunt ad Baias aquæ, quæ vsu balnei bibuntur: & quædam quæ nitro participant: mediocris in summa temperamenti omnia, & quæ potiùs leniēdi ac abstergendi obtinent facultatem quàm exsiccandi. Fallopius de thermis cap. 11. Potum aquarum thermarum maximo cum successu exhibent in affectibus vteri: verùm dubito an aquæ potæ per se vterum iuuent nec ne. Iuuant quidem tollendo causam nempe excrementorum copiam in ventriculo vel intestinis, & cum laborat fluore alborum menstruorum, vel retentione mensium, vel cum sunt copiosiores, restringendo venas & roborando viscera. Verùm si sit nimium humidus dubium mihi videtur, quomodo iuuari poßit potu aquarum medicatarum, cum aquæ istæ non transeant per loca illa. Dico igitur non iuuare per se, sed per accidens, quia transeundo per intestina calefaciāt partes vtero vicinas. Non rectè agunt medici illi qui mulieribus sterilibus ob frigiditatem vteri exhibent vt concipiant, aquas thermarum in potu, cum potius aquæ ipsæ sint in vterum injciendæ, vel vtendum ipsis per insesionem, vel per vapores: quoniam his modis exhibitæ plus prodessent, quàm in potu exhibitæ. Idem cap. 17. de balneo Aponensi: Confert ad vteri mollitiem fugandam quando scilicet vterus patitur

Sterilitatis caussæ.

Viragines cur steriles.

Ad conceptum nihil certius bal. naturalibus

frigidam & humidam intemperiem quæ conceptionem impediat. Vidi multas mulieres steriles concepisse post vsum Aponensis aquæ. Licet ea vti ad remouendam sterilitatem prouenientem à mollitie vteri vel in balneo vel vaporibus, vel etiam in potu. Iuuat quoque vteri profluuium tum rescindendo causam, id est remouendo intemperiẽ ventriculi, tum etiam quia euacuat venas vteri, si præcipue potui huius aquæ adiungatur vapor, hoc est stuffa. Idem cap.3. Baln. de Agnano. *Balneum de Agnano, cuius aqua summè frigida, continet succum marmoreum, facit ad laxationem vteri & ad impregnationem, si sterilitas ob eam laxationẽ. Vtuntur cum mulieres nequeunt retinere fœtum iam conceptum ob vteri relaxationem à caliditate & humiditate nimia: & certè in hoc affectu est remedium præstantißimum ac multiplici experientiâ valde comprobatum. De hoc eodem balneo dicit Baccius: Tam intensæ esse frigiditatis vt aliquantisper intrantes rigore perterreat Esse verò apud mulieres in communi vsu steriles ac desperatæ sobolis aliquas fœcundas reddere, multiplici experientiâ probat Vgolinus.* Badenses. *Idem lib.4.cap.9. Oppidum Badæ In Helueticis decem circiter millia passuũ à Tiguro eius regionis metropoli, medicatas habet aquas admodum calidas quas antiquißimi fuisse vsus Corn. Tacitus attestatur. Minera à prædominio sulphurea, deinde aluminosa vsus saluberrimi frigidis maximè atq; humidis naturis & paßionibus vtiles, mulieribusq; speciali virtute quas fœcundas reddũt. Extat autẽ ad hunc vsum in secessu balnei lapis in medio concauus, in quo assolent steriles aliquantisper tenere pedes, hoc sibi ad fœcunditatem facere persuasæ. Easdẽ Pãtaleon dicit c.18. particulatim ad vteri affectus facere, mouere menstrua, fluorem album sistere, steriles fructiferas reddere si iungantur alia remedia quæ vterum repurgent & roborent: suo consilio steriles à 10. & 15. annis concepisse: roborare vterum frequenti partu debilitatum. Ego ipse etiam memini quasdam honestas mulieres per aliquot annos steriles ijs thermis fœcundas redditas. Idẽ cap.19. dicit: mulieribus dum menstrua fluunt nõ consultum balneare. Item cap.21. superstitiosæ opinionis (de qua Baccius modò) meminit imponendi pedes in foramen vnde scaturit aqua ad procurandum conceptionẽ. Verùm causam aliam esse proprietatem aquarum in exsiccanda & calefacienda matrice & potißimum eo loco vaporum, qui recipiuntur, ergò, vbi mora horæ vtilior quàm totius diei in balneo. Consulit vt mulieres vtero affectæ & steriles sæpius sedeant in balneo à cacabo dicto* Kesselbad, *non frustra lauaturas: intellexisse ex multis honestis mulieribus & viris eius vtilitatẽ, si vsus sit non violentior & inordinatus. Andernacus:* Superstitio in Badensibus Heluetiorum.

Aponenses. *Aquæ medicatæ manu factæ calidæ quæ ex alumine, sulphure, & ære scaturiũt, sterilibus mulieribus fœcunditatem restituunt. Idẽ: Aquæ calidæ Aponenses salsæ, aluminosæ & modicè sulphureæ albũ fluorẽ mulierum ex pituita sanant, fœcunditatẽ pariunt. Idẽ: Aquæ in ditione Senensiũ Caldinæ ferratæ & aluminosæ, naturalia membra roborant & venerem promouent, lienẽ extenuant & sanguinem cohibent. Idem: Aquæ Viterbienses aluminosæ cũ æris & ferri portione mulieribus ex intemperie frigida & humoris copiâ infœcundis salubres potu, [illegible] nus in balneis. Rulandus, Matricis omnibus morbis subueniunt aquæ sulph[illegible]*

Caldinæ.

Viterbiẽses.

ratæ & salsæ. Item Plumbariæ, Piperinæ, Fideris, Auwenses, Castein, lungbrũ, Laubacenses, Sultzberg, Schwenningenses, Tieffbach, Vveringẽses. Eandẽ purgant à pituita & malis humoribus, Cellenses, Teplicæ, Annæbergẽses, Heylborn, Embsenses, Marckgraffbad, & nitrosæ, item Badenses Austriæ, Abecenses, Villacenses, Auwenses, Brigenses. Tumores eius discutiunt & tollunt aquæ Sulphuratæ, Bassenheym, Abecenses, Auwenses, Badenweiler. Frigidã calfaciũt Leucenses, Zuckenthal, Sultzberg, Antegast, Fliehen, Embsenses, Aquisgranenses, Plumbariæ, Vvisbadẽ, Badenses Hercyniæ, Carolinæ, Auwenses, Dalfingẽses. Eius dolori prosunt Badenses Heluetiæ. Badenweiler, Dalfingenses, Schwẽning. Vveringenses. Itẽ matricem roborant acidulæ Ponterborn, Kesselborn, Auwenses, Kißing. Item mulieres reddunt fœcundas Leucenses, Brigenses, aquæ dulces. Item sterilitatem auferunt & fœcundas reddunt mulieres aquæ salis, aluminis. Badenses Herciniæ, Castein, Embsenses quæ constant sulphure, alumine, calcantho, & nitro, Niderborn, Vvelckenstein, Carolinæ sulphuris & aluminis participes. Auwenses, Dalfingenses, Laubacenses, Löffingen. Sultzberg, Sultzbrun, Vveringenses Grunbad. Iac. Theod. aquam acidam in Langenschwalbach augere sperma & facere ad conceptionem scribit: Ioh. Gôb. aquas aluminosas S. Iobi vtiles potu & balneo mulieribus quibus vterus afficitur frigidioribus & humidioribus morbis, ac ijs quibus non ritè fluunt menses: harum vsum optimũ balneo, vapore, & iniectione per metrenchyten abortiẽtibus ob humiditatem nimiã aut calorem: fluores reprimere, quia venas contrahant: valde cõmodas collapsui vteri. Hæc ille, quem mirum ita contrarias vires tribuere vni aquæ constanti duobus succis terreis: facile alioqui existimarim reprimere fluores nimios & humidiorẽ vterum exsiccare, ac ad conceptionem & fœtus retentionem vterum disponere. Quod etiam poterunt præstare aquæ admirabilis fontis, si in eis extinguantur candentes lapides fissiles, vel etiam addatur aluminis parum, vel aliquæ herbæ astringẽtes in vaporationibus, vt cyperus, schœnanthos, rosæ. Placet in mulieribus pituitosis & vtero frigidiori, si in sacculum reponantur pro balneo in aqua admirabili quæ Rulandus præscribit his verbis: Balneum ad conceptum perutile calefaciens & roborans vterum. ℞. Arthemisiæ, Absinthij, Leuistici, Auenæ, granorum Iuniperi, Origani, Chamomillæ ana m. ij. decoquantur hæc simul in aqua pluuiali quãta opus est. Insideat in isto balneo mulier sterilis statim post fluxũ menstruorũ quotidie bis, mane scilicet per horã & tamdiu vesperi, idq́ cõtinuet octo diebus ac renouet tertio quoq́ die. Aquã sanè medicatam fõtis mirabilis vtilem futuram non dubito sterilibus, si eis ritè administretur secundũ eius causas quæ variæ sunt. Mulieres igitur priusquã hac aqua propellẽda sterilitate vtantur, medicũ cui aperient defectus quos sentiunt & propter quos existimabũt se steriles. Hoc in genere consuluerim, vt si quæ sit sterilis sine causa manifesta & calidiore vtero, vt repurgato corpore à biliosis humoribus potu aquæ vel medicamentis catharticis adiunctis, moderatè balneo vtatur, vnde digressa per horæ quadrantẽ quotidie recipiat vaporem exhalantem ex caldarijs per canalem

Langensch.

Aq. S. Iobi.

Bollenses.

cathedram pertusam subeuntem, cuius calorem pro tolerãtiæ ratione moderabitur. Quibus autem natura erit frigidior & pituitosior, retentis menstruis vel nõ ritè fluentibus, poterunt sellæ iuxta tubum vaporis conductorem subijcere vas calida balnei aquâ plenum, in qua sint herbæ calidæ vtero frigidiori conuenientes, vt artemisia, melissa, pulegium &c. De ea autem sterilitate quæ à fluore menstruo suppresso vel inordinato vel etiam immoderato plura paulò post.

Ad menstruorum fluxum immoderatum & fluores vterinos. CAP. LVII.

Humiditas, stillicidiũ, Fluor.

QVæ mulieres steriles sunt ob nimiam corporis humiditatem, stillicidiáque vteri varia, vel ob superfluum quemcunque fluorem: hæ omnino balneis indigent mediocriter exsiccantibus, quæ tamen neque actu multum neq; potentia calfaciant. Quo in censu ferratæ inprimis proponuntur aquæ, S. Cassianus, Villa, similesque aliæ, quæ propriè ad hoc bibuntur, in clysteribusque vtiliter assumuntur. Fiunt & ex nonnullis vtiliter balnea, quale ad Viterbium Cajæ balneum, quod ad muliebria facere peculiari facultate proditum est: similiter & Aponus. Quæ quoniam ambo naturâ admodum calent, semper particularium patientis ipsius dispositionum rationem habendam esse supponimus. Porrò ad idem clementiùs operantur quædam in balneis, vt Auinio in Senensi, Regina, & Caldanæ in Pisanis, Asuelum, S. Maria in balneo, balneum aquarum ad pedes montium Liguriæ, Badenia in Heluetijs, & in Austria altera, & quædam alia in Hispania. Mediocres autem virtutes ad hoc obtinent Porretanæ aquæ, & Albulæ, quæ aluminis natura participant, nec multum exsiccant, Baccius. Aquæ

Hubenses.

Hubenses manu factæ calidæ, mixturâ ex alumne, ære & sulphure, quibusdam etiam ex sale, menses nimium fluentes sistunt potæ, Andern. Ante ex Dortom.

Beliluc.

indicatum thermas Belilucanas fluorem sanare & mensium suppreßionem. Iac. Theod. dicit aquas acidas in Langenschwalbach mouere menstrua, vterum mũdare, & nimium fluentia reprimere. Rulandus: Menstruorum fluxum immoderatum sistunt aquæ aluminosæ, ferratæ, gypseæ: in specie Cellenses, Hubbenses, Fideris, Kesselborn, Kißing, Göpping. Bertringenses, Vvolckenstein. Item:

Catal. baln. ad menses immodicos

Contra menses albos valent & prosunt Laubacenses, Castein, Annæbergenses, Aquisgranenses, Hubbad, Lonstein, Vvolckenstein, Gebersweiler, Plumbariæ, Badenses Austriæ, Herciniæ, Teplicæ, Abecenses, Villacenses, Lõffingen, Kißingen, Carolinæ Vvisbaden, Piperinæ & aluminosæ thermæ. Insessus ad alui vterique nimium fluorem, descensum, hæmorrhoïdas, exitum ani, aliaque eius vitia. ℞ fol. querc. m. v. ros. rub. nondum apert. m. ij. gland. querc. vnc. iij. decoquantur in aqua in qua restinguatur chalybs aut ferrum candens ter vel sæpius: fiat mane & vesperi insessus.

Insessus.

Hæc non displicent: incocta aquæ admirabilis fontis quam oportet minus calidam esse, in quam inijci potest lapis scißilis vstus & bolus ex Teck: Breuis autem esto mora in balneo. Lumbis, perinæo & pubi poterit applicari argilla & bolus dissoluta cum aqua, idque in exitu balnei.

Ad re-

Ad retenta & inordinata menstrua, ac molam & inflationem. CAP. LVIII.

VNa de primis caußis sterilitatis hæc est, quando mulier ex insigni quapiam obstructione aut alia quauis caussa suppressas habet mensium purgationes: quam caussam non modo sterilitas, sed & quamplurima alia cōsequi solent vitia. Prouocant autem menstrua omnes calidæ aquæ, subtilis ac digerentis facultatis, vt ænearum, nitrosarumque potiones, quæ nimirū aperiāt, attenuent, atq; detergeant. Nec minus calida ac digerentia balnea, insessusque in eis aßiduus: qualis in Badenijs fit apud Heluetios, in Caiis Viterbij aquis, in Stygianis, in Patauinis, in S. Maria in balneo, & in alijs calidis. Porro si obstructio sit in caussa, hanc tollunt tum potulentæ, quas diximus, multæ: tum quæ pariter suffitu ac insessu adhibentur, vt calidæ, sulphuratæ, & quæ non malè oleant. Præter has autem quæcunque fuerit sterilitatis caussa, eam priuata virtute emendare promittunt Porretanæ, Patauinæ & Cajæ aquæ. Plinius in miraculis prodidit, Thespeiorum fontem & Elatum flumen in Arcadia sterilitatē emendare. Sed nulla est aqua, quæ experimento ad hanc rem certißimo, aquæ Nili poßit æquari, quæ & terram & plantas & animantia mirificè fæcundat, & historiæ narrant quod nobiles mulieres, cum alienigenis nubunt, eas secum deferre, ac bibere soleāt, teste Polybio ac Oribasio ex Rufo. Quæ obstructionem, eadem Molam, id est inanem impregnationem extrudent, inflationemque huic similem discutiunt: & si aliæ non sint, marinæ vel salsæ calentes, quæ paßim scatent, vsurpari possunt: vel arte saltem ex his atque similibus parata discussoria, Baccius lib. 3. cap. 1. Idem alio loco, Balneum aquæ Cajæ in Viterbiensi feruēs sulphureæ naturæ cum sit, & tamen astringens supra vires sulphuris atque corroborans, non sine ferri atque aluminis parte esse conijcitur. Vterinis maximè fauet affectibus, dicatum fœminis est. Nam menstrua primis statim diebus adhibitum prouocat, exsiccat, ac firmat vteri lubricitatem: qua sanè de causa rectè quidam existimant huius balnei vsu sterilitatem emendari. Firmat & reliqua viscera membraque ac iuncturas relaxatas instaurat. Andernacus: Aquæ Prati in Italia modico sulphure imbutæ, flatus in vtero & articulis dißipant. Rulandus: Menstrua inordinata temperant, rectificant Embsenses, Annæbergenses, Leonstein, Vvolckenstein, Piperinæ. Menses retentos prouocant aquæ sulphuratæ, nitrosæ, dulces, Badenses Austriæ, & Heluetiæ, Abecenses, Teplicæ, Villacenses, Plumbariæ, Badenweiler, Vvaldsborn, Heylborn, Vuendingenses, Aquisgranenses, Dalfingenses, Vueringenses. Menses retentos reuocant, nimios sistunt aquæ Casteininæ. Idem de bal. lib. 1. cl. 3. cap. 3. ad ciendos menses. ℞. Pulegij, Sabinæ, ana m. vj. rad. asari ℥. iiij. In sacculo inclusa coquantur ad insessum: Vtendum ante cibum mane ac vesperi tempore menstruationis. Hæ stirpes non oberunt si iungantur aquæ admirabili: ea balneo tardius suam operationem demōstrante in pituitosis & frigidioribus fœminis vt & ad molam. Aquas aluminosas vtiles mulieribus quibus non ritè fluunt menstrua dicit Ioh. Göbel. Si se ita

[Margin notes: Mensium suppressio. — Obstructio. — Mola & inflatio. — Aquæ Cajæ. — Aq. Prati ad flatus. — Catal. aqu. ad Menses inordinatos & suppressos. — Insessus.]

res habeat verisimile aquis fontis mirabilis hoc faciliùs facturas, vt quæ non tātopere astringant, & sal ac bitumen habeant præter vitriolum. Dixerim etiam vtiliores ad exigendam molam quàm aquas aluminosas Abecenses à Rulando commendatas.

Ad vteri strangulatum & eius prolapsum. CAP. LIX.

Præfocatio. *INgenio balnei ad teri præfocationes procedendum, & cum animi lapsus instat, aquæ cuiuscunque calidæ fotus, nec non solia temperatarum in priuatis balneis succurrunt. Ad vteri verò procidentiam, quæ opposita est præfocationi affectio, inuerso, inquam, ad vuluā vtero, contraria adhibenda, ac eadē* Vteri prolapsus. *quæ in hernijs balnearum esse ratio debet. Quæ nimirum laxis & calidis balneis peius delabitur, adstringentiáque & sicca desiderat, vt ferrata maximè, aluminata, ænea. Hæc Baccius. Dicit autem Andernacus: Fons Syluaticus Vvaldsborn* Vvaldsborn *lapidibus bituminosis infectus, super quem oleum albi coloris non grauiter olens, sed potius odoratū apparet, ad vteri strangulatum & eius prolapsum valet. Iac. Theod. dicit aquā acidā in Langenschvv. vtilē in præfocatione vteri.* Langensch. *Rulād. Ad matricis dolorē prosunt Badenses Heluetiæ, Badenvveiler, Dalfing. Schvveining. Vveringenses tribus ab Augusta miliaribus sulphuratæ, bituminosæ & salsæ. Matricis suffocatio, præcipitatio & motus ex suo loco placatur Badensibus Helueticis, Lôffingensibus, Vvaldsborn, Auvvensibus. Matricis procidentiam curant Badenses Herciniæ, Annæbergenses. Ante facta mentio ex Dort curationis strāgulationis vteri per nidorosum & bituminosum therm. Beliluc. suffitum, quem* Beliluc. *sanè possumus commodè administrare apud admirabile balneum. Poterit itaque mulier canali vaporibus ascendentibus ex cacabis excipiēdis comparato insidere,* Bollenses. *sub sella autem canali imposita prunis insperso bitumine puluerato vel succino nigro suffitum excipere. Atque adeo cum ipsa aqua admirabilis habeat odorē bituminosum & sulphureum, non dubito vtilem affectibus vteri, potißimum vbi prolapsus. Si prociderit à violento partu & diutius durarit non sufficient aquæ medicatæ Admirabilis fontis quamuis vtiles potißimum si in exitu balnei liniātur lumbi & perineum & pubes luto facto ex bitumine, pyrite, lapide scißili, bolo & argilla: necesse erit vti pessarijs, circulis ex Athragene, circulo argenteo à me inuento: de quibus charißimus frater Casparus Bauhinus in fine Hysterotomotocias Russeti ab eo in linguam latinam conuersæ. Circulum argenteū curaui aliquando parandum honestæ matronæ in qua prolapsus vteri à violentiori partu non poterat percurari: cum maritus rem cum illa habere vellet educebat.* Circuli ad vteri proptosin. *Accidit vt marito peregrinante per aliquot menses, ea non eduxerit circulum, qui ita remansit vt nō potuerit educi, & ita manet à decem annis, qua ratione vterus impeditur à prolapsu. Insignis & industrius Rossetus de quo paulò ante, meminit pessariorū quæ indita in ipsam vteri capacitatem retinent prolapsum, nec tamen impediunt conceptionem. Optarim sane eum aliquando dilucidiùs rationē parandorum & indendorum eiusmodi pessariorum docuisse: Mihi enim nō satisfacit, nec modum assequor. Ego sæpißime inter operas obstetricas indidi ma-* Russeti pessariis parū tribuendū.

num in capacitatem vteri, obseruaniq; educendo fœtum & secundinam, subitò ita se comprimere ac cõstringere, vt astrictionem multoties senserim. Neq; verò manet aliqua insignis capacitas educto fœtu, secundinâ vel sanguine grumoso. Adhæc non video quomodo poßit dilatari orificium vteri vt in capacitatem eius indi poßint. Nescio etiam qua ratione vterus poßit sperma attrahere in suam capacitatem, & non impediri per pessarium, ne iungatur attractum sperma vteri cotyledonibus, & cum muliebre semen cum virili coniungi oporteat, si conceptus sequi debet, an non cõiunctioni huic obstabit pessarium? Adde ex Galeno de natural. facultat. ceu ventriculus cibos vndique arctißimè amplectitur, nulla aut non rectè futurâ alioqui concoctione & χυλώσει, ita nisi vterus se vndiq; circa semen constringat, frustratum iri conceptionem. In collo vteri manere posse pessaria & occultari, vt mariti non animaduertant, nihilò minus interim conceptionem subsequi & remanere pessaria ad partum vsque facilè est credere.

Ad abortum & alia grauidarum symptomata. CAP. LX.

ANdernacus de balneis, Aquæ calidæ Badenses in Austria multi sulphuris participes, biliosis naturis, macilentis, pueris, adolescentibus, grauidis, nisi partu instante, vt ex eis facilior euadat, aduersantur. Iacob Theod. Aquæ acidæ in Langenschwalbach tollunt in grauidis picam & deprauatum appetitum: impediunt abortum & puerperas à dolore matricis & torsionibus ventris: faciunt vt ritè repurgentur. Rulandus de thermis lib. 4. clas. 5. Abortus curant aluminosæ aquæ & atramentales, Annæbergenses, Badenses, Embsenses, Leõsteinenses, Leucenses. Item, Dolori matricis in prægnantibus conducunt Badenses Helueticæ. Porro vtero gerentes mirificè iuuant Porretanæ, & item à Grotta Viterbij aquæ, Tigurique similes in Heluetijs. Abortientes verò ad partus complementum in posterum sustinebunt modicè purgantes, ac robur naturæ addentes, cum videlicet visciditatis vitio loca lubrica fœtũ laxant amittũtq;, quos oportet ante mucores abluere nitratis, æneis ferreisque soluentibus bibitis, ac in balneas subinde astringentes fœmellas ipsas mittere, eaq; aquâ satis diu confouere. Sic enim postea grauidæ non abortient. Idem: Badenia Austriæ non longè à Vienna, primas prærogatiuas in vteri ex intẽperie frigida ac humida, morbis sibi cõparauit: sterilitatem remouet, albos ac discolores mensium fluores compescit, Baccius. Idem l. 6. c. 5. Aqua à Grotta sub Viterbio ob mirandas per omnem ætatem virtutes suas singulari olim hoc titulo ornari meruit vt balneum ad omnes morbos diceretur. Minera ænea, nitrosa, ac ferrea (in quo authores omnes cum Sauanarola conueniunt) Nonnullis verò propter auri aut æris colorem, quem hæc aqua è profundo repræsentat, aurea reputatur: non tamen sine sulphure (vti reor) existit, quod & gustu percipitur. Aqua enim actu calida est, à secundo circiter gradu, limpida, inodora, & blandula in se est: cæterum non æquè gustui grata omnibus. Tantæ verò tenuitatis vt exportata in vasis

Badenses in Austria.

Langensch.

Vtero gerẽtibus baln. conuen.

Abortus.

Badenæ Austriæ.

Aq. Grotta Viterbii.

euanescat, amittatque virtutem: quanquam reuera hodie Romæ in vsu frequentissimo sit, ac ad certum vsque tempus egregiè operatur. In vsu porrò duplici est, balneo scilicet & potu. Vim tam per aluum quàm per vrinas deiectoriam habet atque abstersoriam. Et, quod rarum est (eodem Sauanorola attestante) prægnãtibus quoque post primos menses circiter vsque ad septimum tutò datur. Maturioribus enim ac primis à conceptu temporibus (quando scilicet facilius abortus incurrit periculum) minus competit. Ad emendandam sterilitatem sumitur frequentißimè cum multa laude: quippe omnem æquat inæqualitatem, & debilitatem naturæ, frigefactionem, lubricitatemque emendat, membra generationi idonea extergit, lentores educit, crassa ac viscida excremẽta digerit, calefacit subinde & corroborat. Menses reducit, albas cohibet fluxiones. Hæc ille. Nostras Aq. admirabilis fontis. *aquas admirabilis fontis posse tutò à prægnantibus assumi satis constat ex historijs nostris, & quidem tutius quàm Tigurinas, siue Helueticas Badenses quæ sulphure multo abundant: Nolim tamen copiosiùs assumi. Præterea meliùs placent illis acidularum potus excellentium ad picam remouendam. Balneum non improbo modò id requirat neceßitas: at lauatio moderata instituatur ex consilio medici.*

Ad iuncturarum & articulorum morbos. CAP. LXI.

DE proprijs ad iuncturas balneis loquendo, *quæ ex frigida intemperie plerunque debilitari, inflari, dolere, contrahique solent, ac per calida balnea quocunque condecenti vsu curari, oportet vsus penes singularis mali indicationes partiri: nam inueteratam Arthritim, seu chiragra sit seu Podagra, siue Ischias, parcius sanabit potatio, lauacra maiorem habent efficaciam. Cõueniet tamen ante ipsa calidarum lauacra ænearum, Nitratarumque, ac similium valde purgantium aliquibus diebus potio in matutinis, quæ crassas è latis meatibus visciditates, phlegmataq́; , præuias arthritidis caussas, foras extrudat. Subinde lauari magis idoneum, in calidis scilicet ac valde discussorijs, quales sulphuratæ, quas etiam, si distillatio imputetur (vt plerunque fit) ad vsum ducciæ, vsurpare licebit. Conspersiones vero intelligo non solum in occipite recipiendas, vnde aduersi inhibeantur adfluxus, verum particulis quoque afflictis, tumentibusque fore vtiles discussorij nomine, & itidem illutamenta. At si æque plures ex dißipata fluxione articuli conflictentur, sudationibus etiam vtendum, qualis in Baianis Sudatorijs, ad Corsenum, ad balneum sub Patauio tituli Sanctæ Helenæ, ad Xaccam in Sicilia, & tot alijs in locis iam relatis. Quibus cessata fluxione non minori proderunt efficacia insolatus, vel artificialis ex odoratis, ac digerentibus rebus parata Sudatio, Stupharum ritus, ac vaporaria. Arenatio quæ fit in puluere balnearum in Aenaria insula efficacißimum remedium est vniuersæ Arthritidi, tumentibus præsertim lento, ac frigido humore articulis. Cæterum inter initia omnem Arthritim commodius sanare videntur Medicatarum potiones, digerendo, vacuando, ac fluxiones inhibendo, quam lauacra calidarum, aut exudatio, quæ liquatis viscidis, ac prius sopitis humoribus excitatis, fluxioni ne*

adaugeant materiam timendum est. Maxime vero commoda potatio, si (vt in pluribus accidit) à caussa calida incipat fluxio, vigēte præsertim ætate, ac æstate ineunte, cui ministerio si lauacra commodant, subsequantur, & hæc temperata sunto, haud nimis calida, & quæ ex ferri qualitate egregie valeant confirmare. Talia balnea sunt, Sancti Caßiani, Villa Lucæ, Caia & Bussetum Viterbij, de lapidibus ad Petriolum, Caldanellæ, Maceretum, Ferrugineæ ad Baias, & quædã in Hispanicis relata. Nec non Porretanæ lotiones, Albulæ, Labanæ, Marinæ, Ferinæ ex ære, Fabarienses ex auro, Embs in Germania, ad Minium in Gallecia, quæ omnes partes roborant imbecillas, laxas iuncturas constringunt ea styptica facultate, & dolores leniunt refrigerando, qui à caussa calida atrociores, & quales in Ischiade intolerabiles fieri assolent, stupidus autem & grauis à frigida distendente. Tophis autem, seu callis, nodisque, qui ex longo affectu, ac dolore in iuncturis occallescere solent, æqua frigidæ materiæ cum calidi agentis intemperie caussa est, ac difficile, vbi obduruerint, vllis cedunt remedijs. Cui parti duntaxat, & non alijs Arthritis generibus prædictis, iactatum congruit per ora vulgi prouerbium, Tophi.

Soluere nodosam nescit Medicina Podagram.

Tentandum tamen non adeo confirmatos callos, per olei, aut aßiduum Hydrelæi fotum emollire, exudationibus aperire, itaque dispositos per balnea calidiora, ijsdem ex alto conspersis discutere. Facit ad hæc insigniter balneum ex plumbo in Lotharingis, ex Minio in Hispania, ex Salsis, ex marinis vbique inuentis, & itẽ illutamenta, qualia in balneis Borbonij Ancerici probantur apud Gallos, ad Buramiam flumen in Monferrato, ad Sanctum Caßianum de Luto, ad Trescurianum sub Bergomo, ad Aponum, Saburratio pariter, & quæ ad Neruorum contractiones allegauimus, Baccius lib.3. cap.1. qui alibi dicit: Calidæ aquæ surgunt in Cydno Ciliciæ fluuio, qua de causa podagricos in eo dolores curari asseuerat Vitruuius, cæterum aquæ frigidæ & blandißimæ. Item: circa Puteolos balneum de Fatis & balneum Episcopi ad podagras celebre. Item: Balneum ad Vinadum Castrum, Aquæ variæ qualitatis ac naturæ vt scribit Bartholomeus à Cliuolo, alias frigidas ac dulces, alias impensè calidas, ac odore potißimum sulphuratas, vnguine quodã crudioribus riui interlabentibus aquulis supernatante. Sumuntur in balneis à Cisalpinis ac Liguribus frequenter ad vsum item Duciæ ac lutamenti. Siccant, digerunt, abstergũt ac corroborant pro quadam styptica mistura. Singulares autem sunt super omnia in artuum doloribus etiam hæreditarijs & confirmatis. Dortomanus lib.2. cap.8. Articulis accidit arthritis: Hæc causas procatarticas potißimum agnoscit Bacchum & Venerem, putà vini & coitus immoderatioris vsum: Præter externas has causas & parentes arthritidis, occurrunt eius internæ, puta humores pituitosi (rarò melancholici) serosi pauca bile mixti: Item flatus craßi & humidi articulos per diuersos ductus petentes & dolore multo exercentes. Olim hic affectus rarior erat, non modò patrum auorumque memoriâ, verum etiam nostrâ, inquit Plinius. Ex quo & illud notandum,

immedicabilem non esse credendam more vulgi, podagram: quippe quæ & sponte desinat & in pluribus curâ. Si dolor omnes vel plures articulos obsidet, arthritis dicitur, in manibus chiragra, in cubito anconagra, in humero omagra, in pedibus podagra, in genu gonagra, in coxa ischias. Arthritici igitur à Veneris & Bacchi amoribus alienati hoc modo thermis Belilucanis vtantur, bis quotannis circa æquinoctia ex medicorum vicinorum consilijs purgantes: mox earum aquâ per integram septimanam mane replentes. Pòst totidem diebus mane & vesperi horis duabus ante suos pastus lauantes. Interea caput impluuio aquarum madeat. Causticum denique suturæ coronali qua sagittali iungitur audacter adigendum, potentiale dictum potius quàm actuale. Huius vulnus vlcusque diu sinatur apertum. Porrò pars particulariter affecta siue manus siue pes aliauè siet, cœno thermarum ammixto de lateribus oleo oblinenda frequenter. Hæc Dortom. qui lib. 1 cap. 2. præsentes earum vires ad podagram historiâ comprobauit. Dominus inquit de Pousam à Guillelmo Rondeletio, thermarum Belilucanarum sine vsu tum delitescentium & verè achristôn, vires primus confusè edoctus, quotannis bis ob fœmoris alterius grauem affectum quo laborabat expiscari & indagare voluit. Hoc affectu dextrè nimirum prius vsus tanti medici consilio, cum thermarum harum beneficio defunctus, sanus & indolens superesset, non alia re gratitudinis præmium naturali huic auxilio rependi posse putauit, quam harum paßim thermarum effectu iam ignotarum promulgatione. Fallopius de thermis cap. 11. Plures sunt medici, qui thermales aquas pro potu exhibent in affectibus articulorum, vt in podagra & in affectu coxendico siue ischiade. Si potus istarum aquarum iuuat in doloribus articulorum, id fit per accidens tollendo causam: Nam euacuant intestina, roborantque ipsa & viscera: Vnde fit vt non tot generentur excrementa, quæ possent excitare dolores. Iuuant aquæ thermales neruos per se cum ipsos contingunt & ideo ijs, qui in his balneant ob affectus neruorum prosunt, quia contingunt neruosas partes: Quando autem transeunt per intestina non possunt neruos attingere. Ego quoque ipse plurimis ischiade affectis exhibui potu aquas therm. Sed vidi plures læsos fuisse quàm adiutos: Et si aliquibus profuit, hoc fuit per accidens tollendo causam roborando viscera, impediendoque generationem tantæ materiei phlegmaticæ: quamuis affectus ischiadicus affectus videatur vicinus intestinis & aqua transeat per intestina: Panniculus quidem est vicinus sed non articulus ipse. In doloribus articulorum probat vaporationes lib. eodem cap. 12. Idem cap. 17. In ischiadico affectu parum prodest in potu aqua Aponensis sed stufa summopere. Aqua istius tum vapor tum balneum liberat articulos à materia frigida & humida, dissoluitque rigidos artus præsertim mora in stufis. Iuuant etiam articulos relaxatos. Andernacus: Aquæ Cruciatorum in ditione Viterbij in balneis podagricis vtiles & articulosis salutares sunt ferreæ, æreæ, & sulphureæ. Ioh. Gobel. de suis aquis aluminosis S. Iobi dicit, conferre balneo in dolore artuum à pituitosa materia: Eius rei testem ciuem vrbis S. Anneberg. qui post operam

Belilucanæ.

Cauterium.

Potus aqu. per accidēs curat articulares morbos.

Baln. articulario sper se iuuat.

Vaporationes vtiles.

diuturnam chirurgorum se tandem huic balneo commisit & Dei beneficio curatus. Efficaces etiam esse ad articularios morbos, chiragram, podagram, & ischiadem, multorum experientia demonstrat qui continuo dolore vexabantur & ad sanitatem restituti sunt vsu harum aquarum in potu, inter iuscula, cibos coquendo, balneo. Ex diligenti indagatione etiam comperi has aquas balneo valde vtiles esse neruis & tendinibus doloribus vexatis: eorum rigiditatem & duritiem tollit: torpori & imbecillitati eorum à colico dolore ortorum medetur. Agricola lib. foß. 9. p. 370. scribit ex Aßio siue Asio lapide quem dicit Plinium non rectè separasse à Sarcophago, fieri solita vasa in quæ podagrici pedes vtiliter imponebant. Guliel. Turnerus de balneis Bathoniæ in Anglia, Videntur, inquit, mihi potißimum sulphure constare, id quod ex odore & sapore facilè deprehenditur: ex effectu idem colligitur. Exsiccant enim mirificè, egregiè ad podagram faciunt, idq; breui tempore, cui rei attestatur Comitis Somersetensis famuli istis procurata sanitas: quæ non leuia prædominantis sulphuris sunt argumenta, cum nec odore, nec sapore vllum aliud minerale poßit in ijs deprehendi. Si quid autem sulphuri leuiter sit admistum, (quod tamen non percepi) cuprum sit necesse est. Dum enim montes, ex quibus scaturiunt, lustrarem, hinc inde pyritæ fragmenta cum cupro mista inveni, nullo tamen sensu potui deprehendere insignem aliquam impreßionem in aquis. Gesnerus epist. lib 3. ad Ioan. Fabricium: Balnea Bocucij tibi salutaria fore existimarim: nec dubitarim mihi quoque profutura, si ischias mea, cuius reliquiæ manent, tam longum iter pateretur. Iacob Theod. dicit aquam acidam in Langenschwalbach optimè opitulari iuncturis & omnibus resolutis membris ac afflictis defluxionibus, excellens esse remediũ arthritidis, ischiadis, gonagræ, ac podagræ: repurgare intestina: impedire incremẽtum superfluitatum eos morbos excitantium. Ruland. Articulorum doloribus varijsque ægritudinibus prosunt aquæ sulphureæ, aluminosæ; cupreæ, ferreæ, salsæ. Item Piperinæ, Leucenses, Cellenses, Syluestres, Flieben, Erckaw, Vuendingenses, Abecenses, Teplicæ, Embsenses, Badenses Herciniæ, Heluetiæ, Austriæ, Vualdsborn, Vvillingenses, Bellerthal, Dannerbecher, Vvisbad, Carolinæ Bohemiæ, acidulæ in Saurenthal, ad Ahr, & in Mendich, Aquisgranenses, Bertringenses, Keswasser, Laubacenses, Ribbadenses, Vverinngenses, Vvolckestein. Contra eorum tumores valet acidula in Buretshaym. Cõtra tophos acidula in Spiegelberg. Item ad dolores articulorum, neruosarum partiũ, omnesq; alios mitigant ac curant aquæ sulphuratæ & specialiter Cellenses, Erckawenses, Syluaticus fons Vvaldsborn, Badenses Herciniæ, Castein, Dalfingẽses, Vvolckenstein. Idẽ: Chiragram sanãt Badenses Heluetiæ, Herciniæ, Piperinæ in agro Curiensi calidæ scatentes è sulphure, nitro, ære, auro & ferro, Spiegelbergica acida, Auwensis, Annæberg. Aquisgranenses, Dalfingenses, Keswasser, Vvaldsborninæ. Coxendicum morbos & dolores curant aquæ Annæberg. Vvolckstein, Elboganæ, Heylborn, Vvẽdingenses, Carolinæ, & sulphuratæ. Itẽ: Contra ischiadem auxilium subministrant Dalfingenses, Cellenses, Aquisgranenses, Auwẽses,

Articulorũ dolores.

Tophi.

Chiragra.

Ischias.

Vueringenses. Podagræ & Podagricis doloribus remedium præstant aquæ æreæ, ferreæ, salsæ, aurariæ, Auw, Aquisgranenses, Cellenses, Keeswasser, Sultzbrun, Vueringenses, Vuolckestein, Egendinæ, Badenses Hercyniæ, Piperinæ, Neubrun, Syluestres, Badenweiler, Vuesterbad, Fideris, Leucenses, Vuendingenses, Spiegelberg, Kißing, Vuisbaden, Annæbergenses. Frigidam & pituitosam Podagram sanant Dalfingenses Austriæ, Villacenses, Teplicæ, Abecenses, Embsenses, Castein. Si chiragrici, ischiadici, podagrici velint vti nostro balneo Admirabili, non improbo modò optimè sint ante repurgati & potißimum syrupo de Rhamno mixto cum aqua admirabili ad vncias tres pro dosi. E re sua sentient si non balneent in aqua calidiore nec diu maneant in solio. In exitu verò balnei quiescant in lecto, sudorem expectent si natura balneo adiuta promoueat: Absoluto balnei tempore non displiceret, si frigidiorum & pituitosorum balneis adderentur quæ præscribit Rulandus ad eiusmodi affectus. ℞. Salis lib. ij. aluminis lib. 1. sulphuris viui ℥. iij. Baccarum lauri lib. ß. vel eorum loco pauperes inijcient copiam lapidis scißilis: balneent tribus postremis diebus in eiusmodi medicatiore aqua: Nec præter rationem erit ad Rulandi imitationem aliquando addere sal aquæ admirabili, eaq; mane & vesperi ante cibum lauare pedes. Lutationem etiam probarim ex argilla, pyrite, & lapide scißili. Potus etiam aquarum acidarum loco vini benefaciet. In dolore coxendicis multum probarim enemata ex aquis medicatis & nostra Bollensi per se vel additis herbis conuenientibus eiusmodi morbo.

Quo vsu ad iuncturarũ morbos valeat Bollẽs.

Ad artuum & carnosarum partium dolores, pedum lassitudinem & Pandiculationem. CAP. LXII.

QVi verò artus infestare solent dolores, palpitationesque, & pungitiui dolores siue summa carne, siue fibris insint musculorum, eos dulcium & tẽperatarum aquarum balnea iuuant. Naturalibus verò balneis, quæ ad calidas articulorum intemperantias prodita sunt, eos discutere tentare oportet. Nitratis scilicet ebibitis, Aeneis, ferreis, Sancti Marini aqua ad viam Flaminiam, Borra Senarum, Iuncariæ, & Plaga Puteolis, Grotta, & Nauseo Viterbij, Tigurinis Heluetiorum, Cellensibus, Ferinis, Ficuncella Porretanis, Albulis, alijsq; similibus. Nec non tẽperatis lauacris purgatione præmissa, vt Aquisgranũ blãdissimũ, Caldanæ Pisarũ, Rubeum titulo Sancti Iohannis etiã in potibus vtile sub Patauio, M. Falconis in Frioli. Maximè si adhuc roborandi ex mistura vim obtineant, vt Caldanellæ præ cæteris membra mirificè instaurantes, Villa, Auinio, Caldarianum, Viterbiensia aliqua. Vel harum virtutum lutamenta, quale ad aquas Porretanas, ad Sanctum Caßianum sub insignibus Sancti Georgij, ad Aquas oppidum in Liguria, Baccius. Rulandus, Musculorum affectus sanant Badenses Heluetiæ. Idem Musculorum doloribus succurrunt Vuolckestein. Montagnana consilio 203. Si quis dolorem alicuius partis sentit, recipiat stillicidium: à balneo & sudore in lecto ac eo absterso vtile erit dolentia membra aut paralysi resoluta

Stillicidiũ.

resoluta vngere aliquo oleo calido ad eos affectus composito, vt de costo, de croco, de piperibus, liliorum alborum aut iridis. In contractione autem & rigiditate membrorum vtile est recipere vaporem aquæ bullientis. Plurium autem caussarum soboles est pedum laßitudo, quales sunt ambulatio nimia, nonnunquam necessaria, saltatio Venereorum nepotulorum stulto iudicio tantopere laudata, non tantum non necessaria, sed & quam ex articulorum debilitata nimisque laxata compage subsequens podagra interdum, aut incalescẽtibus motu tibijs cum sanguine varices vlceraq; omnis medelæ contemptricia noxiam comprobat, vt Theologis interim sua relinquamus: quanquã & extremæ dementiæ apud ipsos Ethnicos res sit habita, Nemo, inquit Cicero pro Murena, ferè saltat sobrius, nisi fortè insaniat, neq; in solitudine, neq; in sollicitudine, neq; in conuiuio moderato atq; honesto. Sed nos in scholam medicam reuertamur, quæ vt alijs morbis ipsorum laborantium vitio contractis non grauatè subuenit, ita nec huic affectui opem negat: Conferet itaque pedes ex Bollensi tepida fouisse aliquamdiu ante decubitũ. Efficacius, si, cum Rulando, origanum, pulegium, saluia similiaq; discutientia, ἄκοπα, inferbuerint. Cæterum de totius corporis laßitudine à balneo vel labore, copiosius diximus inter symptomata. Quod ad pandiculationem attinet, non rarò etiam laßitudinis alicuius sed spontaneæ aut comes aut effectus est, ob halituosum (inquit Dort.) excrementum in carne aceruatum, per cessationem à corporis motibus, ideóque plerunque inuadit post somnum & initio acceßionum febrium. Ea per se in plerisque conquiescit: in quibus tamen frequentior, quàm bene moratis conuenit: hi dextro vsu aquarum Belilucanarum seruantur & curantur.

Bollenses ad laſſitudinẽ pedũ.

Pandiculatio.

Ad tumores & abſceſſus. CAP. LXIII.

VAriæ, quæ in summa carne oboriri solent, ex adfluxu alicunde extumescẽtiæ, abscessusque, aut dißipari volunt, cuius apprimè virtutis sunt balnea quæcunque naturalia, aut ad suppurationem perduci, quorum per species hæc breuiter ratio est. Oedema quidem, quod ex frigido constat, & contumaci adfluxu, per exiccantia, & calorifica plerunque discutitur, quorum multa diximus & peculiaria Aponum, Caldanellum, Asculum, Sanctæ Mariæ in balneo, Bussetum Viterbij, Auinionem, de Aquis Pisarum, Corsenum, ac Villam, Borbonium, Badenias in Austria, Bathonias in Anglia, in Hispania, in Sicilia. Laudat Arnaldus de Villanoua ad abscessus huiusmodi pituitosos, & internos aluminatarum aquarum potum cum vino, quæ nimirum acidulo sapore sunt. Nam & externos, inquit, egregiè diminuunt, ac discutiunt, etiam sulphuratæ. Quas item ex alto in locum tumidum recipere confert, vel in sudationibus, vel in illutamentis, facit & insolatus, & arena in balneis Ischiæ, & in herbis medicatis decubitus. Erysipelas autem ex subtili bilis influxu, haud tutò per calorifica adhibita discutitur, ac minus inflãmatio, quæ sanguinis est. Satius igitur hæc per tenuiũ partiũ, ac leniter digerẽtes ebibitas digerere, quales nitratæ, æneæ, Ficuncella, Porretanæ, Albulæ, Grotta, ac similes præmissa (vt artis est) tum vniuersali vacuatione, misso sanguine, tum particulari ex medicamento proprio. San-

Tumores diſcutiunt balnea naturalia quęcunque.

Baln. œdematibus diſcutiẽdis accommodata.

Eryſipelata & phlegmonę potu potius, quàm lauacro curantur.

Illutaměta ad maturādum.

Potus acidularum ad erysipelata.

Tumores calidi.

Inflammationes.

Authra.

Oedem.

Bollens.

guini autem adhuc in inflammationem confluenti, astringentia in artificalibus commodant, Emollientia quoque, & ex rubrica Sinopide aqua. Terrae item genera illutata, quae aqua calida temperata ad maturandum diutißime conspersa, necnon in antiquis Gymnasiorum sordes, ac Caeromata in illutamentis relata, Baccius. Iac. Theodoro valde probatur potus acidarum aquarum in Langenschwalbach ad erysipelata. Rulandus: Erysipelati succurrunt Badenses Austriae, Villacenses, Abecenses, Teplicae. Item, Contra calidos & biliosos affectus conueniunt aquae Fideris, Kesselbrun, Ponterborn, aquae in Mendich. Item inflammationes submouẽt aquae Plumbariae, Fideris, Vberlingen, Ferratae, Gypseae. Idẽ, Abscessus frigidos & malè curatos aperiunt, mundificant & iterum consolidant aquae Embsenses, Vvendingenses. Contra abscessus antiquos valẽt aquae Brintzbacenses. Antracem curant aquae Etingenses & Piperinae. Ad carbunculos valent aquae ferreae, aereae, & salsae. Item Etingenses. Idem, Oedemata curant Carolinae, Ribbadenses, Spigelberg. Item tumores omnes & tubercula discutit & dißipat aqua salis, nitri, aluminis. Item Badenses Herciniae, Margraffbad, Piperinae, Zuckenthal, Vvaldsborn, Niderborn, Mestesdorff, Lonquich, Spigelberg, Vvendingenses, Aquisgranenses, Carolinae, Dalfingenses, Keeswasser, Laubach, Vvatsweil, Vvettingenses, Vvolckestein, Zellersbad. Tumores laxos curant Heylborn, Saurenthal & ceterae calefacientes & siccantes aquae. Sed vt de Bollensibus quoque aliquid adferamus, vtiles esse balneo in tumoribus oedematosis & frigidis mihi nullum dubium: vis tamen augeri potest, si sacculus repletus puluere bituminis succininè & pyritae madefactus in aqua tumori applicetur. In erysipelatibus sanè imitatus Baccium, laudo potum acidularum, si praecedente cathartico ad nouam bibantur euacuationem vsque per aluum: vel ad multos sudores. Non improbarim tamen si etiam postea vtantur moderato balneo aquae admirabilis, vt reliquiae in habitu corporis resoluantur, ipseq; adeo totus etiam habitus roboretur. Memini Il. meum Principem post balneum in acidulis Griesbachianis diu immunem fuisse ab erysipelate cui obnoxius erat. Dum ad fontem admirabilem agerem cuidam balneanti obortum erysipelas, quem nolui desistere à lauacro: imperaui tantum vt minus calidè & paucioribus horis lauaret: quod ei benè cesßit.

Ad tumores crurum, pedum, & manum.

CAP. LXIIII.

OEdemata pedum & manuum saepius hyeme ob frigus externum & pituitosi flatuosique sanguinis copiam accidunt: sidunt ea aquarum Belilucanarum vsu frequenti, quod mirum videri poterit, cum balneatrices pleraeq; hîc oedematosis pedibus obuiae sint. Hae porrò impedimenta haec perpetiuntur ob ingressus in thermas frequentiam, qua pedes imbecilliores reddũtur, teste Hippocrate, eoque humorum superfluorum corporis proluuiem excipiunt.

Dein, externa aëris frigida intemperie coguntur, stipantur, concrescunt humores, qui calida aquâ thermarum dissoluuntur in flatus, non tamen euaporare possunt ob intercisam moram in balneo, seu vices ingressus & egressus. Denique iugi detersione cutis tenuior redditur: hanc aquæ portio subingrediens à tepore thermarum in flatus vertitur. Secus autem se res habet in his qui alia causâ & loco œdemata pedum manuumque contraxerunt. Hi potu aquæ Belilucanæ indigent ad dies quatuor pluresuè primo minus, secundo, tertio, &c. plus bibendo. Probe expurgato detersoque corpore manus pedesque abluendi in balneo mane summo & vesperi ante cœnam. Post lecto se componant, sudent, maximè partibus affectis, idque per quatriduum. Cœno denique vtantur cum reliquijs cum oleo anethino, rutaceo, de lateribus, donec integrè sanati sint. Crassiores pedes quàm pro corporis habitu deceant ob copiam sanguinis pituitosi crudi & crassi gignuntur. Nimia autem pedum tibiarumque crassities potum, insessum, fotum, litum vt dictum est de œdematosis pedibus, desiderat: prætereaque ligaturam arctam à partibus pedi vicinis ad femur productam: Dortoman. Baccius: Inflatis pedibus, qualia de tumoribus dicta discussoria competunt, saburratio ac insolatus. Rulandus: Crurum tumores, inflammationes & vlcera sanant Badenses Herciniæ, Carolinæ, Leucenses. Fallopius cap. 18. Stufæ montis Orthoni tepidissimæ sunt & optimi vsus ad emolliendos artus. Vidi aliquando monachum qui habebat crus & genu rigidum & inserebat ipsum in vnam ex illis foueis, & cum ibi horam detinuisset, extrahens optimè ipsum crus mouebat: sed postea refrigerato genu & crure, iterum rigebat. Luti montis Orthoni vis est vt siccet, digerat, roboret, & dissolutas partes vniat. Lutum est argillosum immo argilla eadem ex qua hîc Patauij fiunt ollæ, differunt tamen colore: quia argilla quæ est in balneo coquitur & sic acquirit alium colorẽ: Argilla tamen est & pinguis, habetq́ salsedinem & parum vaporis sulphurei, & ideo ratione horũ duorum habet vim siccandi, roborandi & digerendi, nec non adstringendi facultatem aliquam, sed paruã. Vtimur hoc luto in œdematibus durioribus qui in cruribus, vel alibi oriuntur. Modus autem vtendi est vt frigidum applicemus parti affectæ & eam totam obliniamus & mox exponamus soli. Possemus vti luto istius balnei, etiam procul à balneo, quia potest asportari in partes etiam longinquas, nec vim suam amittit. Non solum in œdematibus durioribus vtimur: sed etiam in tumoribus laxis, qui circa crura oboriuntur, Elephantes vocantur ab Arabibus. Confert etiam lutum istud ad articulos laxatos & debiles: Sed lutum montis Orthoni parti affectæ non applicandum calidũ vt aliqui faciunt & malè. Primò calefaciat æger partem affectam in aqua illa, mox supponat lutum frigidum & partem ipsam exponat soli, obseruetque ea omnia quæ diximus esse obseruanda dum de luto in communi egimus. Idem cap. 19. Lutum aquarum S. Petri argillosum & coctũ est, habetq́ vim degerentem & roborantem, & propterea vtile est ad remouendum imbecillitatẽ artuum & neruorum refrigerationẽ.

Stufę mõtis Orthoni.

Elephãtes.

Aqu. Petri lutum.

Vtimur diuersis modis nempe calido, non frigido vt illo Orthoni montis & non Aq. à luto dictæ. *exponimus partem luto obductam soli. Andernacus: Aquæ vrbis veteris à luto dictæ crurum craßitiem, neruos contractos extenuant & resoluunt si quis ad mensem vnum vel duos in eis moretur. Montagnana: Pro tumore cruris & debilitate, orto sole vel paulò pòst balneet totum corpus per horam semis: postea se recipiat in lectum, dormiat vel quiescat ad horas aliquot, postea balneet crus in* Linimentũ. *aqua calida: Secunda die eadem agat, & præterea admoueatur cum aqua balnei mixtus sequens puluis ℞. Sem. sesami, fenugræci & orobi ana ℥. v. Asari, chamæpityos, origani ana ℥. i. fiat puluis. Die tertia idem faciat, verùm addat de sequẽtibus oleis ℞. ol. sesamini lib. i. costini & de pulegio ana lib. ß. misce. Quarta die* Vapor. *non balneet totum corpus, sed solum crus: recipiat etiam cum tibia & genu vaporem aquæ calidæ, deinde exsiccet cum pannis & se lecto componendo vngat cum oleis sequentibus. ℞. ol. nardini ℥. iij. fæcis ol. iridis, de croco, liliorum alborum ana ℥. i. ß. Misce, vngat à genu vsque ad pedem, & inuoluat tibiam pannis calidis: Ante cœnam recipiat vaporem aquæ calidæ. Quinta die bis recipiat vaporem & inungat tibiam, & ita pergat. Aluus si astringatur, parentur pilulæ septẽ ex aloë lota, cum electuario de psylio, sumat vnam. Hæc ille. Ego non statui hîc multa scribere de viribus aquarum medicatarum admirabilis fontis: cum satis hæc res omnis ex historijs nostris præpositis elucescat. Quamobrem ægri poterũt vti ijs, eo modo quo præcedentes docent vtendum suis aquis. Lutum etiam parari potest pro morbi qualitate & magnitudine ex bitumine, argilla, pyrite, & lapide scißili: quæ omnia particulatim præscribere poterunt medici & chirurgi ægris consulentes.*

Ad contractiones & tensiones ligamentorum, tendinum, & musculorum: nec non ad distorta crura & brachia. CAP. LXV.

CONtrahuntur item ligamenta & tendines, vti curuatis quandoque cubito, manu, digito, genu manci & deturpati plures à vulneribus supersint. Contracta membra lauacro aquæ Belilucanæ vtilißimè fruuntur: ex Belilu.' vsus ad cõtracta. *aqua per sex dies manè assumendæ aquæ lib. ij. pluresuè: ante cœnam aquatum ducenda membra horarum duarum spacio. His elapsis diebus mane & vesperi ante pastus externa tantum vtendum proluuie sæpe, multum ac diu. Ab egressu balnei in lecto inungenda membra crurum vituli axungiâ addito galbano, sagapeno, opopanace, terebinthina &c. Tensio siue vulsio musculorum, suræ, & li-* Grampe. *gamentorum eius (Gallis* la goute, Grampe *dicitur) à vaporum flatuumque craßiorum copiâ orta: qualis grauidis & malè dispositis pedibus dormientibus frequens, ad præseruationem potu indiget thermarum Belilucanarum: ad curationem solo harum lauacro & cœni litu. Si qui commodo aquarum vsu desti-* Aq. Corsicę. *tuantur & cominus eâ frui nequeant, aquâ stillatitia vtantur in potu, eâ proluantur pedes, Dortom. Baccius: In montanis Corsicæ sunt quædam minerales aquæ admodum frigidæ: quæ tamen concalefactæ ac in balneis vsurpatæ, miri-*

fica quadam digerendi virtute polleant. Nam & contracta membra restituunt & indurata emolliunt. Idem lib. 3. cap. 1. Ad contractiones tendinum & chordarum valet illutamentum, quod magis penetratiuum efficietur si ad loca eiusmodi dura & contumacia, balnei imprimis vaporationes captentur, quod ad dolores quoque sedandos non erit inutile: quale balneum ex salsis marinisque calentibus. Balneum ex bituminosis, quale ex Petroleo ad Baias, & item Culma, & sub Perusio lacuna. Andernac. Aquæ Vvemdingenses manu factæ calidæ; sulphure, alumine, & nitro constantes coxarum doloribus podagricis, membrorum contractionibus, articularijs, paralyticis auxiliantur. Idem: Balneæ Badewillæ tusa, conuulsa, distorta tensaq; restituunt. Idem: Aquæ medicatæ manu factæ calidæ in Niderborn ex alumine, sulphure & ære scaturiunt: Ad defluxiones capitis vtiles, rupta, conuulsa, siue ex colico, siue ex defluxione humorum, & distorta emendant, duritiem neruorum emolliunt. Pantaleon de thermis Tigurinis cap. 21. laudat balneum Kesselbad *dictum ad contracturas & resolutiones, multos in id deferri qui citò conualescant & restaurentur, si non sint voraciores & ordinatam victus rationem obseruent: id quod etiam obseruarit anno 1577. in puella. Montagnana de balneis Patauinis: Linimētum bonum ad emolliendum durities & contractiones membrorum, quod applicandum vna horâ ab exitu balnei: ℞. ol. sesamini, amygdalini dulcis recentis ana ℥. 1. ß. vitellos ouorū ij. medullæ crurum bouis, sæpi arietini, pinguedinis anatis & gallinæ ana ℥. 1. croci ʒ. 1. dissoluantur pinguedines & colentur, cætera addantur diligenter conterendo, in fine adijciantur ammoniaci dissoluti cum aceto ʒ. x. Insigniter sedat dolores, quos vt magis mitiget adde olei chamæmel. ℥. iiij. Si velis nonnihil stupefacere adde opij ʒ. 1. & erit nobile medicamentum ad prædicta quod non potest nocere. Rulandus, ad contractionem neruorum & membrorum vtiles sunt aquæ Auwenses, Lutberbad, Vvolckestein, Vvisbad, Schweiningenses, Syluestres, Piperinæ, Leucenses, Vvallist. Flieben, Embsenses, Elboganæ, Vvendingenses, Carolinæ, Teplicæ. Ad neruorum dolorem Embs Constantiæ, alumine & nitro infectæ. Neruorum rigores Brigenses, Annæbergenses, Auw, Antegast. Neruos induratos humectant & molliunt Kißing, Vnderthal, acidus fons tinctus alumine, nitro, sulphure, Buretschheim acida sulphuris & nitri particeps. Nodositates curant Gebersweilerianæ. Spasmo medicantur aquæ salis, sulphuris, Badenses Herciniæ siue Margraffbad, Laubacenses. Idem pro contractis & conuulsis hoc instituit balneum, Sambuci m. xx. decoquant diuites in vino, pauperes in aqua quantum conuenit. Insideant quotidie diutius in hoc lauacro, & post egressum in calido lecto bene contecti stragulis sudent diu multumque. Post sudorē perungantur membra contracta isto vnguento quod recipit ping. taxi ℥. iiij. vulpis lib 1. Masticis ℥ ß. Euphorbij ʒ. j. Piperis vtriusque ʒ. x. Vini boni mensuras duas, fiat vnctio iuxta artem. Hæc ille. Nulli laboranti contractionibus à colico dolore, quæ vulgares in Alsatia ac vicinis locis potißimum circa fodinas Girardmeigni, suaserim vt vtatur paulò post colicum dolorē cessantem vllo balneo.*

Lutamentū. Vapor.

Aq. Vvembdingenses.

Badenvvei.

Niderborn.

Badenę Helvetiorum.

Linimentū.

Aq. ad varios neruorū affectus.

Insessus.

Plures vidi magno suo damno adijsse Plumarias thermas pro restituendis artuum viribus & reparandis contracturis qui redditi multo imbecilliores in vitæ periculum inciderunt. Vsus thermarum & balnearum pluribus mensibus post principium imbecillitatis confert, cum interna viscera incipiunt suo fungi officio, ventriculus bene concoquere & hepar sanguificare, ac artus nonnihil vires recipere & carne augeri: Nec etiam tunc ex vsu erit violentius balneum, nec omnia vnguenta calidiora conueniunt, multò minùs in principijs. Placet suo tempore balneum aquæ admirabilis, cuius vis augeri potest addito bitumine gagateuè & lapide scißili. Si quando vtendum vnguento præscripto per Rulandū, id velim fieri in contracturis valde frigidis ac summo cum moderamine, quod periti medici iudicio relinquendum. Porro autem quæ distorquentur & curuantur ossa brachiorum vel crurum in varis, valgis, compernibus à conformatione in cunis à præpostera ligatura vel etiā ab externa aliqua causa, aqua Belilucana diriguntur, si in ligneo tubo canaliue protensa maneant: madeant frequenter, cōtrectentur, inflectantur manibus. Imo subigantur more modoque quo lignarij fabri distorta curuataque ligna flammis subditis rectitudinem, vieteres curuitatem, Dortoman Non agnosco in aquis medicatis tantam ad prædictos affectus efficaciam vt eos poßint per se tollere. Iuuare interim posse illas ac etiam nostras admirabilis fontis in adolescentibus adhuc crescentibus non dubito: Verùm longo admodum tempore, ligneis canalibus tubisuè benè præparatis dextreq́; alligatis & continuò gestatis aut saltem noctu: qua ratione memini à me spacio vnius anni curatum puerum valgum.

Ad vlcera & inter cætera, de gangræna.

Cap. LXVI.

Balne. vsus ad inueterata vlcera frequens.

OMnia vlcera sanare valent medicatæ aquæ competenter adhibitæ. Vsus tamen frequentior in inueteratis, malisque est, in quibus vbi tentata vndecunque remedia non profuerint, tanquam ad sacras balnearum appellationes recurritur. In eligendis ergo ad vlcera balneis, vnum in primis valdè necessarium animaduertendum est, particulæ exulceratæ imbecillitas, quæ viribus corruptis, vel sopitis nec idoneum sibi appropriat nutrimentum, nec influxum aliunde malum valet reijcere, nec receptum corrigere, vnde varijs ipsam abundare excrementis necesse est. Et alterum, membri alicuius mandantis intemperies, ac in expultrice ipsius robur, qua semper purgamenta ad imbecilliora detrudit. Ex mandantibus subinde, aut cerebrum imputari solet, aut hepar, aut tertium vterus, & quæ his subministrant consequenter, quæ oportet principaliter ante balnei ad vlcus ministeria medicari. In fluidis vlceribus, perrarò non catarrhus aliquis à capite destillat, vijs præsertim ad illam partem manifestis, quē primo per ea, quæ peculiaria ad catarrhum in capitis affectibus docuimus, oportet discutere seu priuatæ sint medelæ, seu potius ex aquis medicatis potiones, nitratis nimirum, salsugineis, æneis, ferreis, purgantibus, seu discußionis adflu-

In eligēdis ad vlcera baln obseruanda. I.

II.

xionis principia in bregmate, aut nuca, ex sulphureis temperatis, bituminosis, nec admodum adstringentibus. Ita enim antecedenti submota caussa, facilè vlcus ad sanitatem per localia balnea perducitur: quæ adstergentia sunto, mediocriter calida, & sicca, vt Ferratæ quædam, Bussetum Viterbij, Villa Lucæ, Caldagna Sancti Caßiani, Albulæ, & Lalanæ ex alumine, Porretanæ, Corsenum ex alumine & ferro, atramentosæ in Volaterrano, Bringenses in Valesiis, aliæque innumeræ consimiles, & marina aqua per æstatem efficax. Inueteratorum autem vlcerum, eadem balnearum, ac præsidij cuiuscunque ratio esse debet: nisi quia in his non tam timendus aliunde influxus est, quam quòd ex habituata iam dudum illi particulæ intemperantia, vnde aut cacoëthê fieri assolent vlcera, aut serpiginosa, aut putrida, aut contumacia, & dura, aut sinuosa, aut fistulosa, aut multifariam maligna, longiorem desiderant curam, ac nulla cura est neque breuior, neque certior, quam quæ à balneis sumitur. Ea ergo intemperies, aut in totum occupauerit particulæ naturam, quemadmodum in Scirrho, cui nulla tunc medicatio proficua est: aut veneni speciem gerit, vt in Cancro, cuius opus est primò virus interficere, quod vt nullis alijs remedijs, ita in balneis difficile fit, quanquam eam curam plumbeæ à proprietate, & quædam aliæ fortes promittant. Aut denique quædam aliæ fortes promittant. Aut denique quædam mala qualitas inculpatur, vt immoderata vel caliditas, vel frigiditas, vel humiditas, vel siccitas, vel complicata ex his pluribus, tumque Galeno teste, per vnicuique contraria curandum. Calidæ oportet per frigida mederi, vt ex nitratis aquæ ebibitæ, nec non Fincuncella Sancti Caßiani, Grotta Viterbij, Tigurinæ in Heluetijs. Frigidæ verò per discussoria balnea, & tam actu calida, vt sulphurata, bituminosa, nec non ferro, aut alumine participantia, quàm quæ virtute aeria, vt ex atramentis, ex ære, ex calcitidæ, misyo, soryo, plumbo, ac similibus. Vlcera verò siccam & squalidam habentia carnem, per frigidam aquam irrorari ex Galeno docemur. Bituminosa valent in naturalibus balnea, ac Cellensia in Heluetijs. Humidis autem faciunt eadem, quæ paulò ante ad fluida vlcera dedimus, & ad hæc Aponi balneum ad inueterata proficit, varia misturarum facultate: Embs item in Germania, & Embsenses aliæ sub Diocesi Treuerensi, aliæ in Alsatia, Fabarienses in Rhetia, ex Gypso aquæ, & ex atramento in Volaterrano lacunæ. Porrò in Herpete, vbi scilicet vlcus serpiginosum efficitur, erodens, ac sæpe putridum, composita conijcitur qualitatum malignitas, calida, acris, salsa, pruriginosa, quod potiones medicatas, quales in calidis alijs, & catarrhalibus diximus, desiderat. Foris vero ex acribus, ac erodentibus, balnea, Ferrea, ænea, plumbea, atramentata. Gangrænæ eadem, & Aponus, & Ferinæ aquæ in Germania, & in Dacia Virides ad montem Carpathum, & in Cypro insula æneæ aquæ omnium valentißimæ. Nec secus in sinuoso vlcere composita sordities, fluida, virulenta, salsa, ac erodens, quam oportet per exiccantia, ac modicè calida extergere, quales metallicæ, vt plurimum aquæ, ex plumbo maximè, ære, a-

Baln. topicorũ vim in vlceribus antiquis obtinentia.

Inueteratis vlceribus.

Cancro.

Calidæ intemp.

Frigidæ.

Siccæ.

Humidæ.

Herpeti.

Gangrænæ.

Sinui.

Fistulæ.

tramento, ac minio. Faciunt eadem ad Fistulas, quod est, vbi cauitas vlceris obducta ex ore in penitiores anfractus cuticula, fistulæ instar (vnde illi est nomen etiam Græcis) perpetuo hiat, emanatque. Difficilis quidem quocunque modo curationis: difficilimæ verò vbi fistula in altum penetrat, qualis ex intestinis sæpenumero fit ad ani musculos. Cui nec commodè, nec tutò possunt quæcunque medicamenta adhiberi. Facerent tamen vtcunque exiccantes ebibitæ, ac absterforiæ facultatis, vt Ferratæ, nec admodum calidæ, vt Ficuncellæ aqua, ac similes. Vel iniectæ quantum fieri posset acres, & quæ potentia cuticulam ipsam fistulæ extererent, quales sunt ex æris, chalcitidis, cæruleique excrementis dilutæ aquæ, vt in Cypro iam dictæ, & ex plumbo, & ex auripigmento, qualis ad Susis fons in Persia. Vel si non adsint, ex calce idoneæ, ac cinere, & atramentosæ in Volaterrano. Hæc Baccius qui lib. 4. cap. 9. Est item in Senensi agro vicus perexiguus ad confinia Aretij, quod Rapolanum appellatur, sulphureis aquarum scatebris percelebre. Quare cùm longè vndique aura ipso loci vapore sulphurea sentiatur, propius in secessu quodam spiritus sulphuris exhalant adeo graues, vt nisi quis quantocyus auersetur, exanimem reddant, quare locus mortiferis spectris, fossa, ac sentibus præsignatur. Cæterùm salubris aëris, periucundique per æstatem diuersorij, cum balneis eius naturæ calidis, valdè vtilibus. Quæ etsi non adeo multum à temperie recedere quibusdam taxentur, asperæ tamen, ac siccãtis admodum facultatis sentiuntur, cùm scabiem quantumuis crassam, aut putridam, quam celerrime (ter inquam, aut quater in balneis adhibitæ) exiccent. Ac vidimus, qui egreßi à balneo duratis vlcusculis, plagisq; ea asperitate aquarum, quasi ambustis, in reliquum diem angerentur, vnde didicerunt crassa id genus scabie laborantes, totos integros dies sedere in balneo, donec omnino emundati exirent, ac abirent. Cui vitio succurrere poterunt, facta statim à balneo leni ipsorum vlcerum litura, aut butyro eloto, aut miti aliquo id genus vnguine. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponitano: Sanat aqua ista vlcera, cutis pruritus, vlcera squammosa, scabiem leprosam pruriginosam vel salsam. Item cap. 32. de balneis Volaterranis: Balneum S. Michaëlis, in quo alumen & sulphur paucum aut nihil, in affectibus cutis est præstantißimum, præcipuè ad fugandam lepram: in quo affectu præstantius remedium fortè non reperietur. Andernacus: Balneæ Badenwillæ manu calefactæ scaturigine tepida scabiem, impetiginem, lepram, aliaque id genus exteriora vitia & vlcera vetusta malequecurata sanãt. Idem: Aquæ medicatæ in Britzbach vltra Rhenum ære & ferro imbutæ in balneis visum acuunt: calculosis renibus vetustisque absceßibus auxiliantur: impetiginem, scabiem & lepram tollunt. Item: Aquæ Patritiorum in Italia alumine magis quàm sulphure infectæ sunt, scabiem & alia cutis vitia optimè discutiunt. Idem: Aquæ Caldanæ vrbis veteris in Italia aluminosæ & parum ferreæ, humidam scabiem abstergunt. Idem: Aquæ calidæ Badenses in Austria quæ sunt multi sulphuris, paucioris nitri, minimi aluminis malignis & serpentibus vlceribus, erysipelatis & cancris prosunt. Rulandus: Fistulis auxilian-

tur

Ani fistulæ.

Exhalationes pestiferæ.

Aq. Rapolanæ sulphureæ ad scabiem cõtumacẽ celeri & certo præsidio vtilissimæ.

Vlcusculorum crustæ à balnei vinimia asperante siccãteque dolorificæ.

tur Piperinæ, Ribbadenses, Plumbariæ, Vvendingēses, Vvesterbad. Vlcera caua, maligna, antiqua, serpentia, & insanabilia curāt Spigelberg, Badenses Austriæ, Villacenses, Teplicæ, Abechi, Conderthal, Cellenses, Plumbariæ, Neubrun, Piperinæ, Vvendingenses, Vvaldsborn, Deinach, Antegast, aquæ aluminis & auri &c. Vlceribus malè curatis prosunt Leucenses, Embsenses, Badenweiler, Piperinæ &c. Ad vlcera omnia valent aquæ salis, cupri, ferri, sulphuris, nitri, aluminis, gypsi. Item Cellenses, Plumbariæ, Piperinæ, Vvisbad, Leucenses, Neubrun, Badenses, Bringenses, Gebersweiler, Embs, Flieben, Antegast, Brintzbach, Acidulæ Gôppingenses, Auwenses, Vberking. & cæteræ thermæ omnes. Dortoman. Gangræna à frigore ita pedes frequenter, rariùs manus occupat, vt spiritus & calidior sanguis in has partes vix confluat: aut si confluit, citius refrigeretur à pedibus gelu obsessis quàm vt ipse pedes calidos reddere queat. Vidi non semel, sed sæpius pedum digitos omnes aut aliquos, imò pedes integros emortuos ob penetrabile frigus, sensu & motu priuatos: dein solutis compagibus articulationum separatos, seiunctos, excussos citra vllum dolorem à superstitibus sanis partibus. Gangræna hæc fiens parte prius scarificatu dilaniata abluatur aquâ thermarum Belilucanarum, confricetur, aspergatur reliquijs, obducatur cœno, melle rosato temperato: Hæc iteranda frequenter. Ad vlcera omnis fere generis facere aquas fontis Admirabilis facilè apparet ex mixtione mineralium, quorum ea vis vt eiusmodi affectibus occurrant. Id quod liquet manifestè factâ mineraliū cum præcedentibus collatione, qualia si non omnino, at certè quadamtenus in Bollensibus mixtioni supradictorum respondent: Sic vt pro rata portione de nostris idem sit sentiendum quod de illis: quemadmodum hoc quoque historiæ à nobis commemoratæ abunde docent, & in vlceribus tibiarum plura dicturi sumus, vbi agetur de morbis extremitatum: De cancro quædam addemus capite de Elephantiasi. Ad gangrænam tutiores existimarim aquas fontis admirabilis Belilucanis, si membrū cui portiones gangrænâ obsessæ amputatæ sunt, ne porrò malum serpat, intemperiesque emendetur, abluatur aquâ nostri fontis, in qua candens pyrites & lapis scissilis restinctus sit, insperso postea mox eorundem puluere vel melle illito.

Chironia vlcera. Vlcera quæuis. Gangræna à frigore. Aq. Bollens. ad vlcera quælibet. Aq. Bollens. ad gāgrenā.

Ad Vlcera tibiarum & pedum.
CAP. LXVII.

VLcera tibiarum & pedum ex melancholico vel pituitoso sanguine etiam cum varicibus sæpe dysepulotica & curatu difficillima gignuntur: Vlceratus aquatum eat, redeat, potet, abluat, cœnum inungatur, reliquiæ inspergantur, hederæ, brassicæ, nicotianæ folia vlceribus imponantur, Dortom. Fallopius de thermis cap. 17. de balneo Aponensi: Quando oriuntur in cruribus vel in alia parte corporis vlcera quædam callosa & antiqua, & obducuntur cicatrice, paulo post iterum renascuntur, & non cedunt medicamentis, nihil præstantius

Beliluc. Aponenses.

quàm insessio in hac aqua: & plurima cum ea curaui. In egressu balnei applicandum vlceri aliquod medicamentum opportunum: Verùm si cum vlcere esset coniuncta inflammatio, cauendum ab vsu huius aquæ: quam etiam fugiāt qui sunt habitu calidissimi & siccissimi, & qui laborant febre, ne incidant in marasmū becticamuè. Hæc ille. Non videtur necesse vt hîc celebrem laudes nostri fontis Admirabilis in curandis antiquis & malignis tibiarum vlceribus cum satis appareant ex historijs: Nihilominus tamen accidit interdum vt quædam propter viscera corrupta non in totum sanescant, quædam etiam non conueniat propter vitæ periculum primo anno occludi: quibus tamen vlceribus conuenientia emplastra adhibenda sunt, vt vel in totum sanescāt, vel certè impediatur incrementum: In quibus affectibus insigne est emplastrum de plumbo patris mei piētissimi Ioh. Bauhini medici celebris Basileæ & in chirurgicis fœlicissimi: cuius hæc est formula ℞. lithargyri aurei ℥.iij. plumbi vsti ℥.ij. Cadmiæ botrytis, siue tutiæ vulgò dictæ, præparatæ ℥.j. minij plumbi ℥.1.ß. Cerusæ ℥.ß. olei rosati, ceræ citrinæ q.s. Fiat massa pro emplastris. Plura hîc præscriberemus ad impediendū incrementum vlcerum & ad impediendas recidiuas, nisi id iam factum fuisset libro præcedenti de historijs eorum qui iam experti admirabilem fontem. Quod si vlcera dysepulota à varicibus foueantur, his primum omnium fuerit occurrēdum. Göbelius aluminosas S. Iobi absolutè ad varices facere scribit: quod idem promittit Rulandus de aluminosis Annæberg. & Vvolckestein, quæ imbutæ permulto alumine, pauxillo pyrite, atque bitumine. Nos quanquā non minus nobis de Bollensibus pollicemur, accuratiùs subducendas hîc rationes existimamus. Quæ enim inueterauerint, vix vllâ fortè ratione curaris. In minus antiquatis, ex medici consilio egregiè purgabitur varicosus, pòst sanguis ex brachio, nō è cruribus detrahetur. A balneo obducetur varicibus emplastrum ex argilla & bolo subactis ex aqua Bollensi: quod vbi inaruerit, obuoluetur crus fasciâ, ab inferioribus sursum.

Emplastrū de plumbo.

Ad Elephantiasim siue lepram vulgò dictam & cancrum.
CAP. LXVIII.

Bal. Reginæ Pisanum.

FAllopius de thermis 29. Balneo Reginæ Pisano felici cum successu vsus sum in potu & insessione ad fugandam lepram. Andernacus: Balneum ex aqua medicata sanat scabiem, lepram, elephantiasim nondum inueteratam. Item: Balneæ Fabariæ, quibusdam Piperinæ Pfeffers *calore moderatæ, in balneis scabiem, impetiginem, elephantiasis initia & leprā, vlceraq́ maligna sanant. Item: Aquæ calidæ Plumbariæ in balneis conferunt vlceribus malignis, curatuq́ difficilibus, cācro, phagedænis, fistulis, elephantiæ recēti. Item: Aquæ medicatæ Vvēdingenses manu factæ calidæ vlcera maligna & inueterata, fistulas, scabiē omnē & lepræ initiū sanant. Io. Göb. dicit aquas aluminosas S. Iobi ad incipientem elephantiasim facere. Baccius l.3.c.1. de thermis: Elephātiasi & quam dicunt leprā, nec minus omni intemperatæ ac veteri scabiei, fortiora in cunctis cōueniunt balnea ex his quæ ante dicta capite de vitijs cutis: Et atramentosa & bituminosa vt*

Fabariæ bal.

Plumbariæ.

Vvemding.

S.Iobi.

Calma & Petrolei balneum ad Baias, Montis alti dictum sub Perusia, Lacuna Volaterranæ, Auernus in Cãpania, Et præ cæteris Iordanis fluuius in Palestina, quem sæpenumero lepram sanasse diuina virtute sacræ literæ attestãtur, & infra Asphalti lacus valde aquæ abstersoriæ. Elephantiasi scribit Paulus Aegineta, vsus aquarum naturalium ceu maximè necessarius adhiberi debet, præsertim aluminosarum & quæ ferrum sapiunt. Confert, inquit, & ipsarum potio, tum marinæ arenæ vsus, & quæcunque tandem sudationibus ciendis efficaciam habẽt vaporaria, ac discussoria. Reges Aegyptij, teste Plinio, & vt aiunt Constantinus Magnus, vtebantur ad lepram balneo ex humano sanguine. Rulandus: Elephantiasim sanant aquæ in Brintzbach, Piperinæ, Plumbariæ. Item contra lepram valent Vvalliss. Vvemding. Badenweiler, Castein, Carolinæ, Gebersweiler, Lutherbad. Treffbach, Vberlingen, Badẽses acidulæ Bassenheim, Heylborn, Spigelberg, Montebaur, Niderlonstein, & sulphuratæ aliæ. Pictorius de balneis, cap. 10. Thermæ Plumariæ curant Elephantiasim, cancrum, fistulas, lupos vt vocant, vlcera cancerosa tibiarum. Magnifica quidem hæc sunt Balnearum præconia, de quibus iudicandi prouinciam alijs relinquo. Cæterum ego elephantiasin hactenus nulli vnquã remedio cessisse vidi. Scio pollicitatorum verba sesquipedalia qui vt pecunias emungant nihil non suscipiunt, nihil non promittũt: & in psora lepráue Græcorum si quando (quod tamen rarum est) feliciter illis crassa ignorantia bonâ quadam fortunâ cessit, plenis buccis inuictum morbum Elephantiasis deuicisse mentiuntur, ante victoriam scilicet triumphum canẽtes. Sed in eo ipso turpiter suam produnt inscitiam, quod ne Elephantiasin quidem cognoscere deprehẽdantur. Nam si bonum virum censura imperitorum deceret, exempla vel nobis ipsis non defuerint. Mompelgardi aliquando pro Elephantico quendã mihi obtrudebant Chirurgi mei (talem enim iudicabant, quòd extrema sensus destituisset cũ corruptione alijsq; similibus signis) quem ego quando nulla in facie deprehendebã signa pathognomonica, cũ Elephanticum pronunciare nequaquam possem, ea executus prius, quæ præmittenda esse ex arte didiceram, ad Thermas Plumbarias hominem ablegaui, vnde non tantum sanus redijt sed etiam citra recidiuam integer remansit. Videas etiam qui egregio Thermarũ fuco ita Elephantiasin occultent, vt mũdos putes, in quos tamen intestinus ille hostis rebellione clandestina crudeliter grassatur. Talẽ nouimus in vrbe Masmunster Elephanticũ tam callidè balneorum vsu morbum dissimulantem, vt nõ facilè nisi à peritis Medicis & Chirurgis potuerit Elephanticus pronunciari. Ex quo magnã quidem esse apparet aquarum naturaliũ in hoc morbo efficaciam: nequaquã tamen vel ab hoc vel ab vllo alio remedio physico inculpatam sanitatem expectandã iusta ratione potest concludi. Quid tum postea, si cutis fœditates tollunt aquæ? obseruaui ipse Admirabilis aquæ Bollẽsis potu & lauacro, fœdissimas scabies, serpigines, herpetes, imò leprã (sed Græcorũ) fœliciter percuratas: ergò ne cũ istis Elephantiasin curatã impudenter mentiar? ego verò existimo si quis tanti morbi symptomata, ne incremẽtũ capessãt, probibeat, nõ parũ attulisse adiumẽti:

Elephantiasis, morbus incurabilis.

De Elephantiasi suspectus, baln. percuratus.

Elephâtiasis balneis dissimulata.

Aq Bollensis lepra Græcorũ sanans.

Mm 2

Veræ Elephātiasi retardādæ ad aq Bollens.

id quod Bollensibus aquis fiet, si ante earum vsum de Elephantiasi suspectus experiti Medici consilio purgationem & phlebotomian celebret, institutaq; optima victus ratione pluribus diebus lauet, ea tamen lege ne vel diu singulis diebus in solio desideat, vel calidiore vtatur, raróque sudores moueat: bibat vini loco aquam Admirabilis fontis, vel acidulas. Eadem impudentia Cancri quoque curationem iactant isti qui populo fumos vendunt. Quid mirum, qui Elephantiasin hoc est Cancrum vniuersalem se persanare posse profitentur, si particularis Cancri sanationem eadem fide promittant? tantum verò abest vt curent aut curare poßint, vt ne agnoscant quidem ex hoc grege plerique, cùm nec artis principia vlla vnquam degustarint, nec legitime remedijs vtantur, sic vt sublimato, butyro arsenici, & id genus alijs septicis & erodentibus multos ad perniciem deduxerint: quos vlcera saltem tibiarum exercuerint, quemadmodum ex libri primi historijs satis liquet. Cuiusmodi vlcera si quando sanant, Cancrum gloriabundi sanasse se iactitant. Ego quod ad me attinet, licet à teneris apud patrem P. M. in Chirurgia celebrem educatus, ab eo tempore Galliam, Germaniam & Italiam peragrarim, celeberrimos Chirurgos secutus, cum omnium optimis Medicis familiariter versatus, nec non, ne quid intentatum relinquerem, cum iactabundis pseudochymicis, ne incipientem quidem, seu, vt vocat Hippocrates, occultum vidi à quoquam siue aquis, siue pharmacis curatum cancrum, tantum abest vt exulceratum percurari conspexerim. Interim tamen incrementum tantisper posse retardari aut dolores minui non negem, qualis palliatiua medicatio dici solet, cum morbum radicitus non euellat. Qua ratione si quis ad Bollenses vti cupiat, operā minimè luserit si præscriptum à nobis mox in Elephantiasi consilium sequatur, id monitus vt diligenter caueat, si occultus nec dum apertus est cancer, ne balneum ad apertionem faciat, (vidi namque quibus ex diuturniori mora in calidiore solio aquarum Bollensium exacerbatus sit & auctus cancer) imò verò potiùs ne ingrediatur quidem penitus, nec cuiquam vel apertionem suadenti, vel sanitatem promittenti credat. Quinimò balnei loco splenia Bollensibus aquis frigidis madentia inducat, (insperso prius pyritæ & scißilis lapidis puluere) laminâ plumbeâ superdatâ. At si vlceratus fuerit, eodem insperso puluere imponatur Emplastrum de plumbo parentis nostri, vel quale in Historijs paßim præscripsimus ex Diapompholyge cum plumbo. Baccij de Cancro sententiam inter vlcera reposuimus. Rulandus, quod pro Colophone sit, cancrum scribit curare aquas Ribbadenses, Gebersweiler, Piperinas, Badenses Austriæ, Villacenses, Teplicas, Abech, Plumbarias, Cellenses, Verùm hîc fit mentio aquæ Gebersweilensis cuius meminerunt alij plures, quidam acidas asserentes vt Tabern. Ego ante aliquot annos ex mandato Ill. mei Principis perquisiui in Alsatia: verùm neminem reperi qui mihi demonstraret.

Cancrū aliaque vlcera maligna septicis aggreßi empirici, malum exacerbant.

Vlcus quodlibet cacoêthes pro cācro habent.

Cācer, morbus insuperabilis.

Cancro retardādo doloribusque minuendis ad Bollēses.

Ad luem Veneream. CAP. LXIX.

DE lue autem Venerea vt priuata est ratio in suis caußis, & calidis & frigidis, & in tota curatione à cæteris morbis, ita priuata quoque ratio in balneis esse debet. Hæc detestabilis & sacra lues, etsi varias in processu agat radices, duas tamen videtur habere primas differentias: calidam scilicet intemperiem, tota forma naturæ operibus inimicam, & humorum craßitiem pro materia. Quapropter hepar vt plurimum, veluti primariam quandam naturæ arcem occupare solet. Et exinde tanquam tyrannus cunctam sanguinis massam exagitans, diuersos, nec singulis eosdem, neque eodem tenore producit effectus: sed pro sæuitia morbi, pro humorum, quas inuenit, qualitate, & quantitate, pro temperamento patientis, & pro ratione, ac loco partium varios. Ergo si is calidus affectus, & quædam hepatis inflammatio est, haud potest iuuari à calido, & sicco naturaliter balneo. Si materia vt plurimum phlegma est crassum, & contumax, diffundere balneum est periculum, non digerere: obdurare, non exiccare, noxios sudores excitare. Quæ pericula varij successus ostenderũt ad balnea: quando nostrorum veterum tempestate, vix dum comperta tantæ contagionis sæuitia, qui se illis commiserunt, rari aliquam senserint vtilitatem, plærique verò, aut inflammatione alicuius particulæ, aut doloribus iuncturarum, aut febribus fuerint correpti: imò cum visi fuerint aliqui in ipsis balneis miserè periysse: in eam suspicionem posuerunt balnea, in quoque etiam alio morbo curando, vt ea perinde forsan toto cœlo contraria, cœperint detestari. Quam ob rem & nos quoque balnea naturalia pro curatione propria luis Venereæ detestamur. Verùm hic nobis vlterius quærendum est: An qui paßi sunt luem Veneream, prohibeantur ob iam dicta pericula, in quoque etiam morbo curandò à balneis, quæ alioqui illi morbo potuissent esse proprium remedium? Ad quam sanè quæstionem, propter diuersa experimenta, quibus visum est balnea alijs ob hoc contagium nocuisse, alijs contrà, non tantum non nocuisse, sed ad primariam fecisse intentionem, & simul præteritæ luis Venereæ reliquias percuraßе. idcirco duplici vtemur distinctione, & ex parte balnei, & ex parte contagij. Quod balnei est, aut calidum intelligas oportet balneum, aut temperatum. Si calidum existat, omnia haud dubie balnea calida possunt patientes, vel passos iam luem Veneream ad id genus pericula reddere obnoxios. Idcirco Auicenna (quod tamen seniorum quoque Medicorum fuit institutum) simplicem quoque calidæ aquæ qualitatẽ articularijs noxiam tradidit: quod (inquit) is calor humores liquat, meatus aperit, iuncturas humefaciendo laxat, ac idoneas eas efficit defluxionibus recipiendis. Idipsum vsu venit in balneis, quæ naturali calescunt sulphure, & acriùs, quæ magis calida, & pluri sulphure abundant, quòd acrius & siccare, & colliquare valent humores, ijsque exagitatis, vel febres excitari periculum est, vel aliquas fieri defluxiones. Plerunque tamen excitant defluxiones tum quia balneorum id est vitiũ commune, tum quia nullum est symptoma magis peculiare, lui Venereæ, quam

Luis venereæ caussæ proximæ.

Lues venerea calida & cũ hepatis inflãmatione balneo naturaliter calido non curatur.

Fides dictorũ historica.

An luem Veneream aliquãdo passis liceat alterius morbis caussa balneo vti?

Resp.

Baln. calidũ luẽ Venereã passis vel patientibus noxium.

defluxionibus conflictari, ac doloribus iuncturarum. Quòd si balneum temperatæ caliditatis intelligas, haud mirum, nec defluxionem id excitare valebit, nec intendere, sed vsum fore impunem sperandum est, & forsan vtilem lue Venerea affectis: tum in potibus, vnde hepatis adustio refrigeretur: tum in balneis siccando eius vitij relicta vlcera, atque impetigines: maxime verò si ex æquo cum balneo eius quoque contagionis ratio habeatur: num calidæ admodum sit intemperiei, vt in principio, & in iuuenibus plerunque fit: tum enim balnei omne genus eis est incommodum: num potius sit minùs calidæ intemperiei, vel quæ saltem vetustate refrixerit: tunc enim balnei vsum sperabis impunem, vti diximus, quin imò & calidius forsan balneum inueterato affectu tolerari poterit. Ad vsum ergo, siue lues Venerea primariæ sit considerationis in balneis, siue potius alterius morbi consequatur intentionem: summa hæc est. I. Inprimis operæpræcium est, vt morbus ipse sit Medico & intus, & in cute notus, qualis, & quantus, an ferus, an benignus & alicuius spei in balneis ministrandis. Feroci nimirum, ac magno affectui omnino balnea erunt incongrua. II. Deinde, vt id remedium non tentetur per initia: cum non ita difficile sit in fine, purgato videlicet exactè corpore, ac feruore contagij intus extincto, ipsas saltem exteriores reliquias per balneum absumere. III. Tertiò, vt siue ad aliud eligendum sit balneum, constet id experientiâ non esse solitum nocere lue Venerea affectis. Et tandem, vt balneum ipsum, seu iure potuum, seu lauacri ineundum sit, vsu constet esse mite, & non adeò intemperatum. Tales videmus in Albulis prope Romam curari plurimos, vel eis alioqui vti innoxiè, & tam potibus, quàm lauacro: denique in alijs similibus aquis non adeo sulphuratis nec calidis. Contrà, dum quidam ob aliam caussam Stygianis vteretur balneis, quæ sunt admodum calidæ, immemor iam præteriti contagij, vetustos sibi ex balneo consciuit dolores. Idem ad Aponi balnea accidisse cuidam illustri Principi nouimus. Cui rei attestatur Fracastorius, experientia constare, nihil, aut parum Aponensia balnea, nec Porretana iuuare posse Venerea lue affectos. Ob eam (vt arbitror, inquit) caussam, quod debiliora sunt hæc balnea, quàm vt poßint materiam tam crassam, & tam lentam liquare. Leuiores quidem cutis infectiones, qualis est scabies, & impetigo, quæ illis ab hepatis adustione contingunt, & salso phlegmate, vel nostra Calderiana valenter tollere possunt. Hæc ille. Sed in caussam quam adducit, indiget locus correctione: Nam Aponensia non iuuant, imò nocent, non quia debiliora sint, vt ipse dixit: sed quia sunt nimis calida, vt reuera sunt, ac excitant defluxiones: Calderianæ quia mitiores, & minùs calidæ, idcirco vtiles, quanquam alij & id negent, Baccius. Porrò autem idem, Balneum (inquit) Regium Aquisgrani refert naturam omninò sulphuris, cum nitri modici admixtione, (& vt puto ex ea aquæ infectione) nigri bituminis: Nam & tellus tota vndique metallis scatet, ferro, plumbo, cadmia & nigro bitumine quam Carbonariam terram appellant. Quod & operationes ostendunt. Strenuè enim calefacit atque exsiccat, ex alto humores ad externa euocat, extenuat, discutit, abstergit,

Cautio.

In baln. vsu ad luem Venereã perpendẽda ratione contagij.

Albulæ ad luẽ Venereã

Stygianæ luẽ Venereã refricant.

Aponens. & Porretanæ lui Venereæ inutiles & noxiæ.

Correctio opinionis Fracastorianæ.

Balnei regii Aquisgrani mistura.

ad multasq́; corporis ægritudines efficacißima est, frigidas præcipuè atque humidas. Conducit in primis frigidis neruorum affectibus, conuulsioni, paralysi, apoplexiæ, tremori, palpitationi, idque genus alijs neruorum artuumq́; morbis. Articulorum dolores, tumentiasque discutit, ventris, vteri, lienisque tensiones inhibet, ab aqua intercute vendicat. Icteritiam sanat: Nam & hepar & ventriculum & cætera viscera corroborat ex ferri natura, ac appetentiam excitat. Facit ad omnigenos dolores, vbi tamen non intercedat febris, colicos, vterinos, nephriticos. Fœcundas exinde facit mulieres. Exsiccat omnia cutis vitia, vlcera abstergit siccatq́;, etiam quæ luis Venereæ vitio contracta sint. Nocet aridis, extenuatis ac febrientibus. Idem lib. I. cap. I. Albulæ sub Tybure valent ebibitæ, mox in balneis vlcera etiam persanando manantesque seu fluidas ex lue etiam Venerea relictas papulas exsiccando. Idem promittunt in Lotharingis balnea quanquam plumbea priuata forsan facultate. In cæteris verò vtilis Grotta Viterbij, & in Busseto lauatio ac Porretana ex lue Venerea & id genus extremorum vitijs: Probantur etiam in balneis Marinæ & ex ferri mistura, M. Falconis balnea in Carnis qualis præcipuè aquæ Auinio est & Villa & huiusmodi. Et item ad S. Caßianum illutatio, aquæ ex gypso cum suo smegmate, vel arte cōparato ex arena vel sabulo vel sulphure. Ioh. Göbel. dicit aquas S. Iobi aluminosas non conuenire pustulis luis Venereæ: & paulò post scribit potum non nocere infectis eâ lue, benè prius repurgatis & diætâ vsis sudorifica: balneum corpori non esse bonum nec salutare propter hepar. Hæc ille. Miror cur noceat hepati per balneum & non per potum, nisi dicatur caliditate actuali hepar incalescere balneo. Rulandus: Lui Venereæ auxilio sunt Piperinæ, Brigenses, Badenses Herciniæ, Vvemdingenses, Aquisgranenses, Spigelberg & aquæ salsulæ, aluminatæ, sulphuratæ. Dort. Lues Venerea in valde pituitosis, pueris, fœminis, non admotū annosa, coitu non hæreditario iure cōtracta, pro remedio habet thermas Beliluc. Pro ea curāda ante cœnam clystere vtendum ex aqua: postridie mane hauriendæ eius lib. ij. sequentibus quinque diebus per horæ spacium mergatur aquâ æger mane & vesperi: Pòst lecto cōponatur, sudet horis duabus coopertus stragulis sub Conopeo: octauo die denuò incipiat à clystere & continuet remedia per tres septimanas, quoties aluus astricta, clystere toties ex aqua cienda est. Frugaliter viuatur. Pro potu vtendum hac aquâ distillata, in qua ficus siccæ per noctem maduerint & mane sufferbuerint. Fallopius de thermis cap. II. Sunt aliqui qui dicant aquas non esse exhibendas ijs qui laborant morbo Venereo, quoniam, dicunt, proritaretur magis morbus, incalesceretque præter modum hepar, & hæc est communis sententia. Ego vidi exhibitas istas aquas quamplurimis laborantibus eo morbo & aliquibus fuisse proritatum, plurimos tamen vidi quibus profuerint. Colligo hoc dogma obesse in eo morbo, incœpisse cum nondum esset inuenta ratio morbi curandi per lignum Indicum & cum nescirent medici curare, mittebant ægros ad balnea, nibil aliud exhibentes quod posset

Vites.

Albulæ.

Beliluc. administratio in lue Venerea.

morbum superare: Ego sum eius sententiæ, quòd laborantibus eo morbo conueniat potus aquarum thermalium, dummodo prius factæ fuerint magnæ purgationes & reliqua requisita præmissa, & rectè administrata: Nam vidi plurimos hac ratione fuisse sanatos. Non vtatur tamen qui eo morbo laborat his aquis medicatis per insessionem sed in potu tantum. Item cap. 17. de balneo Aponensi: Obseruaui quòd sanat herpetes quosdam contumaces, siue sint à lue Venerea siue ab alia causa, qui solent oboriri vel in inguinibus vel circa nates, vel in cruribus. Qui patitur recentem morbum venereum abstineat ab aqua Aponensi: Nam tũc totum hepar æstuat. Cum aliquatenus fuerit deuictus morbus poterit vti hac aquâ. Andernacus: Aquæ Vvemdingenses manu factæ calidæ luem Veneream curant. Iac. Theod. Tab. in suo thes. aquario pa. 2. cap. 4. prodidit aquæ bituminosæ balneum tollere tremorem, podagram, & arthrididem omnium artuum, quæ originem habet à frigiditate, potißimum verò auferre dolores membrorum & iuncturarum quæ originem habent à lue venerea, tumoresque articulorum demere à quacunque causa oriantur. Ex prædictis vident lectores non esse difficile demõstrare aquam fontis admirabilis posse esse vsui aduersus luem Veneream. Est enim bituminosa, nec non ratione succini nigri epispastica. Si quis autem aquâ medicata Bollensi ob dolores, tophos, & contracturas vti constituerit, suaserim vt ex consilio docti medici ijsque quæ, paulò post ex Vviero subijcientur consideratis, rectè repurgetur, bona victus ratio præscribatur: bibat decoctionem ligni Indici, pauper iuniperi: recipiat vaporem iniectis candentibus lapidibus scißilibus & pyrite: Eadem aqua Bollensi medicata addito pulu. bituminis, lap. scißilis & pyritæ artus & partes doloribus, tophis & excrescentibus affectas foueat: sudet, & dum excipiet vaporem & postea in lecto. Si his remedijs non cederent reliquiæ luis Venereæ, poterunt addi balneo quæ præscribit Rulandus de baln lib. 1. cap. 1. ℞ Fl. chamæm. meliloti. ana lib. 1. Caudæ equinæ, lauendulæ, maluæ, aristolochiæ longæ, centaurij ana m. ij. Fœnugræci p. iiij. Ligni guaiaci vel iuniperini lib. iij. Post egressum balnei scabies abluetur aquâ plant. lib. 1. ß. Olei ligni Guajaci ℥. ij. Cæterum in omni thermarum vsu ad luem Veneream interest, vt paulò ante dicebam cum Vviero Tract. de lue Venerea Germanico pag. 67. duo expendisse. Primum est, ne quis Lue Venerea affectus, audeat se acidulis committere vllo modo, siue Spadensibus, siue Birckenfeldẽsibus, siue Langenschwalbacensibus, siue alijs denique quibuscunque. Atque adeo miror, viris alioqui doctis & pijs de acidularum emolumento, citra experientiam, impressam opinionem, vt nullum non morbum hisce curari existiment & idipsum publicè scriptis testentur: vt præmissa purgatione, mane & vesperi acidulas bibant Gallici sudoremque, vt in Guajaci aut Sarsæ parillæ vsu, promoueant. Rectè prouerbio dicitur, est modus in rebus. Agnosco ingenue singularem Dei benignitatem in acidulis, ad multos morbos vtilibus præsertim verò ad viscerum intemperiem, ventriculi dyscrasian frigidam inæqualem, hepatis intemperiem calidam, quæ capiti vaporibus demandatis ad catarrhos occasionem præbet: arenulas & calculũ

Aponenses aq. ad luem Vener.

Bollenses ad luem Vener.

renum: lienis affectus: febres erraticas: vasorum obstructiones: retentricis virtutis imbecillitatem indeque pendentes morbos: in lue autem Venerea tantum abest vt id præstent, vt contraria facultate præditæ sint: siquidem vires potissimum à vitriolo, alumine, ferro, sale, & similibus mutuantur, quæ omnia adstringendi vim habent, quod vel ex eo patet, quod ventriculum corroborent, appetitum excitent, hæmorrhagias & profluuia omne genus sistant, & manifestè pectoris angustias pariant: quò fit vt asthmaticis non conueniant, nisi catarrhus à vaporibus concitatus morbo occasionem præbeat: eademque de caussa nec Gallicis conferunt. Adhæc luis Venereæ curatio omnis est in propulsione à centro ad circumferentiam posita, aut in solennibus & validis purgationibus, vt deiectione, sudoribus, ptyalismo: acidulæ autem in vrina cienda inprimis vires suas exserunt, reserandis obstructionibus, contemperandis viscerum dyscrasiis tam frigidis quàm calidis. Alterum verò est, cur Gallici thermas caueant, eò quod attestante experientia, actu humidæ sunt: ex quo apparet specificum remedium huius luis siccitati siue per se, siue per accidens, ascribendum esse.

Ad papulas & variolas. CAP. LXX.

Papulis & variolis ex alto ad cutim educendis, omnia calorifica, attrahentia ac sudorem cientia conferunt, Baccius lib. 3. cap. 1 Idem lib. 7. cap. 23. Multiformes in morbis papulæ, aliæ latæ & rotundæ, aliæ inflatæ, aliæ dispersæ, aliæ subalbidæ, aliæ subrubræ, aliæ inæquales, aliæ exiles, morsibus culicum adsimiles, vulgò impetigines, seu potiùs pestigines dictæ, deflexa (vt arbitror) parum voce à peste, cuius hæc plerunque mala soboles esse consueuere. Eos qui has patiuntur continuò tegendos fouendosque, ac interdum (nisi quippiam obstiterit) in solium calidarum mergendos ex Herodoto monet Aëtius. Dico nisi quidpiam obstiterit: Nam vt papulæ id genus sunt symptomata pestis, in qua omnia fiunt grauissima, & nihil (vt in cæteris morbis) definitum, authore Paulo, multa solent obstare, & cum nostris iunioribus abstinere à balneo securius iudico. Hæc ille. Nostras aquas admirabilis fontis existimo non inutiles ob abstersionē à pyrite, sale, & vitriolo ac epispasticam vim succini ad papulas euocandas: cum natura videtur tardior, fœliciter sæpius vtor fotu cum spongia, vel potius ablutione, abstersione totius corporis ex decoctione chamæmeli & meliloti, edoctus ab excellente practico præceptore meo Rondeletio, qui ait cap. de exanthematibus: Si non licet mittere senguinem, vtilissimum est paruas cucurbitulas supra nas partes carnosas apponere cum leui scarificatione: deinde si quis extern vnguento resumptiuo vel oleo amygd. dulc. corpus inungat ad ignem, multum iuuabit, vel ex aqua in qua flores chamæm. vel meliloti, vel maluarum decocti fuerint. Præstantissimum hoc didici ex Hippocr. verbis lib. 6. epid par. 2. aph. 18. Sic autem velim institui vsum aquarum nostrarum, si sit suspicio exanthematum: accersatur aqua in domum, iuxta lectum loco calido ponatur solium, in a-

Ἐπισπαστικὰ ad papulas & variolas.

Bollenses epispasticæ facultatis ad exanthemata & ecthymata.

Fotus.

Venæ sectio

Cucurbitulæ cum scarificatu.

Inunctio.

Soliivsus in exāthematibus.

aquam mediocriter calidam descendat laborans, in ea hæreat ad quartam partem horæ & mediam, manibus diligenter abstergatur, deinde exsiccetur, in lectum reponatur, & sudoris habeatur ratio. Laudo præterea in fine morbi vbi adsunt multæ crustæ siccæ: probo etiam ad tollendas cicatrices in facie & manibus relictas. Oportet autem vesperi totam faciem & manus illinere argillâ, quæ candidior erit addito puluere tenuißimo marmoris metallici & belemnitæ dissolutis in aqua admirabili: Mane poterit tota facies butyro vel oleo amygdalino inungi: vel priùs balneare, & in exitu lauacri illinere, quod meliùs placebit.

Ad cutis affectus, maculas, & scabiem.

CAP. LXXI.

Aquæ ad affectus cutaneos.

Maculas autem, pruritus, vlcuscula, scabies, lepras, papulas, & id genus per cutim vulgò manantia vitia, tum crebræ Medicatarum purificantium sanguinem potiones exterminant, tum abluunt, abolentque in totum abstergentium, & calidarum quarumcunque lotiones. Habenda verò penes loca balnearum, nec non penes personas, ac infectionum ipsarum aliqua ratio: nam quibus commoda non est ad potulentas ex loci longinquitate accesßio, præparatis (vt artis est) in lauacra ineundum, vel etiam marinas, si adsint. Anniuersariæ autem scabies, quæ solent iuuenibus primo ineunte vere irrepere, fuliginosorum indicant vaporum abundantiam, qui nequeuntes per hyemis rigorem quemadmodum æstate exhalare, vel per exercitium, vel per aßiduas lauationes excerni: tum ex naturæ robore excitati sub extrema hærent cuticula, in qua pruriuntque, inficiuntque. Quare in principio haud ex vsu his erunt balneæ natura calidæ, quæ acres vapores, maximè in iuuenia, vehementius possent incendere, & vt sæpenumerò accidit, febres excitare. Mites ergo, ac potulentæ, vt Nitrosæ, Aeneæ, Terreæque temperatè purgantes, & quæ sudores eliciant peridoneæ, in quarum numero Sancti Marini aqulæ per æstatem eliguntur, Sancti Laurentij die scatebra eius nominis sub Fauentia, Borra ad Sanctum Sanum in Senensi per caniculam, Succella sub Baijs, Iuncariæ, & Petræ, & sequentes aliæ in Puteolano, Mons Catinus, Nitratæ in Alsatia, Grotta Viterbij, Ferinæ, Tigurinæ, Cellensesque in Germania, Tungrijs in Gallia, Ficuncella Sancti Caßiani, Sanctus Victor sub Fabriano, villa Lucæ, Albulæ, & his similes Porretanæ, aliæque. At si balnea à potionibus opus fuerint: ea vel ex ijsdem temperatis sunto, vel in marinis lauato, vel ex herbis medicatis lauacro. Verùm vbi serosis admodum excrementis redundare corpus conijciatur, latis papulis scatens, scabie crassa, purulenta, & quæ minùs mordeat, vtilis quidem præuia earundem potatio & balneum. Vel certè diligens in primis penes artis prudentiam præparatio, hepate nimirum exinanito per sanguinis mißionem, ac serapijs exhibitis quæ sanguinem purificent, crassa, dissecent, tenuentque. Ac postea craßioribus

Anniuersariæ & vernę iuuenũ scabiei haud tuta in principio baln. vehemẽter calidæ.

Ad psorum.

superfluitatibus ex pharmaco eductis, reliquiæ per balnea calorifica ad extimam cutim attrahendæ, vbi exiccentur, mundenturque. Inter hæc sunt quædam adeo propria ad cutaneas papulas, vt vnica die, vel iteratis balneis viginti horarum spatio ea abstergeant in totum, ac cutim reddant lenissimam. Tale hic Romæ Stygianum balneum experimur calefactis aquis: quod ad viam Aureliam xxiiij. lapide extat valde Sulphureum. Sulphuraria similiter ad Puteolos, Bullicanum magis limpidum ad Viterbium. Deinde Rapolanum sub Senis tribus diebus, quod longissimum tempus est, exiccans, Aponus, & item Caroli iiij. balnea in Bohemia, Badeniæ in Heluetijs, Mattiaca sub Maguntia, Borbonium in Gallia. Quæ balnea sequuntur Petriolum, Sancti Philippi balneum mitius, Reisellæ, Sancta Maria in balneo, Asculum, & ex mistura cum ferro adstringens. Maceretum, Caldagna Sancti Cassiani, de Aquis & Regina Pisarum, Villa Lucæ, Caldarianum Veronæ, in Aenaria, in Corsica, in Sicilia, in Hispania Ferratæ. Et item Corsenum ex alumine, Paganellum ex alumine & Ferro, Leucense ex ære in Valesiis, Plumbeæ in Lotharingia, Aureæ ad Fabarim, consimiles multæ. Quo in censu habentur aliqua quàm commoda balnea, in quibus vbi præ nimia copia, ac agitatione balnei, euocatus ad superficiem sanguis, aliqua euacuatione egeret: conniculis per certas corporis partes applicatis ac incisis (vt stuphis artis est) expurgari poterit. Dummodo tamen id arbitrio ignari Cornicularij non sit committendum, qui sanguinem quandoq; per sua cornicula exhauriunt vsque ad animam. Baccius lib. 3. cap. 1. Idem lib. 4. cap. 10. Bal. Collatura in Puteolanis sunt admodum sulphuratæ & calidæ aquæ: recipiuntur in balneis ad turpes inter cutim maculas mundandas, exsiccantis & discussoriæ facultatis. Rulandus: Cutis sordibus ac omnibus vitijs (qualia sunt exanthemata, elephantiasis, scabies, pruritus, impetigo, vitiligo, abscessus, contusio, ambustio, perniones, serpigo, tumores, vlcera, phagedænæ, pustulæ, alphi, squamæ, excoriationes, lentigines, acrochordones, vel aliæ infectiones ac fœditates) conducunt thermæ penè omnes atque acidulæ. Item, Herpetem sanant Piperinæ & Gebersvvilirinæ. Contra morpheam conferunt aquæ sulphureæ, Gebersvveiler, Vvolckenstein. Impetiginem sanant Cellenses, Brigenses, Badenses omnes, Hubbenses, Leonstein, Bertringenses, Niderborn, Deinach, Antegast, Spigelberg, Montebaur, Carolinæ, & aliæ thermæ sulphuratæ. Sperginem amouent Vvolckenstein. Intertriginem curant Plumbariæ, Aquisgranenses. Mundificant cutem corporis omnes thermæ & aquæ dulces. Pruritum & scabiem curant omnes thermæ sulphuratæ, aluminatæ, salsæ, nitrosæ, ferratæ, gypseæ, bituminosæ, Badenses, Syluestres, Cellenses. Balneum aquæ dulcis calidæ. Pustulas purgãt Ribbad. Squamosæ cuti prosunt Piperinæ. Vitiliginem sanãt omnes thermæ & aquæ sulphuratæ, aluminatæ & ceteræ. Scabies & pustulæ in manibus pedibusque puerorũ frequẽter oboriũtur ob ingluuiem cibiq; copiã, à qua pituitosi humoris congeries. Hi quantitate plus, qualitate minus (ob id vix pruriginosæ sunt ex his pustulæ) in vitio existẽtes, robore naturæ ad cutẽ extremarum partium pro-

Baln. Collatura ad maculas.

Cutanei affectus.

Phlyctenæ.

truduntur & inter cutem & epidermida suppurantur: Potu aquæ Belilucanæ liberali primùm debellandæ, mox lauacro molliendæ, confodiendæ, extergendæ: denique aquâ hac aluminis portione mixta pars corroboranda. Epidermidis crassities ob humorum vaporumque excrementitiorum, spiritus aditu prohibentiū & ad cutem (totius corporis emunctorium chirurgis dictum) depositorum quātitatem, ad quam sequitur insensilitas in plerisque partibus, vt etiam in elephāticis. Αναισθησία ob cutem spissiorem. *Hæc epidermidis crassities frequentem in aqua Belilucana lotionem desiderat: post confricationem lapide illo poroso, exucco, strigoso (læuigato tamen ante) qui frequens in gutturnium balnei eructatur: demum reliquiæ post distillationem affectæ sedi inspergantur more sinapismi cum aqua thermarum. Hæc tamdiu iterentur donec exactior sensus per illam dignoscatur.* Clauus. *Clauus sub pede vel supra pedis digitum ex contumaci & crassa pituita, mixta melancholici succi portione frequenter fit: qui multa aqua thermarum Belilucanarum rigandus, cœno oblinendus & mitulo crudo vel ostrea ex stagno vicino deprompta obtegēdus: Id fiat ter in die continuo triduo, Dortom.* Verrucæ. *Andernacus: Aquæ æratæ non longè ab Vberlingen ter adhibitæ verrucas tollunt. Rulandus, Acrochordonas curat Hubbad, Zuckenthal, Villacenses in Norico participes gypsi, plumbi, sulphuris. Baccius lib. 3. cap. 1. Poros qui & pedibus & manibus occallescunt exterere per Marinæ vel salitæ alicuius aquæ fomenta oportet. Ac spuma maris præ cæteris ad id efficax est, vel acres aliquæ, quales ex æruginibus ex chalcitidæ, ex sorye, vel consimili alio præparatæ: alioqui modica in balneis efficacia est.* Scissuræ manuum & pedum. *Scissuræ manibus pedibusque accidunt ob frigus externum: quæ solo vsu lauacri incalescunt, deterguntur ab intemperie & soluta continuitate vindicantur, maximè si Nicotianæ folia ijs imponantur post thermarum vsum, Dortom. Vnguium scissuris, scabritiei, excoriationibusque prosunt Carolinæ, Vuolckestein. Ruland. De scissuris plura vide capite de lue Venerea.* Perniones. *Perniones, calcaneum præcipuè infestantes ex frigore multo plerunque existunt: qui post tridui balneum, solo huius limo persanantur, maximè si cum crassamento olei veteris misceatur, pluribusque diebus calcaneo obducatur, Dortom. Rulandus: Contra pedum tumores, perniones & morbos frigidòs conducunt Badenses Heluetiæ, Vualdsborn, aqua imbuta bitumine, Heylborn, acidula satis, sulphuris ac ferri particeps, Vuolckenstein, Annæbergenses.*

Ad ambusta. CAP. LXXII.

AD ambusta prosunt Vuisbad, Vuolckensteinenses, Vberlingenses, Annæbergenses, Rulandus. Non dubito nostras aquas æque vtiles ad ambusta atque illas. Quare si ambustionem quis apud illas patiatur, subito litum ex puluere lapidis scißilis & pyritæ applicet loco: si vlcerata sit, aspergatur puluis: si cicatrices, vtatur solo balneo & fotu. Ambrosius Paræus in chirurgia sua magni facit cæpas crudas addito etiam sale: priusquam adsint vesicæ aut vlceratio, de

quibus Fernelius in methodo Med. Cæpæ cum sale cōtusæ ambustæ parti impositæ miraculo persanant. Oleum quoque sale addito idem efficit. Caueant ægri ab aqua erodente calcis, cuius nocumentum insigne aliquando vidi. Vnguentum de calce lota non improbo vlceratis partibus ambustis inducendum.

Ad vulnera. CAP. LXXIII.

Vulneribus autem recentibus perrarò à balneis remedia quærere contingit, quæ tamen vbi non adeo facilis est alterius auxilij copia, in totum persanant, si condecenter tractentur, mundando, extergendo, fluxionem prohibendo, siccando, vniendo, solidando. Nam certior inueteratis cura per balneum fit, vt quæ in vlceribus prodita habentur, Ficuncella, Sancti Cassiani alia, Porretanæ, Albulæ, Ferratæ, Auratæ, & Plumbeæ, quæ & cicatricem abolēt. Quippe nisi vulnus in neruosis illatum sit, recentibus incommoda est calida quæcunque aqua, ad fluxum concitandi periculo: sicuti è diuerso vinum, & maximè rubrū, adstringensque commodissimum perhibetur. Vulneratis autem, aut punctis neruis, in solium temperatarum descendere, vel in salsas prodest, & item in oleum, vel in Hydrælæum, nempe quæ conuulsioni opponuntur. Armis vero infixis, & qui relinqui solent ex archibusiis, balistisque globulis in vulnere, conferūt ad extrahendum occulta à magnete proprietate quædam balnea. Quorum præcipua ad Baias, Solis, & Lunæ, Imperatoris, atque Episcopi cognomento dicta. Sanctus Georgius ad Sanctum Cassianum oppidum, cum illutamento ad hunc vsum. Hæc Baccius, qui in eādem sententiam plura scribit. Inter multas autem aquas, quæ iuxta Auernum lacum nascuntur, singularis vtilitatis sanctæ Crucis balneum perhibetur. Potissimum, quòd contractiones omnes, etiam ex vulnere, neruis, aut iuncturis oblæsis mirificè iuuat, ob quam proprietatem ad pedum ac manuum vulnera, & contractiones, quas sanat artuum, nomen ac insignia obtinet sanctæ Crucis. Viscerum insuper, ac ventris inflationes, duritias vteri, ac testiculorum tumores inhibet, podagras sanat, omnium tandem valde sulphurearum vtilitates præstat. Idem, In Senensi autem agro, ad Vicum montis Alæti, haud longè à balneis Rapolani, quædam scatet cœnosa aqua sulphurea, cuius lutum in neruorum contractionibus, concisisque ex vulnere ligamentis vtiliter recipitur. Id experientia primùm cognitum, bobus illic innatantibus, quibus ex vomere pedes (vt accidit) vulnerati, mirè sanabantur. Aqua vero ipsa crassa ac turbulenta in pingui scabie adhibetur, & item ad crurum crassitiem extenuandam, nunc demum recognita. Andernacus: Aquæ calidæ Embsenses sulphure, alumine, calchantho, & modico nitro infectæ in balneis neruos & articulos iuuant, spicula, sclopos, aliaq́ diu corpori infixa extrahunt, veteraque vlcera & abscessus frigidos, si non benè curati fuerint, rursus aperiunt & purgant & cicatrice obducunt. Rulandus, Vulnera omnia etiam malè sanata curant aquæ aluminis, cupri: Item Piperinæ, Cellenses, Neubrun, Vvaldsborn, Vvesterbad, Leu-

Ad vulnera recētia rarò balnea adhibentur.

Possunt ea tamen sanare.

Calida aqua omni vulneri, præterquam neruorum inimica.

Bal. quorūdam occulta proprietas ad globulos, spicula &c. extrahenda.

S. Crucis baln. ad cōtractiones è vulnere.

Lutum aq. Rapolanis baln. vicinæ ad neruorū vulnera.

censes, Spigelberg, Teplicæ, Embsenses. Probo si vulneribus recentibus applicentur sæpius lintea madefacta aquâ frigida, potissimum si nulla adsit contusio, vel neruosæ sint partes, quæ aquæ frigiditatem non facilè ferant. Balneum mihi placet in vlceribus & reliquijs à vulneribus, vbi ossium fragmenta & extranea. Velim autem in exitu balnei sacculo exceptum parti affectæ applicari puluerem gagatæ, siue succini nigri.

Solis è Bolsensibus ad vlcera vulnus secuta.

Ad contusa, fracta, luxata, sanguinem concretum. CAP. LXXIIII.

Ad contusa.

Contusa vero membra marinæ vel salsæ, ac mediocriter calidæ alicuius fomenta instaurant, liuores abolent, neruos debilitatos confirmant. Luxatis verò ossibus, aut ex percussione vel casu fractis, aut balnea adhibenda, aut ex alto in locum conspersio, aut certè illutamentum. Nisi quia fracturæ ossium validioribus opus habent astrictorijs quam luxata, quæ oportet quantocyus per fomenta anodyna emolliri, calidis nimirum temperatis, vel bituminosis, vel salitis, vel arte comparatis, idque reponere ac per aliquot dies sinere, deinde cautè in balneum actu temperatum, stypticæque facultatis mittere. Nec secus fracturæ tractandæ. Faciunt ergo ferratæ præ cæteris, vt sub Senas, Aunnio, Caldanellæ, S. Cassianus, Villa sub Luca, de Aquis & Caldanæ sub Pisis, Bussetum Viterbij, & ibi Serapidi nuncupatum balneum. Ferrugineæ in Aenaria aquæ, Aleria in Corsica. Fabariensia ex auro balnea in Rhetijs, Plumbea in Lotharingis, quæ & cariosa ossium vlcera sanant. Ex minio item instaurant, Albulæ aluminatæ, Porretanæ luto etiam & conspersione vtiles, & similiter S. Martini balneum sub Como ad confinia Rhetiæ, lutum M. Orthoni, lutum sub Brixia & lacus Vadinonis, aquæ in Faliscis vbi balneolum dicitur. Hæc Baccius lib 3. cap. 1. Idem lib. 4. cap. 10. Balnea Sabbatina ad Vicarellum, qualitate non adeo acri vt Stigiana pro admistione cum sulphure mineræ alicuius temperaturæ & maximè ferri. Quæ res ex operationibus planè apparet: modice astringunt, luxata firmant, rupta ossa instaurant, fluores cohibent. Ad contractiones insuper neruorum etiam ex vulnere, ac collisa ob quamcunque causam membra, vtiliter adhibentur. Cum multis alijs venis mineralium aquarum, & acidulæ sapore quorundam conueniunt. Andernacus: Aquæ de Bussetis in ditione Viterbij sulphureæ & ferratæ, inueterato coli dolori, luxatis & fractis idoneæ tum in potu tum in balneis. Idem: Aquæ calidæ Leucenses apud Valesios ære copioso & sulphure infectæ, ossa fracta conglutinant: neruosis partibus ex labore defatigatis lassisque auxiliantur: nec non podagram abigunt. Vvalterus Riuius: Balneum Ellenbogen in Bohemia constat sulphure & alumine: A fractura balneum eius roborat callum. Rulandus: Contusis membris prosunt Brigenses, Aquisgranenses, Plumbariæ, Niderborn, Antegast, Annæbergenses, Teplicæ, extrahunt infixa corpori Embsenses aquæ. Fracturam ossium reparant & curant thermæ

Balneorum electiones ad ossa fracta & luxata.

Baln. Sabb.

Aq. de Buss.

Leucenses.

Ellebogen.

Contusa.

Infixa.

Fractura ossium.

cupreæ, ferreæ, salsæ, Leucenses. Ad ossa contusa faciunt Ribbad, Leuckerbad, Piperinæ. Sanguinem coagulatum ex percußione dissoluunt educantque aquæ Piperinæ, Abech calidæ imbutæ sulphure, alumine, ac nitro, Vvendingenses aquæ frigidæ sulphuris, aluminis nitrique participes, & aquæ salsæ. Si quis ex alto ceciderit & suspicio sit aliqua de sanguine in capacitates effuso, placet darī in potu aquam fontis admirabilis cum aceto: Nec displicebit, si addatur puluis bituminis. Ait enim Dioscor. cum aceto potum discutere sanguinem: meliùs placet quam hodiernorum Anthropophagorum mumia. Si suspicio verò fluentis internæ venæ, addi potest Axungia Lunæ prima cum sanguine Herculis. Nec displiceret lauacrum temperatum, quod non minus vtile & commodius existimarim inuolutione pellium animalium adhuc calentium. Pro contusionibus, fracturis, rupturis vtilis aqua admirabilis cum argilla cœrulea, puluere lapidis scißilis, ac etiam Bolo Teccensi. Inter historias vnam posuimus de fabro qui ex alto ceciderat.

Sãgnis coagulatus.

Mumia.

Ad venena & morsum rabidorum, & iobolorum animalium.

CAP. LXXV.

PVncturis autem venenosorum animalium aquæ marinæ solium tepidum probatur. Sudationum item ritus in hypocaustis, pyriateris, ac doliis ex Aëtio Tetrab. 4. serm. 1. instituuntur ad Ranæ & Rubetæ virus excutiendum, scorpionum, canis rabidi. Succis verò ebibitis, mandragoræ, cicutæ, sardoniæ herbæ, opio, cantharidibus, hirudinibus haustis, & medicamentis deleteriis per lauationes in dulcibus succurrimus. Sicut & fungis deuoratis vomitum ciendo conferunt atramentosæ aquæ. Nam quæ primaria ratione contra venena operentur balnea, vix vlla equidem inueniri crediderim, Baccius. Rulandus: Aduersus morsus serpentum &c. valent Aquisgranenses, Vvaldsborn, Abecenses, Item: Veneno resistunt sulphuratæ & Abecenses. Aquæ acidæ in Langenschwalbach Iac. Theodoro salutares sunt iis qui languent post assumptum venenum. Idem testatur de acidulis Göppingensibus vt alio loco indicauimus. Ego sanè non dubitarim aliquamdiu eiusmodi personis exhibere in potu ad purgationem aquam medicatam fontis admirabilis: postea verò ad roboranda viscera acidulas. Nec displicebit potus ordinarius de acidulis absq; vino vel cum vino, prout medico aßistenti aut consulenti ægro ex vsu esse videbitur. Quanquam etiam potus nostri fontis videatur esse vtilis propter bitumē. Ostendimus enim lib. 1. vt suo quoque loco ex Encelio capite de Quartana ostensum, insignes depredicari vires bituminis aduersus venena. Quòd si quis igitur venenum hauserit, magnauè hausti suspicione hæsitet, placeret eum subitò assumere trochiscum Axungiæ Lunæ primæ ex copiosa aqua vel nostra vel Rappezalensi, vel etiam communi tepida: addito oleo vulgari vel amygdalino,

Sudatoria ad iobolorum puncturas.

Lauationes ad venena hausta.

Vomitus ex aquis atramētosis ad fungos deuoratos.

Vomitus. vel butyro aut etiam axungia porcina recenti, vel etiam alijs deficientibus, vitellis ouorum crudis: ac immißo in os digito aut penna inũcta vomitum prouocare. Deiectio. Si nullus ingens alui fluor vomitui superueniat, vel eo quoque non succedente Profluuio sistendo. dissoluendus trochiscus Axungiæ lunæ secundæ cum multa aqua tepida calidaue. Si his peractis vel ante orta esset ob venenum assumptum, vel etiam ob hyper catharsin profluuium, laudo si aliquoties exhibeatur Sanguis noster Herculis cum aqua medicata etiam frigida per potum. Pro reliquijs veneni distributis per habitum corporis, non displicebit vsus lauacri addito bitumine succinoue nigro & pyrite: quod poterit reparare defectum mulorum, quibus exenteratis nouo Ladislaus Vngar. Rex veneno hausto in mulũ inclusus. exemplo, Ladislaus Vngariæ Rex veneno hausto se includens mortem euasit, vt scribit Volater. lib. 22. Antrop. Vtilitatis balnei in ijs qui intoxicati fuere insigne est exemplum apud Paulum Iouium de Il. viris lib. 2. in vita Magni Consalui. Populus inquit pro comperto habebat Alexandrum Pontificem & filium Cæsarem Borgiam ex eadem lagena venenum quod conuiuis paraßent ebibisse fatali scilicet errore ministri qui lagenas improuidè commutasset, in ea cœna quæ ad fontem in aduerso Vaticani dorso ambobus maximè hilaris, sed exitu admodum lugubris fuit. Medici cum senem vim eius veneni minimè sustinentem seruare Adrianus intoxicatus curatus aq. frigidæ bal. nequiuissent, Cæsarem filium, vti erat ætatis vigore prævalidus multis antidotis conseruarunt: Accepi ego ab Adriano Cardinale Cornetano, in cuius villa cœnabatur, se eodem mortifero poculo petitum, ita exarsisse ex subito viscerum feruore, vt obortæ caligines oppreßis sensibus sibi rationem excuterent, sese in soliũ frigidâ plenum mergere cogeretur, neque prius perustis interaneis, ad vitam redijsse quàm si externa cutis in exuuias abiẽs toto corpore decideret. Idem in vita Pompeij Columnæ Cardinalis ostendit quale genus veneni fuerit quod assumpserat Adrianus: Alexander, inquit, Pontifex moritur cum ad fontem Vaticanum instructo conuiuio Cardinales aliquot conuiuas veneno tollere cogitaret, & errore ministri à lagenis, Dijs veluti tot insignium virorum neces vindicanti- Aconitum. bus, Falernum Aconito dilutum ebibisset. Nobis curationem in exemplum trahere, si ita medico videbitur, licebit. Si quis autem ex locis vicinis fonti Bollensi Bollens. ad morsum canis alteriusuè animalis rabidi efficaces: commorsus à rabido cane, vel lupo aut alio animali, velit experiri balneum fontis non dissuaserim. Diximus enim ante ex Pausanide fonte quodam dicto Alysso, quem copiosè qui commorsi fuerunt à cane rabido bibebant. Quid si aqua nostra aliquid peculiare haberet aduersus rabiem à morsu animalium? propter 1. Ratione bituminis. bitumen, quod teste Diosc. auxiliatur serpentium morsibus, discutit, attrahit etiam authore Plinio: Gagates lapis siue succinum nigrum idẽ præstat, & quod 2. Ratione gagatæ. maius est, magnam vini epispasticam habet: quandoquidem paleas & similia 3. Ratione Pyritæ. trahit. Pyrites etiam abstergit & digerit teste Galeno. Videmus præterea ex hi- 4. à simili. storijs ascriptis aquam medicatam Bollensem eruptiones excitare & habere facultatem insignem aduersus morbos qui in se habent venenatam qualitatem. Consilium. Verum cum nobis non constet certa experientiâ an Deus huic aquæ vim resistendi rabiei indiderit, cautè suaserim vtẽdum: subitò morsum velim ablui vrinâ vel aquâ

vel aquâ salsa vel vtrisque aut lixinio, scarificari, vri: statim etiam vti antidotis vt anagallide & alijs: mox etiam balneare per aliquot horas in die, non ad lassitudinem nimiam, deinde sudare: Censerem etiam pergendum in balneo ad cutis vsque exulcerationem, diligenter cauendo interim ne locus commorsus ante 40. dies occludatur. Plura qui volet remedia aduersus morsus animalium rabidorũ, legat libellum nostrum de Rabie luporum. In quo inter alia pulueris Palmeriani commemini, (quem in officina generi mei Theobald Noblot Ill. E.C. Pharmacopæi parandum curo) cuius iam descriptionem ante certis de caussis suppressam, vnà cum vtendi modo propono: Præsentaneum, inquit Palmerius, alexipharmacum nostrum, quod solum neglectis catharticis medicamentis, omissa etiam vulneris cura, quocunque à morsu tempore vsurpetur, certissimum ac tutissimũ existit: vt quo nullum vnquã animal vsum viderim, quod non tam atrocis morbi periculum euitarit quacunque vteretur victus ratione, illæsis tamen capitis partibus quæ dentes superant: his enim vulneratis exigua salutis spes est, vt ex vulnerata parte statim à morsu frigida elota: ℞. fol. Rutæ

Verbenæ
Saluiæ minoris
Polypodij
Absinthij vulgaris
Menthæ
Artemisiæ } *singulorum æquale pondus.*
Melissophylli
Betonicæ
Hyperici
Centaurij minoris

Legantur singula ad Iunij plenilunium, quo tempore viribus magis pollent: papyraceis chartis inclusa siccentur. Quum vtendi necessitas incidet, singulorum æquale pondus in puluerem tenuiss. redigito, cuius ℥. ß. demorsis quotidie præbeto idque vel ex cochleari cũ duplo sacchari vel ex vino vel ex pomaceo, vel ex melle Opiatæ forma, ieiuno stomacho, & tribus horis ante cibum. Quanquam autem ℥. ß. aut ℥. ij. satis sint tum homini, tum omni animali quãtumuis crudeliter sauciato, nihil tamen obfuerit ad tres quatuorue processisse, cùm præsertim vel lõgo post demorsum tempore, vel nata etiam hydrophobia, curationem aggredimur. Qui hydrophobia iã correptus est, ante vinciendus, vt deglutire cogatur, ore etiã (si opus sit) vi adaperto. Vlcus spongia aut siccis linteis exsiccatum, vino aut hydromelite, in quo pulueris ℥. ß. soluta sit, bis terue quotidie foueto: deinde vnguẽtum aut emplastrum inducito quale alijs vulneribus ex vsu est, & ita sanescere sinito, nullo hydrophobiæ metu. Porrò autem, cum montem Aichelberg aquis Bollensibus vicinum, vere & æstate interdum serpentibus infestum esse acceperim, præsertim verò circa castelli rudera: haud absurdè fecero si in rem præsentẽ Ad ictus iobolorum.

consilio extemporaneo ex aquis Bollensibus quomodo sit subueniendum, paucis monuero: nam ad ictus iobolorum conferre, facit bituminis copia vt credam. Commorsus ergo subitò vrina propria vulnus abluet, partem vlcerabit, scarificatione quouis instrumento è parte commorsa sanguinem extrahet: quibus factis, non abs re erit eandem eluere ex aqua calida fontis Admirabilis, addito multo bitumine, Gagatéue: eâdem pota affatim cum bituminis puluere sudores concitabit interim dum exspectatur Medicus. In præcipiti malo ligaturam non improbo statim à commorsu, modò non sit nimis stricta, ne scilicet eueniat, quod aliquando in S. Hippolyto Burgundorum in puero obseruaui à serpente cõmorso, cui arctius iniectum vinculum, interceptis spirituum meatibus, Gangrænam peperit. Reuocat mihi serpentum morsus in memoriam Balneum in Aix Allobrogum prope Cimeriacum, quod Chamberi vocant, in quo per aliquot fui septimanas. Id calidum est, multam cretaceam albam terram secum vehens. Circa id balneum, adeoq; & in ipso balneo multi magni serpentes, sed veneni expertes quasi exarmati, quorũ morsum pueri, teruncium pacti, pro arbitrio stipulatoris qualibet corporis parte tam impune quàm intrepidè excipiunt. Oblitos nocendi dictitabant incolæ exarmatos olim & veneno omni spoliatos ab Episcopo quodam, sed in balneis tantum: quare dicti fidem exploraturus, ex ijs vnum in phialam furfure plenam repositum descendens Lugdunum asportaui, experturus licita aliqua ratione an etiam extra balneas innoxius esset. Superuixit ille quidem plures menses & oua multa peperit: cum autem crudelißima pestis interea grassaretur, in eaque propulsanda occupatus essem, non fuit tantum ocij, vt pro votis periculum eius rei facere potuerim. Postquam autem desæuijsset pestis, iterũ accersiui serpentem: verùm cum insignis Pharmacopæus Valerandus Dourez, socer meus, Theriacam instituisset parare, haberetque Pictauio adlatas viperas, meus serpens cum illis impositus, ab ijs venenato morsu iugulatus est. Fons mirabilis Bollensis fortè plura præstare posset quàm scripserimus. Deus admirandus in suis operibus, qui indit suis creaturis vires quales vult, eas demonstrat cũ vult, quorum rationem reddere impoßibile est. Quis obsecro in hoc fonte reddet rationem tantæ varietatis figurarum? in thermis & aquis medicatis multa latent ingenium humanum peccato deprauatum: ita vt de earum virtutibus cogamur plerunque iudicare ab euentu: quæ occasio vt summa diligentiâ perquirendos eos curarim qui vsi essent hoc fonte, & annotandum quale emolumentum & in quibus morbis senserint. Facilè concedo ingeniosißimo medico Fallopio, experientiâ duce inuentum fuisse vsum omnium thermalium aquarum & eas esse potius medicamentum empiricum quàm rationale. Lectoribus examinandũ relinquo an certò colligere vires aliquas particulares liceat ex figuris metallicorum per qua transit aqua fontis admirabilis, ad eum modum quem Porta Neapolitanus in suo Phytognomonico est secutus, qui sibi persuadet in plantis figuras esse partium corporis quibus poßint esse adiumento. Cardanus sanè lib. de subtilitate in quo de lapidibus scribit, genus illud figurarum & imaginum in la-

Gangræna ab arctiore ligatura.

Serpentes veneni expertes, in Aix Allobrogum.

Viperæ iugulant serpentem.

Peroratio.

pidibus miratur, quod in eisdem semper apparet, velut à naturâ proueniens, quæ non secus, inquit, ac in plantis foliorum & fructuum numerum seruat & rationem. Et hoc ipsum vim aliquam peculiarem habere & aliquid significare existimat. Et paulò post: Earum imaginum quas proponit natura, quædam sunt velut figuræ substantiæ ac formæ: aliæ quasi picturæ. Quæcunque verò formæ loco sunt, casu etiam fiunt, sed non in omnibus. Illæ ergo quæ non semper in eisdem lapidibus inueniuntur sed raro, fortuitò non secus ac nubibus generantur, nulliusque virtutis sunt: quales in Alabandico lapide simiæ inuentæ Fribergi: & qui ex eodem genere scutulum habent rubrum, quod quatuor lineæ circumambiant, quarum prima tertiaque albæ, secunda & quarta nigræ. Et Annæbergi Alabādicus alius formam habuit crucis: sed hæc potius fuit forma quàm imago. Hæc ille, inquit Gesnerus, ex Georg. Agricolæ libris nimirum mutuatus. Vt lectores & ægri hæc examinent diligentiùs & se recreent in ha... cōsideratione, figuris exprimi curauimus varietatem metallicorum, quas sequenti libro damus.

Hîc Therapeuticæ parti finem imponemus, Deum precati vt suo numine tum vtentibus ægris tum nostro Ill. PRINCIPI balnei instauratori benignus adsit.



INDEX AQVARVM, FONTIVM, Thermarumque.

INDE MORBORVM

FINIS.

INDEX MINERALIVM ET FOSSILIVM.

FINIS.

INDEX ANIMALIVM.

FINIS.

pityne

FINIS

INDEX MISCELLANEVS RERVM ET VERborum.

FINIS.



ERRATA, QVÆ OPERARVM INCVRIA PER AVCTORIS CONTINVAS PEREGRINATIONES PRAGMATICAS IRREPSERUNT, SIC CORRIGITO.

In Præfat. pag. 2 vers. 16. voci DEVS, præmittatur Cùm. In Catal auct. (:) pag. 8 v. 18. Pa-bucrius, dele. eidem catalogo, Scaliger, Anguillara, aliiq; plures. In hist p. 3. v. 9 lege, ... ept. Max. voluntate et nutu, amplißimus VVirtembergicus Ducatus ad Ill. Ducem Frid. ... Principem meum Clementiss. hæreditario iure esset devolutus, Ill. E. C. statim accepto ... p. ... v. 5. lege, Seningē. ibid. v. 7. leg. Gruibingē. ibid. v. 20. leg. Hattenhonē, p. 11. v. 21. leg von Irenberg. fravv Bertha anderer man, h. e. Comes Henricus ab Irrenberg secundus Bertha maritus p. 12. v. 6. leg. Autenrieder. p. 13. v. 27. leg. Hepsißevv ibid. v. 28 & 30. leg. Vvilhaim. ibid. v. 32. leg. dignitas a Lindacher, qui oritur partim iuxta Hepsissevv, partim sub ruderibus arcis Reussenstain. p 16 v. 39 leg. Podelszhoffē. p. 17 v. 38. leg. Buechelbron ibid. v. vlt. leg. Baltthmarsvveyler. p 18. v. 2. leg. Vveeschenbeuren. ibid. v. 5. leg. Hohenstauffen arx collapsa, pagus iam magnus cum templo. In monte est Staufeneck: inq; alio monte arx conspicitur Ramsperg. Mox Hohenrechberg, arx præcelsa monti insidet, quæ abest á Gœppinga itinere trium horarum aut duarum cū semissum ibid. v. 17. leg Zulnhart. ibid. v. 18. leg. Betzgenriet. ibid. v 20. leg. Gamelshausen. ibid. v. 24. leg. Lebenhausen. ibid. v. 25. l. Lengenbron. ibid. v. 26. l. Frilseck. ibid. v. 27. l. Favvendavv. ibid. v. 32. leg. Holzheim. ibid. v. 35. Groß vnd. klein. ibid. v. 36. leg Tunz. p. 57. v. 5. lege ab initio 40. 41. dele 41. in medio. p. 63. v. vlt. Augusti 23, dele. p. 65. v. 12. pro R. lege, fiat. p. 66. v. 34. leg. pistor. p. 70. v 39. l. concinenda Germanicè p. 7. v. vlt. leg. iuncturas. p. 73. v 9. leg. Vveinstræl ibid v. 32. leg Kirchensi. p. 75. v 8. leg. vsa p 78. v. 4. leg. epidermidem. p. 129. v. 13. post, incurrunt, adde Baccius. p. 149. v. 20. post mediocritatem adde Baccius p. 156 v. 23. post, est, adde Baccius. p. 157. v. 6. post. victum, adde Baccius. ibid. v. 31. dele, Fallopius addit. p. 168 (vbi malè scriptum est 146 veluti in seq. 147. pro 169) v. 13. post, adstringunt, lege Baccius. p. 169. v 6. in marg. leg. aqu.t. ibid. v. 37. post, Luna, adde secunda. p. 173. v. 28. post, adstringentem, adde Baccius. p. 176. v. 10. post. inevitabili adde Baccius p. 177. v. 9. post, inutile, adde Bac. p. 209. v. 5 post, quadā, adde Baccius. p. 213. v. 7. l. ob p 218. v. 13 l curāda vel. p 237 v. 38. leg. Embsenses. p. 239. v. 13. leg Calida. p. 261. v. 35. post, cōfirmatū, adde Baccius. p. 263. v. 20. leg. Bormij p. 265. v. 11. neq; in sollicitudine, dele. p. 283. v. 18. leg. corniculis ibid. v 32. leg. serpiginem. p. 288. v 9. leg reparare. p. 290. v. 12. leg. Cameriacum. et, fui: In Epist. lib. 4. p. 7. v. 5. post, te, adde Doctiss. D. LEO. p 37. leg. Turcicam p. 74. v. 11. auwer. 81. v. 1. Ex wälde p. 89. v. 8. lege Mattisapffel. p. 95. v. ult. lege Heinnings. p 121. v. 5. lege Grubing p. 124. v. 1. p. 126. v. 3. leg. acuminata, p. 138. v. 12. leg. Aria. p. 142. v. 10. leg. Lutz. p. 145. v. 10. pro hirsuta, lege rugosa, ibid. v 23. leg. aquatica. p. 1 3. v. 2. post. Colocynth. adde amara. ibid. v. 18. turbatus est ordo meus. ibid. v. 30. leg. Gran. p. 154. post Triticum, oportebat Auenam sequi et Gramina. p. 155. vbi de Vicijs, turbatus meus ordo. p. 158. rursum turbatus meus ordo. p. 160. v. 17. lege Dalechampij. p. 161. v. 8. leg. phytopin. et sic vbiq; aliàs. p. 162. v. 10. l. quod. p. 163. v. 20. Mathiolo in Diosc. lib. 1. cap 2. dele. p. 164. v. 13. leg. Schnitlauch. ibid. v. 15. Leg. schœnoprassum. p. 168. v. 9. leg. Bulbonac. p. 169. v. 9. leg. Rancken. ibid. v. 23. leg. recta. ibid. v. 29. leg Orant. p. 173. v. 5. leg. Aureum. p. 176. v. 4. leg. Mertzenblum. p. 177. v. 18. post Sebenhausen, adde Dod. hist. Lat. p. 584. Hepatorium aquatile. Pseudoeupatorium vulgare, Trago &c. ibid. v. 26 et 28. leg. Chrysanthemum. p. 178. v. 1. leg. pardalianche. p. 179. v. 18. leg. fœtida. ibid. v. 28. post balnei, adde quæ flore simplici. p. 180. v. 6. leg. Keinfarren. ibid. v. 7. l. Athanasia. ibid. v. 15. post Augusto; adde eius figuram posuit Matth. in postr. cōm. Ital. lib. 4. cap. 133. nomine Leontopodij falsi, sine descriptione. Impia Plinij multis. ibid. v. 17. l. Cētunculam p. 181. v. 2. leg. cāpestris. ibid. v. 8. l. artischock. ibid. v. 27. l. Turcam. p. 183.

v.3.leg. Drubenfrel.p.185.v.8.leg. Melissophyllum.ibid.v.14. Erdephevv.p.186.v.28.leg. aut Sederey.p.187.v.3.l. Daub.ib.v.1.l. Urtica maior et minor erãt seorsim ponẽda.p.190.v.14.l.ep.324. & Mariâna.ibid.v.29.leg. Gariophyllea.v.30.l. vetonica.p.191.v.vlt.l. Circaa.p.192.v.3.et deinceps, leg. Pyrola.v.4.l. mangolt.v.vlt.l. modelgeer.p.193.v.1.l. Borith.v.3.l. Viola calathiana. v.ÿ.l. Androsamon.v.25.l. Alsines.p.196.v.20.l. Gingidÿ.p.197.v.11.l. comarũ.p.198.v.9.l. Astrantia.v.11.l. Osteritium.q.199.v.8.et seq q.l. Bupleuron per r.p.200. v.5.l. Helianthemum. v.13.l. Bubulcus.p.201.v.1.l. Tormentilla.p.202.v.9.l. synanchica.v.18.et sepq.l. Hippuris.p.203.v.19.l. Aizoon.p.206.v.32.l. gruinale.p.208.v.16.l. Lycoctonum.v.17.l. sesamoides.v.32.l. helioscopius.p.211.v.23.l. tereti.v.24.l. Knælster.p.212.v.14. referenda ad versum primum eiusdem pagina expunctis verbis illis, figura 4.est.p.214.v.25.l. scolopendram.p.217.v.8.leg. cateroqui.v.10.l. simpliciter.p.219.v.11.l. Rubecula.p.220.v.11.l. Trocta.p.221.v.11.l. Boves.et, ablegari.v.seq.l. solita.v.32.post Iltes, adde Catus fœtens Scaligero. Gallis Putoir.p.222.v.15.l. glandes.

Hypostigmata et leuiuscula alia σφάλματα candidus lector corriget.



HISTORIAE FONTIS ET BALNEI ADMIRABILIS BOLLENSIS

LIBER QVARTVS.

DE LAPIDIBVS METALICISQVE MIRO NATVRAE ARTIFICIO IN IPSIS terræ visceribus figuratis, nec non de stirpibus, insectis, auibus, aliisq; animalibus, partim in putei penetralibus, dum eius venas aquileges fodiendo perscrutantur, partim in vicinia inuentis & obseruatis, quorum multa nunquam visa viuis iconibus expressa hic oculis subijciuntur.

AVCTORE
IOH. BAVHINO Illustrissimi Ducis Vvirtembergici, &c. Medico.



MONTISBELGARDI,
Apud IACOBVM FOILLETVM.
CIↃ IↃ XCVIII.

VIRIS

CLARISS. CELEBERR.

D. D.

FELICI PLATERO

POLIATRO ET PRACTICO

IOH. NICOL. STVPANO

THEORICO.

CASPARO BAVHINO FR.

ANAT. BOTAN.

THOMAE COCCIO

ETHICO

PETRO RIFFIO

MATHEM.

MARTINO CHMIELECIO

LOGICO

IOH. GEORGIO LEONI

PHYSICO

IACOBO ZVINGERO

GRAECO

PROFESSORIB. BASIL.

FACVLTATISQVE MEDICAE

CHORAGIS ET

ANTECESSORIBVS

AMICISS.

ADMIRANDAM HANCCE

RERVM NATVRAL. VARIET.

Perpet. amic. mon.

CONTEMPLANDAM

OCVLOQVE PHILOSOPHICO INTVENDAM

obijcit ac vouet

IOAN BAVHINVS


ILLVSTRISS. DVCIS

VVIRTEMBERG. &c.

ARCHIATER.

πολλοὶ θαυμάζουσιν

ὀλίγοι γινώσκουσι.


Vod vobis (Viri Cl. amici veteres) multisq; Reipub. Medicæ nostri seculi luminibus cõstat, idem ego publico hocce scripto fateri non erubesco. Triginta quatuor nunc præterierunt anni, quod peregrinationes meas iuueniles, earundemque labores meos indefessos, maximè verò circa studium Botanicum vtilitati publicæ vouere adeoq; publici facere iuris decreui. Ac proinde pro historia stirpium vniuersali, quam tum meditabar descriptiones, Synonyma & obseruationes circa easdem varias per Alpes primum Helueticas aliasq; plures, dein per Germaniam, tãdem etiam per Galliam, præcipuè tamen Narbonensem, Italiamq; congessi. Has meas lucubrationes & aduersaria paulò post, vt & plãtas ipsas, magno illi GESNERO opt. meo præceptori, (ipso hoc flagitante) cõmunicaui lubens. Ex hismet postmodum Eicones nõ paucæ historiæ MATTHIOLI à præcelebri Medico D. CAMERARIO editæ accesserunt. Nec pauca nobis debet LOBELIVS. At verò qui historiam illam Lugdunensem cõsarcinauit, omnia nostra habuit. Sed mehercle eadem hæc, aliaq; plurima parũ consideratè congessit, tum divulsis eorundem generum speciebus, tum ijsdem earundẽ stirpium tam iconibus, quàm descriptionibus sæpiùs imprudẽter inculcatis. Nec certè potuit aliter, vt qui vel stirpium & plantarum fuerit imperitus, vel doctas doctissimi DALECHAMPII meditationes neutiquam perspectas habuerit, quas promiscuè cum nostris aliorumq; scriptis confudit. Et eccam nunc historiam illã confusam potius quàm ordine digestam, & sine iudicio, (dicam fere) sine lectoris φιλοβοτάνου vtilitate. Mihi quidẽ tùm generalis illa historia fuerat demãdata, vt qui ad eam vel vltrò me accinxeram: Nec infœliciter etiam cœpta, vt multis viris Clarissimis notum est, & ex GESNERI editis epistolis patet.

Interim dum hæc fiunt intempeſtiuis (proh dolor) bellorum Gallicorum fluctibus exerceor, peneq; dixerim obruor, vt non ſolũ tranquillioris vitę ſtudio, relicto Lugduno, ſed & circa hiſtoriã conatu ipſo, Geneuam primũ, poſtmodum etiam ad almam patriã mihi fuerit redeundum. Tum ſtudia mea Botanica preſſa, neutiquam tamen oppreſſa delituere. Nam & praxi Geneuæ graſſante peſte diſtrictus, & profeſſioni paulò pòſt Baſileæ præfui, vbi tamen magnam ἀντιβαλλομένων & συνωνύμων meorum partem conſcripſi: In his etiam dum occupor, ecce nouo quodã irradior Phœbo. Illuſtriſs. namq; Princeps FRIDERICVS DVX VVIRTEMBERG. COMES MOMPELGARD. &c. honorifico ſtipendio ad ſe Mompelgardum euocat: vbi hortum principis & ſtudium Botanicum ipſum aliquantiſper quidem intermiſſum, neutiquam tamen penitus omiſſum ex profeſſo recolere cœpi, quantum quidẽ per pragmaticam & occupatiſſimã aulicam vitam licuit. Primum itaq; magnũ illud opus meum cui titulus CONSENSVS & DISSENSVS authorum circa plantas, magno labore concinnaui, non poſthabito interim inſtituto de hiſtoria generali edenda adiectis Synonymis aliiſque ad ſtirpium cognitionem exactam plurimũ faciẽtibus. Hæc autem omnia tàm crebris peregrinationibus praxiq; medica adeò fuerunt interrupta, vt ad hanc vſq; diẽ non ſine magna laborum meorum iactura fuerint retardata atque protracta. Tandem verò ingraveſcente ætate, & vtilitate publica illud ſuadente poſtulanteq;, ſerio cogito de operibus meis Botanicis edendis: Hocq; eò facilius atq; citius futurum nunc ſpero cùm Diuina Prouidentia gener mihi nunc contigerit IOH. HEN. CHERLERVS PHIL. ET MED. BASIL. & in omni genere literarum, præcipuè verò etiam in ſtudio Botanico ob varias peregrinationes per Gallias & Italiam apprime verſatus. Huius itaq; fidem diligentiamq; aduerſariis & obſeruationibus meis adhibere,

bere,eiq; committere decreui.Nec dubito iunctis operis tantum effecturos nos, vt Generalis mea Plantarum historia cum Consensu & Dissensu circa plantas earumque Synonymis &c. supremam manū consequi, & breui tandem in publicum prodire queat: Ipsumq; etiam eorum quæ ingenij perspicacia studioq; indefesso variis acquisiuit peregrinationibus partem huc collaturum, partem etiam futuro seculo aliquando communicaturum. Ad quod quidem ipsi auctor & suasor ero, dum ero.

Sed quæ me vos, Medicorū gemmæ, compellandi traxit occasio? Hic ipse est gener meus CHERLERVS, qui patrocinij vestri beneficiorumque memor omnem studiorum suorum acceptum refert fructum. Et qui vobis præceptoribus placere & gratificari possit, sat scio, nunquam non machinatur. Et cur non etiam ego? memor tùm arctissimæ necessitudinis & coniunctionis veteris nostræ; tum magni vestri circa res magnas (qualem esse rerum naturalium & abstrusarum considerationem nemo nescit) atque limati iudicij.

Te primum appello magna orbis parte notissime PLATERE. Idq; verò etiam tuo quodam iure. Tanta profectò sunt tua in omnem artem medendi merita, tamq; solers es tu rerum omnium naturalium pervestigator, vt paucos videam qui tibi hodie in eo studio possint præferri. Absonum sanè fuisset, si non & hæc tuo subijcerentur iudicio. Thesaurum habes multarum rerum exoticarum amplissimum artificiosissimaque methodo digestum.

Apud te Flora viget, mira peregrinarum stirpium copiâ clara. Quid multa? Tàm liberaliter summus bonorum largitor non humanas modò sed vniuersas penè naturæ diuitias in te profudit, vt apud te verè verus ille μικρόκοσμος, quomodocumque tandem accipiatur, existere multi mecum confiteantur. En tibi vt nihil desit, & hunc meum circa res naturales laborem, pignus veteris amicitiæ coniunctionisque nostræ.

Sed tibi quoque, τῶν ἰατρῶν φιλοσοφώτατε, φιλοσόφων δὲ ἰατρικώτατε STVPANE laborum meorum partem vendico. Te, quem vetustatis Græciæ Aristoteles, Hippocrates, & Coryphæus noster Galenus magnũ & fidũ agnoſcunt interpretẽ, aliquammultarum etiam iſtarum ſingulariũ iudicem poſco.

Hiſce æui noſtri luminibus te quoque, mi frater CASPARE merito tuo adiungo. Egone ad cuiuſquam iudicium in rebus præſertim Botanicis prouocem, quàm ad tuum? Ad tuum inquam, qui in ſolidâ Stirpium & Anatomes peritia iam multis palmam præripuiſti: Et quis medendi peritiam non aguoſcit? Immò quis monumẽta tua neſcit niſi qui Muſas? Ideoque nec Phœbus quidem ſinit ipſe, vt te non ſuper Cleantheos meos labores iudicem appellem: adfectuſq; mei erga te fraterni publicum prodam ſpecimen. Tu verò macte interim virtute illa tuâ pergeque inſerere nomen famæ non morituræ, dum ego nunc Vniuerſalem ſtirpium hiſtoriam ni fallor exactiſſimam, multiſque ad eam doctrinam vnicè pertinentibus ornatam manumitto, laboribuſque meis Botanicis finem impono. Nec tuum ſanè etiam hæc ſubterfugiant iudiciũ prudens, Gratioſiſs. D. COCCI: vt qui cum ampla diſtractaq; praxeos quotidianæ cura Ethicam & verè Ethicam viuendi normam cum Phyſica: hanc certè cum illa magno multorum cum mortalium emolumento nunquam non incedere iubes. Sientque tibi & hæc ἔργα haud πάρεργα ſucciſiuis horis curæ atq; cordi.

Tuam quoq; aut nullam certè Doctiſſ. D. RIFFI flagitem cenſuram. Cenſuram inquam illammet, quâ æthereorum contemplationem Medicinæq; exercitationem limare conſueuiſti. Cuius humanitatem pariter & circa naturalium rerum ſolertiſſimam perueſtigationem non ſine delectatione, dicã etiam fructu cognoui, quid ni eũdem quoque huius qualiſqualis mei laboris faciam iudicem? Te appello, AMICISS. D. CHMIELECI quem

quid

quid etiam in hoc ſtudij genere poſſis, vel ipſa teſtatur Flora. Et ſi Phyſicum eum eſſe ratio dictitet ipſa, qui quæ vniuerſaliter intellectus comprӕhendit, eadē ipſa in ſingulis apprehēdat ſpeciebus; dico & indiuiduis, quis te D. Leo iſtarum non contemplatorem æſtimat dignum qui vtrumq; ſtudiū tàm egregiè coniunxiſti? Ad te tandē etiā venio optime mi D. Zvingere: ad te, mihi crede, quem in animo ferè habui primum. Tuam virtutem cum ſingulari humanitate & eruditione coniunctam vis referam? Nō faciam, quia neſcio. Et ſi ſcirem etiam, quî vellē? qui auita clarus eras gloria, nunc etiam vel magis omniū in conſpectu, vireſcis, flores & fructum multis expectatum promittis indies. Quod de multis dixi, ſi de te ſolo referam, non mentiar. Perge, perge paternam gloriam lectiſſimi ingenij decore conſeruare atq; augere: Et quod hactenus iugiter feciſti omnifariis tuis per totam Italiam conquiſitis naturalibus conatus meos circa rerum naturalium hiſtoriam iuuare ne dubitato.


Pauca ſunt iſta, amici veteres, quæ offero: ſed ſi ſtupendam & polydædalam naturæ in producendis rebus varietatem ex terræ ſaltem viſceribus depromptā, attento, & vti conſueuiſtis Philoſophico cōtemplabimini oculo, ſat ſcio, ſat vobis erunt magna. Sin animum dantis, licet per ſe ſint caduca, vobis tamen erunt immortalia. Haud ſecus ſanè, quàm olea Palladi, Lyra Apollini, Spicæ Cereri, & munera quæ ſingula ſingulis Diuis grata fuêre, ſic hæc vobis ſunt deuota. His valete Acad. Baſil. lumina, amiciq; veteris veſtri Bauhini perpetuò memores eſtote: Et, ſicut hactenus, ſtudium meum in ornando atque amplificando Rempublicam Medicam fouete, iuuate.

DE LAPIDIBVS VARIIS, TAM BITVMINOSIS QVAM ALIIS, CORNV Ammonis, Conchite, Ctenite, Myite, alijsq; figuratis, Aſtroïte, Belemnite.

Cap. I.



Bſoluta iam nobis videri poſſit Admirabilis fontis hiſtoria, cuius omnem vtendi modum ex principiis ſuis & ſimilium fontium non diſſimili collatione deductum in omni morborum genere perſecuti ſumus, niſi ambitioſæ illæ liberalioris Naturæ opes aurem vellerent, vt polydædalam ſupellectilem tacitam prætertire ſine piaculo nequeamus. Et certè admirabili iſti ad ſtuporem vſq; foſſilium & vegetabilium varietati potiſſimum nomen debere voluit fontem ipſius inſtaurator Ill. Et quæ in eo genere è viſceribus terræ eruta, quà aquæ noſtræ venis ſuis primum emanant decurruntvè, non paruam nobis attulerunt lucem ad abſtruſas necdum ſatis invulgatas ſub primam ætatis ſuæ metam virtutes indagādas. Quo factum vt horum plerorumq; libro primo neminerimus, hactenus tamen vt ſumma duntaxat genera perſecuti, indidē vires claſſicorum Auctorum ſuffragio elicere, quò ſic nobis ad dicenda aditū faceremus, ſatis habuerimus. Multiplices autem vniuſcuiuſq; differentias, non eas quidem internas, ſed quæ ſub obtutū cadunt, in hunc locū reſeruauimus, vt habeat ſeu Lector ſeu Laborans quo grauioris diſputationis tædia ceu diuerticulo amœniori leniat & leuet: vbi non tā fortè animi cōtentionem, quàm liberalem recreationē requiremus, atq; vt eò tū blandiùs inuitaremus, tū labaſcenti memoriæ ſubſidiū porrigeremus, iconibus expreſſa pleraq; (quorum archetypa inter noſtra cimelia aſſeruamus) potiſſimùm quæ apud alios minùs obuia, breui appoſito lemmate quo vniuſcuiuſq; nomen & qualiſcumq; deſcriptionis rudimenta notantur, oculis ſubijcimus: hoc ſeruato ordine, vt imitatione naturæ ab imperfectioribus exorſi ad perfectiora gradum faciamus.





Bitumen foſſile durius ad Gagaten accedens, diſcurſantibus hinc inde venulis marmoris candidi metallici, gemino lapidi fiſſili interiectum.




Bituminis fragilioris quam præcedentis Gagatis figuræ duæ prout comperitur inter fiſsiles lapides.

Lapis



Lapis fissilis, in laminas, sibi mutuò instar foliorum palinxesti incumbentes, diuiduus.



Lapis fiſ-ſilis per quem diſ-currentes venæ ex argilla ci-nerea de-licatiùs lapideſcē-te, arborē coralli in-ſtar patu-lam in ra-mos hinc inde dif-fuſos re-preſentāt.

Malè fi-guras per-ſonarum ſiue pictor ſiue ſcul-ptor ad-didit.



Ammonis cornu ſine armatura, vnà cum conchæ rugatæ conuexo, in lapide fiſſili.




Lapidi fiſſili inſculptum Ammonis cornu heliçoides.

Ammo-



Ammonis cornu hoplites multiplex, obſcurè lucens, in lapide fiſſili.




Ammonis cornua parua magnis intermiſta, armaturæ expertia. Sculptor dimidiam vix partem expreſſit.

Lapis



Lapis fiſſilis cui inſculpti fulgentes radij flaui nitore ſolares prouocant.




Lapis fissilis cinereus, cui insculptæ serpentum in se conuolutorum spiræ, velut ab Ammonis cornu dicto impressæ: concha item rugata:




Lapis fissilis cochleis paruis figuratus.



Lapidi fissili adhærens nitella lucida, orichalcũ colore referens.




In lapidis fissilis cinerei interueniis fluores albi, quibus ob similitudinem, laridi petrei nomen fecimus.




Lapis cinereus fiſſilis triplici vena laridi petrei interſectus.

Lapidi



Lapidi cinereo adnati fluores albi, partim rutili, cum micis pyritæ ærosi.



Lapis cinereus in quo radix effracti belemnitæ radiati: eidem adnati fluores albi, cum pyrite, & portiunculis Cadmiæ fossilis.



Lapis cinereus alternis zonis fluorum alborũ interiectis, quibus auersa parte pyrites respondet.




Lapis cinereus, cum vnicâ zona fluorum alborum supra quam lapidi cinereo innatę micæ pyritę.




Lapis cinereus candidior, zonis distinctus, superiore fluorũ alborũ cui subiacet fimbria pyritæ, inferiore pyritæ ferrugineo colore ferè præditi.



Lapis cinereus cum fluore albo & pyrite.




Lapidis ex albidi fragmentum caprini cornu effigie repertum ad montem Eichelberg, de quo libro primo.




Ammonis cornu maiusculum, alicubi hoplites.

Cornu



Cornu Ammonis è lapide cinereo, cum tuberibus pyritæ.




Ammonis cornu ex lapide cinereo, in cuius medio extuberat pyrites ærosus.


Ammo-




Ammonis cornu, inæqualibus pyritæ ærosi tuberibus asperatum.



Ammonis cornu hærens pyritæ.




Pyrites ærosus cristatus.




Pyrites globosus, cui primæ cornu Ammonis spiræ adhærent.


Ammo-




Ammonis cornu maiuſculi fragmentum lapidum.




Cornu Ammonis è lapide cinereo,& circa medium muricatum,quod non expreſſit ſculptor.



Cornu Ammonis lapideum ſpiculis circa vmbilicum donatum, quæ pictor non expreſſit.




Cornu ammonis hoplite criſtatum cum micis pyritæ.




Cornu Ammonis criſtatum pertuſum.






Cornu Ammonis ſpinulis centrum ambientibus.



Cornu Ammonis ſimplici ſpirâ, vmbone prominulo.





Cornu Ammonis densè ſtriatum armatura lurida.



Cornu Ammonis perpuſillum lucida ænea armatura obductum.



Cornu Ammonis puſillũ aliud cũ armatura ferruginea.



Cornu Ammonis paruum.



Cornu Ammonites minimum.




Cornu Ammonis puſillum, læue, armatura ænea lucente.




Cornu Ammonis læue, armatura ænea lucente.



Ammonis cornu paruum.



Annulus coloris orichalcei cum pyrite granulato.



Cornu Ammonis cum armatura orichalcea læue.



Matrix fusoria cornu Ammonis



Cornu Ammonis cristatum cum pyrite minimis micis constante.

Arcus



Arcus cornu Ammonis impreſsi in lapide cinereo.



Cornu Ammonis fragmentum tribus dimidiatis annulis conſtans.





Annelli ſeu cornu Ammonis fragmentum, ſpiris æneo colore ſplendentibus.




Cornu Ammonis fragmen duobus dimidiatis annulis conſtans.




Cornu Ammonis hoplitæ fragmentum.



Cornu Ammonis veluti ex topho adusto campoïdes granulatũ cinereum, quod potuiſſet melius pingi.




Dum foditur crypta in Ill. E. C. paradiſo, quæ Mōtbelgardi coſlitur, anno 1594. inuenti conchitę duo cinerei, quos argumenti affiſnitate ducti non abſurdè hîc propoſituri videſmur. Prior conſchites eſt biualſuis ſtriatus. Alter eſt Mytulus biſforis.



Inuentum eſt & cornu Ammonis è ſilice cinereo duriſſimo, pedem in diametro colligens.


Chama




Chama lapidea læuis.



Chama rugata è lapide cinereo.




Conchites cinereus rugosus laminæ instar tenuis silicem sinu contineus.




Chama rugata è lapide cinereo altera.




Chama rugata è lapide cinereo,



Concha rugata lapidea cinerea.



Lapis mytuli concauum, cum pectunculi contexo exprimere.
Mytulus non benè ſculptus.



Conchites duplex læuis, cinereus, laminæ inſtar tenuis, lapidem fuſcum ſinu ſuo complexus.




Pecten.



Pecten è pyrite pro vario obtutũ varios colores exhibens.




Pyrites conchytæ vestigiis cauis notatus.






Chamula lapidea læuis biforis.

Chama



Chama petræa.



Pulchella conchula lapide cinereo infixa.




Fragmentum cornu Ammonis hoplitæ.



Strombites obiter armatus.



Pectuncules bi-foris compressus lapideus, obscurè armatus.





Pectunculi petræi bifores duo alij.



Conchula striata lapidea.



Conchites striatus hoplites biualuis.





Pectunculi lapidei biferes alij.



Conchites læuis niger punctatus.



Chama læuis silicea quem ob formam telliniten appelles licet.



Lapillus nucleum Auellane referas.



Chama parua petræa.











Aſtroitæ varij maiores, minores, concinnè alij radiati, alij minùs.

ALteri ex Aſtroitis noſtris ſimilem pingit Geſnerus lib. de figuris lapidum &c. quem ita deſcribit fol. 37. facie prima: Aſterias vel Sphragis aſteros dici poteſt hic lapis, cui magnitudo ferè qua hic exhibetur. In hoc quem ab illuſtri & nũquam ſatis laudato barone, totius antiquitatis incomparabili ſcrutatore Vvilhelmo Vvernhero prope Roteuillam, vbi reperiuntur in colle edito ad Cimmeriam arcem, accepi, octoni cohærebant, ita concinnè iuncti & aptati, velutiq́ ſuperinnati ſibi inuicem, (ſeparabiles tamen) vt nullus artifex potuiſſet meliùs. Singulis vtrinq́ ſtellæ figura ceu ſigillo impreſſa vel inſculpta videtur. Radij eminent ſuis angulis quini: inq́ ſingulis radiis cauitas media eſt. Margines ſtriis tranſuerſis ſulcantur. Subſtantia eorũ prædura eſt. Sternſtein dici poteſt Germanice.







Belemni-

Belemnitæ in acumen eleganter fastigiati, quorum basin ex terra argillosa cinerea enatam ambit pyrites auricolor: substantia pleraque solidissima, striis rubris in centrum vergentibus radiata; ad basin, & suprà paulo, intus fluor albus infarcit.





Belemnites radiatus cum armatura lucidissima viridanti cuius substantiam pyrites subinde penitus opplet.

Fragmentum belemnitæ hoplitæ armatura orichalcea.




Belemnites cinereus alatus.





Belemnitæ parui.










Belemnitæ canaliculati.






Belemnites fuſi inſtar, ventre craſsiore in acumen vtrinq; deſinente.



Belemnites cinereus dentis canini modo, triplici ſulco exaratus.


Lapis



Lapis cinereus vterum vel cucurbitam lagenatam exprimens.




Lapis cinereus cyſtoides Iudaico ſimilis.



Nux myriſtica lapidea cinerea, in qua tamen pictor nimis artificioſas expreſsit venas.



Nux alia lapidea.



Silex cinereus pistacii fructum exprimens.



Auellana lapidea. Figura debet esse obtusior.



Silex cinereus auellanæ domesticæ effigiæ.



Globulus lapideus.



Lapis cinereus semiouualis: costa per mediam longitudinem leuiter surrecta.



Lapis cinereus criſtatus.



Pyrites anthropomorphos.



Caput galeatum è pyrite.




Pyrites cauſiæ venatoriæ forma.



Tiaram Turcciam exprimens pyrites.




Pyrites leuiter turbinatus baſi latiore. Malè pictus.





Pyrites oralis cum teſſellaſi alterius fragmento.

Pyrites luto cinereo alternatim miſto ferruminatus, pilei æmulus, oris teſſellatis reflexis, cuius latus ornát, teſſellæ copioſiores auricolores, quæ pro criſtis ſunto.






Pyrites gibboſus, quem cornu Ammonis parum fœliciter à pi‑ expreſſum ſuſtentat.


Tiaram referens pyrites.



Pyrites inæqualiter globoſus, lacuna in medio veluti oculum exprimente.




Pyrites ærosus globosus tessellatus vmbilicatus.




Truncum humani corporis referens pyrites.




Pyrites meroïdes.



Pyrites ærosus cystoides.



Pyrites vesicam referens.



Pyrites membrum genitale exprimens.




Pyrites phalloides cum annnexa vesica ex tessellis minutioribus.



Pyrites ærosus scrotum referens raphe seu tauro suo sulcatum.

Pyrites



Pyrites phalloides.



Pyrites oblongus phalloides glandem annulo cum armatura ænea infibulatus.



Pyrites phalloides.



Pyrites ærosus phalloeides.




Pyrites phalloides.



Pyrites ærosus phalloides.



Pyrites phalloides.



Pyrites ærofus annulo reflexo caudam implicante.



Pyrites cinereus cadmiam factitiam botryten referẽs, annellis lucentibus aurei coloris circa medium vmbilicum cõuolutis.




Pyrites tuberofus inæqualis ani marifcas imitatus.



Pyrites ani condylomata inæqualibus tuberibus referens.



Pyrites condylomata referens alius, lapide cinereo remixtus.



Pyrites ærosus carycoides.



Pyrites ærosus calceum exprimens.



Pyrites fuscus marmori metallico remistus cum annulis lucentibus.



Chenopoides pyrites ærosus



Pyrites.




Pyrites conchæ ſimilis.




Pyrites ærosus botrytes criſtatus.



Pyrites botryoides compreſſus.



Pyrites botryoides.



Pyrites pyriformis minus fœliciter pictus.



Pyrites exiguus pyriformis, in quo apparet veluti immatura glans, quam pictor non expreſsit.



Pyrites pyriformis alter.




Pyrites cucurbitę lagenariæ facie.




Pyrites ærosus balanoeides.



Pyrites vrnulam referens, fundum tessellis è pyrite ærolo cinctus.



Pyrites ærosus tessellatus.



Pyrites ærosus cum rupe tessellata minorũ pyritarum, & ouis piscium.

Pyrites




Pyrites globoſus teſſellis minutioribus exaſperatus.



Pyrites globoſus in teſſellas protuberans, lacunã altera parte impreſſam habens.



Pyrites globoſus alter teſſellis innitens, in medio vmbilicum habens protuberantem.




Pyrites globoſus minutis teſſellis conſtans, in quo lacuna inſculpta.




Pyrites globoſus puſillus, hinc inde punctis prominulis micans.



Pyrites paruus rotundus anguloſus.



Pyrites globoſus, lapide cinereo altera parte protuberante.



Pyrites globoſus compreſſior, vtrinq; vmbilicatus, minimis teſſellis conſtans.




Pyrites teſſellatus tuberoſus vmbilicatus.



Pyrites globoſus prominente tubere.



Pyrites maſtoides.



Pyrites ærosus cornu Ammonis criſtatus.



Pyrites globoſus cuius ſummo cacumini inſidet cornu Ammonis nonnihil echinatum.




Pyrites conum pini ferè exprimens : ſed pictor oppoſitam obuertit partem.



Pyrites ſcintillans, altera parte gibboſus, inter nitellas auricolores paſſim interueniente cinereo lapide molliori, aduerſa parte planus, diffractus, vmbilicum obſidēte liuida ceu galena nitida, quam ambit lapis cinereus.



Pyrites è granulis minutis compactus.



Pyrites ærosus teſſellatus cum corniculo lapideo cinereo: ad teſtudinem accedit.



Pyrites cum magna teſſella pyramidali ex lacuna prodiēte.



Pyrites inæquali cuborum ſerie confragoſus.

Pyrites



Pyrites teſſellatus.



Pyrites vtrinq; turbinatus cum columnellis.





Pyritæ parui anguloſi cum columnulis.



Pyrites ærosſus turbinatus quadruplici coſta è teſſellis ſibi mutuò impoſitis.





Pyritæ quaterno columnellarum concurſu conſtantes.



Pyrites turbinatus acutior incurvus.



Pyritis ex quatuor columnellis ad angulos rectos se intersecãtibus compositus.



Pyrites cum quatuor columnellis tessellatis.



Pyrites minimus cum columnellis tessellatis.



Pyrites tessellatus, angulosus, turbinatus.



Pyrites angulosus alius.



Turbo minimus scintillans.




Pyrites turbinatus magnus muricatus.



Pyrites ærosus subrotundus echinatus.



Pyrites tessellatus echinatus.



Pyrites globosus & angulosus.



Pyrites ærosus obscurus rugosus, cornu ceruini radices referens.




Pyrites ærosus obscurus campoeides cum annulo lucido.



Pyrites ærosus cadmoides.



Lapis cum pyrite mixtus bistortæ radicem referens.



Pyrites cadmoides lucens oua piscium exhibēs minus diligenter pictus.





Ammonis cornu fragmentum cristatum, cui adnati globuli pyritæ, duabus figuris ambæ facies exprimuntur.

Atq; hæc hactenus ὡς ἐν παρόδῳ breuiter de metallicis aliisq́; fossilibus quæ aquilegibus sese obtulerunt nosq; obseruauimus ad balneum mirabile dicta sunto. Non enim instituti nostri erat accuratiorem de istis disputationem instituere, vt qui nihil aliud hoc diuerticulo quæsiuerimus quàm seuerioris animi cõtentionis recreationem liberalem nec ab eruditione interim abhorrentem: penitius ista qui scire volet, is consultis doctißimis Agricolæ, Gesneri, Encelÿ aliorumq́;, qui hoc argumentum ex professo tractandum sibi proposuerunt, scriptis, inueniet quod vel curiositatem expleat vel φιλομαθείᾳ satisfaciat.

De stirpibus quas Bollensis & vicinus ager suppeditat.


Cap. II.

EMergamus age ex terræ visceribus, & per montium, pratorum paradisorumq́ue amœna vireta ingrediamur, Pomonæ, Floræ, Vertumniq; opes Plutoniis thesauris vitæ vtiliores perlustremus, sed strictim, iusta horum tractatione in maius opus, quod iamdiu de re Botanica meditamur breuiq; benè fortunante Deo publici iuris facturi sumus, reseruata. Primum igitur agmen ducent Poma, quorum haud temere alius locus maiorem suppeditat varietatem. Pomum autem depingit Matth. in Diosc. lib. 1. cap. 131. apud eum etiam vires tractantur pomorum.

Pomum




Pomum Wettich Germ. dictum. Allatum ex Bliespach, quod ferunt Geelwettich vocari. Paruum eſt, duos digitos altum & paulò craſſius, ſeſſile, ex albo luteolum, pediculo ſatis longo. Sept. 20. nondum perfectè maturum erat, carne tamen vel tùm ſublutea, dura, acida. Delata Mompelgardum, ad Febr. durarunt.



Klein Wettich in Bol, paruum pomum duos ferè digitos altum, ad craſſitiem trium ferè accedit, multum habet albidi cum luteolo mixti: alicubi rubellum: nonnihil anguloſum, pediculo ſatis longo, Lectum Sept. 20. carne erat

erat alba,ſatis tenera,acida,grata. Diu durare aiunt, nec grandeſcere,fragrãtemq; matura ſpirare odorem. Mompelgardum delatum, menſe Febr. integrum.




Ex genere quoque eorum eſt, quæ Wettich dicuntur, pomum durans ad Ianuarium planè album, præcedenti klein Wettich non maius:breui pediculo. Puto mihi datum in Wälden pago vicino. Sept. 20. carne erat alba,ſatis dura,ſapore acido,nec dum maturum videbatur.






Welsch Wettich / quasi Italica, pulchra sunt poma, in Bol duos digitos & semissem alta, crassitudine eadem, nonnihil angulosa : colore alta, supernè pulchrè rubentia, in medio punctata: aliquando nonnihil luteola: pediculo longiusculo. Durare aiunt ad Aprilem. Sept. 20. caro intus alba, tenera acida, sapida. Idem mihi datum & eodem nomine in Zell accepi, multo sunt maiora, tres digitos alta, crassa quatuor, quæ dicuntur diu durare, etiam per totam hyemem. Mompelgardum translata bona adhuc Nouembri fuerunt, & Maij medio sequentis anni.



Wein-

Weinäpffel, Pomum vinoſum, pulchrum, candidum, parum anguloſum ad vmbilicum, aiunt durare vſque ad Aprilem. Ex Wälde ni fallor nactus ſum. Multum habet ſimilitudinis cum præcedenti Weißwettich/maius tamen eſt, altitudine trium digitorum, latitudine quatuor, colore albo, ad pediculum nonnihil luteo.




Grünwettich vnicum tantum ex Wälde habui, ex luteolo ſubuiride, vncias duas & ſemis altum, craſſum tres, pediculo ſatis longo. Mompelgardum delatum, integrum adhuc Febr. & Maij medio.



Kernäpffel quaſi granorum poma, vel granata poma, in **Zell** / paruum pomum duos digitos & ſemiſſem altum, tres latum: ex albo ſubluteum, ad virorem aliquatenus tendens, pediculo ſatis longo. Veſca eſſe aiunt, & in ſegmenta cæſa repoſitaq; diu durare. Sept. 20. erant carne alba, duriuſcula, dulci & grata eſui. Accepi in Bol vocari **Zenitäpffel**.







Pfaffenäpffel (ac ſi dicas ſacerdotum poma) nomine allata mihi ex **Blienſpach**, pari magnitudine ferè eſt præceden-

cedenti, altitudine trium digitorum, craſſitudine rrium & ſemis: color albus, in quibuſdam partibus nonnihil ſubluteus. Sept. 20. caro alba, dura adhuc dulcis. Exiſtimo diu duratura, videbantur nondum benè matura, quamuis vel tum eſui ſat fuerint iucunda. In Zell mihi datum pomum vnicum nomine Zenendling: Dulce erat, diuq; dicunt durare. Non defuerunt qui idem eſſe exiſtimarint cum præcedenti.


Eſt etiam candidum, ſed minus, pediculo longiori. Vtrumq; expreſſum duabus præcedentibus figuris.




Jungfrawäpffel, quaſi dicas virgineum pomum, haud magnum, ſeſſile, altitudine duorum digitorum & ſemis, craſſitudine trium: color ex albo ſubluteus: paucæ quædam ſtriæ & maculæ rubentes, pediculo eſt ſatis longo, tenui. Sept. 20. Caro alba, dura, acida nondum edulis, grata tamen.




Weiß Hartling/velut dura cinum,mediocre pomum ex Zell, album cum luteolo intermixto parte præſertim ſuperiore ad vmbilicum,ad pediculum verò rubello: angulosum eſt,altitudinis digitorum trium, latitudinis ferè quatuor. Aiunt durare ad paſcha ac etiam vſq; ad oporan. Integra medio Maio ſeq. anni.



Weisse härtlin äpffel / quasi duriusculum album Bollensibus dictum, quod diu duret vt intellexi ab iis qui in Zell obtulerunt: quod est, altitudinis duorum digitorum & semis, latitudinis trium : nonnihil angulosum, coloris albi sublutei. Accepi ex Wälde paulò maiora. Sed hoc pomum idem existimo cum præcedenti & bis pictũ. Hortulanus Ill. E. C. Mompelgardensis eadem significatione blanc-dûre vocat, & in horto E. C. Mompelgardi prouenire ait.




Scheibling, ac si dicas orbiculare, genus pomorum in Zell, depressum ac sessile, altitudinis trium ferè digitorũ, crassitudinis quatuor, colore albo subluteo cùm aliquo rubore consperso : angulosum est, pediculo breui. Sept. 20. caro non omnino alba, sed subluteola, tenera: sapor acidus, gratus, vinosus. Bona adhuc Octobr. 14.




Köstlicher Apffel / id est preciosum pomum. Mediocris est magnitudinis, angulosum, tres digitos altum, crassum totidem, ex luteo albidum, quædam etiam vna parte rubent, pediculo breui. Durant vsq; ad Aprilem, carne satis tenera, dulci. Ex horto nostri hospitis in Bol, qui ea se solum habere autumat. Inueui tamen etiam in Wälde, vbi Süßäpffel & Süßling/id est dulciuscula nominarũt. Hospes noster ille rapaces veritus manus tempestiuius & sub Augusti finem collegit. Illud autem quod habui ex Wälde maius fuit isto quod hic repræsento, vncias quatuor altum, crassum quatuor & semissem. Octob. 4. adhuc bona licet præmaturè collecta. Ex iis vnum Mompelgardum delatum, declinante Februario integritatem suam seruabat.


Grüb-





Grůbling in Bol & Wålde, altiora quam Pfaffengrů-blin (de quibus mox : Altitudinis ferè quatuor digitorũ, eiuſdemq; penè craſſitudinis. Alba cum virore ac luteis veluti oblongis maculis: Pediculi breues. Idem pomum eodem nomine nactus ſum in Zell,vbi dicebatur dulce & diu durare : Magis tamen albicantia,aliqua etiam aſpera viridiaq; vt præcedentia.Quo fit vt non tam nominis quã formæ varietate moti duas & figuras & deſcriptiones de-mus Pfaffengrůbling ex Wålden:pulchra,tres digitos al-ta,vltra quatuor lata. Colore albo cum luteo palleſcenti, pediculo perbreui tenuiq;, durabile. Aiunt vocari etiam Lederſüßling. Accepi nomine Schmeltzling Oct. 20. in Kirchen carne dulci ſolidiore. Hoſpes errorem ait eſſe in nomine,& ipſummet eſſe Grůbling, quo nomine delatũ Mompelgardũ. Medio Maio adhuc durabat ſapore dulci aliquatenus vinoſo.Etiam Pfaffengrůblin ad idem vſque tempus perdurauit.







Schmelzling / quaſi dicas facilè liqueſcentia poma, fortè quòd ob carnis teneri tudinem in ore facile difflu-ant, ex Bol & Wälde, magna ſunt ſatis, nonnihil elata, me-diocriter anguloſa, ex albo & luteo pallida, palmum ferè alta, craſſitudine pari. Pediculus non ita breuis. Ali-quamdiu dicuntur durare. Sept. 20. guſtata dulcia qui-dem, ſed non ita grata carne tenera, alba. Eiuſdem gene-ris pomum datum eſt etiam in Zell nomine Kläpfferling veluti ſonora : aiebant dulce eſſe ac durabile (& certè dulce erat) & ex iis interdum valde magna inueniri, ma-iora iis quæ dabant. In Kirchen verò vrbe dicebant vocari Ledersüßlin/ aliàs Kernäpffel à ſonãtibus granis, & durare ad quadrageſimam. Audio vocari etiam Breitsüßling/ à latitudine ita vt ſint ſynonyma vnius pomi. Varietas hæc nominum & aliqua etiam formæ mouit vt duas depingi curarim, ac vti ſequitur denuò deſcripſerim. Kernäpffel dictum pomum ab vrbe Kirchen/ vbi dicunr durare vſque

ad Martium. In Bol vocant Breitsüßling äpffel/ habentur etiam in Wälde. Magna sunt poma, lata, depressa, tres digitos aut tres & semissem alta, crassa quinque & semis, pediculo breui, nonnihil angulosa, ex pallore luteo albicantia.

Sept. 20. gustata, sapore dulcia fuerũt, grata, tenera. Quidam vocant Süßkläpfferling/ sub Octobris finem modò dicti saporis adhuc fuisse depræhendi. Delatum Mompelgardum ad finem Ianuar. nondum putridum: degustatum carne erat tenera, dulci. Klepfferling nomine datum in Zell, Mompelgardum aduectum ad Febr. medium durauit, carne dulci.






Weinäpffel/ poma vinosa in Bol & **Wälde**. Quibusdam **Seitzling**. Poma sunt ad quatuor digitos elata, totidem crassa, vna parte albida, altera rubente. Sept. principio nondum matura satis, ideoq; esui minus apta : succo tamen vinoso : Ad Aprilem durare audio. Gustata Sept. fine, sapore acido grato vt & demum Nou. 23. Idem & in **Zell** habetur. Mompelgardum delata 12. Febr. integra. Adhuc etiam medio Maio sequentis anni.




Biechen brunner in Bol & Wälde/quibusdam Kreyßling/magna poma, ex albo luteola cũ paucissimo rubore ab vna parte: Vncias tres & semissem alta, ventricosa quatuor vncias crassa, pediculo breui. Durant ad Ianuarium. Sept. 20. gustata, carne sublutea acidula atque eduli. Oblatum etiam in Zell sub eodem nomine eiusdem saporis testimonia dedere. Mompelgardum delatum, Februario ad exitum properante incorruptum erat: demum certè etiam Maij medio.




Weinsling/vinosum: famulus meus attulit ex Blienspach/elegans & magnum, quinq; digitorum altitudinẽ excedens, crassitudine pari, angulosum, album: Pediculo breui: Sept. 20. erat maturum, carne candida tenera sub


ſub acida, etiam ad Oct. 14. vſque: ſemina tamen quæ in erant caſſa & medulla vacua.




Scheiblingäpffel, quaſi rotunda poma, ex Wälde/pulchra mediocriter magna ex albo luteola, quatuor digitos alta, totidem craſſa, pediculo non ita breui. Guſtanti 20. Sept. carne tenera, alba, dulci. Aiunt prouenire etiam in Bol & durare vſq; ad Ianuarium. Mompelgardum ex hoc genere delatum pomum in medium vſq; Febr. durarat.




Vlmer pfälling/in **Wälde**, elegans pomum longiusculum trium digitorum & semis, nonnihil turbinatum crassitudine trium digitorum, colore albo ferè, ex altera parte rubello: pediculo crasso & breui. Aiunt diu durare. Delatum Mompelgardum integrum Febr.



Lincker Apffel in Bol & Wälde, pomum satis simile Hüttißapffel dicto. Eadem enim forma ferè colorq́; , sed minora, altitudine quatuor ferè digitorum, crassitudine eadem. In colore tamen hoc discriminis animaduerto: qui licet sit ex albo subluteus & virescens, multa tamen habet puncta candida. Quædam etiam aliquid ruboris habent diffusi. Pediculus quidem breuis est, sed crassior: videntur etiam paulò angustiora. Aiunt durare vsque ad ver, interdum etiam vsque ad æstatem. Sept. 19. nondum erãt esui apta, carne durã, sapore vinoso austero, luteola. Talia adhuc erãt Octob. Mompelgardum delatum integrum Febr. & Maij medio.




Hüttlins äpffel / quod pileum turbinata forma referant, in Bol & Wälde, quibusdã Lauchsäpffel / poma lõga digitos ferè quinque, quatuor lata, basi latiore, in angustũ fastigium exeunte, pediculis breuibus crassis. Diu durant vsq; ad Febr. vt aiunt. Sept. 18. nondum erant esui apta: sapor vinosus. Color ex albo subluteus & virescens. Quædam etiam aliquid ruboris habent versus basim. In Zell sub nomine Winteräpffel hyemalia poma, dedere. Audio etiã vocari Spitzäpffel. Octob. 25. gustatum carne adhuc erat dura, sapore acido, nondũ esui apta. Quod Stutgardiæ Ramwer vocari audiui, idem cum isto esse iudico, idque delatum Mompelg. & gustatum Decemb. 13. carne dura, acida alba. Hüttlinsäpffel autem integrum erat etiamnum medio Februar. carne duriuscula, subacidula, vinosa. Ad medium Maij esui gratum cum aliqua aciditate.




Weiß-

Weißling ex Wälden / pomum album, ex luteo pallescens, cum punctis planè lacteis, parte vna turbinatum, altera sessile, satis magnum: longitudine trium digitorũ & semis, crassitudine eadem. Diu durare aiunt. Eiusdem generis aliud nactus sum ex Zell / sed isto multo maius, & supra quinque digitos altum, quinq; crassum, in cæteris simile: acidum dicunt. Audio idem prouenire in Bol. Bonum adhuc & sapidum Mompelgardi 10. Febr.



Vlmer äpffel/ Vlmensia poma, in Bol vnicum habui lõgitudinis quinq; digitorum, ex luteo subalbidũ, vna parte strias aliquas rubentes habet : eadem latitudo quæ longitudo: pediculus longiusculus crassus. Pomum contortum & bipartitum nescio an cætera talia.








Bachäpffel: in Zell. Cuius generis data mihi duo maxima, quorum altitudo excedit ſex digitos craſſitudo peruenit ad ſeptem, color vniformis ex albo ſubluteus, raris lacteis maculis reſperſis. Aiunt multò etiam maiora reperiri, eſſe ſubacida, diu durare. Alterum ex iſtis magis turbinatum & anguloſum, minus craſſum: pediculo non ita breui Bachäpffel nomine cum præcedenti datum in Zell, pomum paulò minus, candidiore colore, non ita anguloſum. Hoſpes meus in Bol peritus in diſcernendis fructibus noluit diuerſum dicere: dicens in Wyl vrbe prouenire genus pomi quod vocant Gälbling (quaſi luteola dicas) ſe ſuſpicari hoc pomum idem. Sept. 20. deguſtanti

gustanti caro non omnino candida, sed ferè sublutea, duriuscula, sapore non admodum acido, grato. Vnicũ accepi pomum, cuius pediculus erat satis breuis. Sept. 30. degustato vtroq; iam descripto, manifestè deprehendo verum esse quod hospes monuerat, non differre: sed esse tãtum formæ aliquam varietatem & leuem. Tres subiectę figuræ vnius sunt & eiusdem speciei: licet non parua diuersitas inter duo appareat vti dictum. Huius generis pulchrum & insignis magnitudinis Mompelgardum delatum ad medium Maij integrum erat.



Pulchrum pomum, magnum, dictum roht Bachäpffel: Variegatum, magna ex parte rubrum variis intercursantibus

tibus ſtriis. Sed & albedinis luteolo commixtæ ſat habet. Altũ quatuor digitos, latum ferè quinq; : vmbilicus profundus, pediculus breuis : nonnihil quoque anguloſum eſt. Mompelgardum delatũ integrum Decembri. Aiunt in Bol ad quadrageſimam durare.




Meyling Apffel in Bol: turbinatum vt Hütlinßäpffel: baſi tamen latiore, magis etiam rubens, anguloſum, non vniforme vt præcedens : altitudo quatuor digitorum, craſſities maior: dulcia guſtu vt aiunt. Delatum Mompelgardum incorruptum erat exeunte Februario.

Rohter




Rohter Weitling Apffel ex Aruibing & Wälde : vnde etiam habui sub nomine Tauricher his valdè similia. Hæc tamen illis maiora, sessilia quædam rubra, non ita striata: Partes quædam albæ ex luteolo, mixto sparsim rubore. Sed & in eo apparet differentia quod multa puncta habeant alba. Pediculi non admodum crassi nec breues. Alterum quod oblatum fuit, altitudinis erat quatuor digitorum, crassitudinis sex : alterum quinq;, totidemq; crassum. Sept. 17. incipiebant putrescere. Caro non ita candida, tenera tamen, acida, grata. Tauricũ tamen sapore videbatur gratius. Fugax est pomum. Multa poma mihi al-

lata sunt ex Grübingen/quorum nomina quia non adnotaui & ipsa quoq; omissa sunto.



Magnum pomum, elegans rubrum: oblatum in Kirchen nomine Groß Pariß Apffel mense Octobri. Hospes idem iudicat cum præcedenti. Altum est quinq; fere digitos, crassitudine haud minore. Non caret etiam colore luteolo intercursantibus striis rubris & punctis albis. Pediculus breuis, caro tenera acida vinosa. Bonum adhuc Octob. 17. Eiconem exhibeo propter formam à superiore diuersam.



Schemapffel ex Blienspach. Poma superiori rohter Weitling apprimè similia. Altitudine ferè quatuor digitorum, latitudine maiora. Color ruber, sed minor quam in iis. Quædam etiam alba tantum, quædam mixta. Puncta alba nulla. Pediculi breuissimi. Sept. 20. Caro dura satis, nec dum perfectè matura, saporis acidi: nonnihil angulosa. Decemb. 13. pomum delatum Mompelgardum ex Wälden nomine Schmetler Taurich / carne erat alba, duriuscula, vinoso gratoq; sapore.



Sommer Taurich: Pulchrum, magnum, rubens valdè, allatum Vracho Sept. 7. Quinq; digitos altum: crassum quinq; & semis. Striata rubedine luteo alboriq; permixta. Caro alba tenera subacida, sapore vinoso, grato. Haud durabilia esse perhibent ideoq; æstiua vocāt. Nam vel Sept. 19. iam quædam putrescebant. Eadem sub eodem nomine vidi in Bol, Kirchen & in Wälden. Verum hæc licet minus rubra, striata tamen erant magis. Puto ruborem & strias à sole fieri, prout magis aprico sunt exposita, quod & rustici obseruatione quotidiana asseuerant. Etenim Sept. sine eodem allata ex Bliensbach/ non rubra erant vt Vrachiana, sed multa albedine perfusa. In Zell Sept. 12. iam transierant. Vnum tamen in Octobrem vsq; integrum perstitit.

Win-



Winter Tauricher in Bol & Wälde/ pulchrum magnumq; pomum, ſimile Sommer Tauricher: quædam rubra valde, alicubi alba, ſublutea, ſtriata: quædam minus rubra, diuerſæ magnitudinis. In genere tamē omnia prædictis videntur minus ſeſſilia, & paulò magis anguloſa. Pediculi etiam videntur longiores. Aiunt durare vſque ad Aprilem. Sept.19. nondum erāt eſui apta, ſed carne dura, ſapore tamen acido nō ingrato. Nactus ſum etiam eodem nomine ex Zell, inſigniter vna parte rubens, turbinatum. Perhibent diu durare & acido eſſe ſapore. Octo.25. guſtu erant acida nec dum eſui prorſus apta, carne ſolida luteola. Mompelgardum delata 12. Febr. nulla adhuc putredine inquinata, ſaporis iucundi, vinoſi Maij demū medio.




Weiß Zürich äpffel/album Tigurinum pomum. Oblatum in Zell hoc nomine. Magnum eſt, ſex digitos altum, totidemque craſſum, anguloſum, nonnihil turbinatum: colore ferè luteo, veluti ſtriis aut guttis nonnihil rubentibus donatum. Audio etiam inueniri in Bol, & vocari Groß Züricher. Accedit ad Winter Tauricher, ſed non rubet. Mompelgardum delatum, in Ianuarij finem durauit, carne friabili, tenera, dulcacida.

Züricher



Züricher äpffel/ Pomum Tigurinum, ex Bol & Wäldꝫ
den : Pomum ſatis magnum, ex albo ſubluteum, paucis ſtriis, non multũ anguloſum, quatuor vncias altũ, totidem craſſum. Pediculo breui craſſo. Aiunt durare ad Aprilem. Sub Sept. finem nondum eſui erant apta, ſed carne dura, acida. Eadem poma eodem nomine vidi in Kirchen/ vbi aiunt frixa perquam eſſe iucunda. Mompelgardum delata Febr. medio acidula, grata.

Grün=



Grünling äpffel pulchrum pomum nonnihil angulosum, multis striis & punctis rubēs: albet parte superiori: inferiori ad pediculum breuem valdè rubet: & in rubro colore striæ saturatiores. Altitudo pomi quatuor ferè digitorum, crassitudo paulò maior. Sunt etiam minora, & vti perhibent, durabilia. Delatum Mompelgardum exeunte Maio nihil vitij penitus contraxerat.



Härtling äpffel / quasi dnriuscula dicas. Pomum aliquatenus simile Steinling. Strias quasdam habet sed dissimiles. Rubor etiam diuersus: punctis notatum, pediculo breuiori, crasso satis. Angulosum est, tres digitos altum, crassum quatuor, durabile vti aiunt. Suspicor idem genus mihi oblatum in Wälde sub nomine Weibrecheren / quod ad mensem Aprilem durare aiunt. Idem pomum datum in Zell nomine Wattißäpffel / acidum quoq; & durabile: in rubore puncta conspiciuntur. Decemb. 12. cum iam putredinis nota adesset duram tamen carnem, albam acidamque deprehendi. Durauit tamen ad Maij medium vsque.



Röttling quasi Rubellum in Wälden. Pulchellum pomum mediocri magnitudine, cuius altitudo excedit parum tres digitos, crassitudo ferè quatuor. Superior pars valdè rubet. Inferior hinc inde albicat cum pulchris striis & veluti guttis rubris. Pediculus breuis, crassus. Vnicum habui, quod nonnihil erat angulosum. Aiunt durare diu, etiam vsque ad tempus Quadragesimale. Datum mihi in Zell eodem nomine pomum, sed maius, quatuor digitos altum, crassitudine eadem: Color idem, nisi quod nõ tantum rubet: pediculo paulò longiori. Hic tamen prius exhibemus. Quædam etiam ex iis quæ in Zell nactus sum, minora sunt. In Kirchen vrbe vidi eadem poma ni fallor nomine Zeitling, nisi fortè sint Greimling/ quibus apprimè similia videntur, nec discrimen vllum manifestum deprehendere licuit. Zeitling Mompelgardum delatum

dura-


durauit vſque ad finem Februa. carne tenera, ſaporis ſubacidi valdè grati.




Bachäpffel / quaſi frixationi opportunum aptumque, ex Bol. Simillimum Stramling dicto. Duo habui quorum alterum quatuor ferè vncias altum, craſſum totidē: alterum depreſſius ad tres tantum vncias, quatuor ferè craſſum. Parte altera rubet cum ſtriis item ſaturatius rubentibus: altera ſublutea eſt, intercurſantibus quoque ſtriis rubentibus. Durum eſt pomum, pediculi craſſi admodum & breuis. Mompelgardum delatum, integrum Febr. quo tempore guſtanti carne erat dura, acida, grata.




Feinsterling in Zell. Durabile pomum vt aiunt, mediocre, altum digitos quatuor, crassum totidem : Vna parte rubet intercursantibus striis magis rubentibus : cætera luteum, pediculo est satis breui. Admodum simile est hoc pomo Bachäpffel dicto, quod & strias rubras habet. Sed hospes meus in discernendis fructibus solers diuersum ait. Mompelgardum delatum, integrum ad Februarium vsque putredinem non sensit.




Haßlöcher in Bol Wälde & Zell. Pulchra, multumque rubentia, ſtriata: intercurſantibus nonnullis partibus ſubluteis & vireſcentibus. Multum habent ſimilitudinis cum Röttling & cum Bachäpffel ſtriatis & cum Streimling. Horum quædam ſunt altitudinis trium digitorum, eiuſdem craſſitudinis, pediculo longo: acida, durabilia. Variant inter ſe. Alia vireſcunt ſine multo rubore: alia parua pediculis ipſo ferè pomo longioribus. Virore quidam diſtinguunt à Röttling. Sept. 20. nondum edulia, carne alba duraque, acida valdè. Circa paſcha primum maturantur, eſuique fiunt apta. Mompelgardum delata Febr. menſe Maio integra adhuc & abundè grata.



Röttling/Rubellum. Seruus meus attulit ex Bliens-spach. Totum ferè rubrum, tres digitos altum, craſſum tres & ſemis: parum anguloſum, pediculo tenui, ſatis longo. Medio Martio integrum ſaporis grati ſubacidi.





Leyeräpffel in Bol & Wälde. Poma ſatis magna, aliquatenus accedunt ad Haßloch, rubore multo perfuſa, per quem veluti ſtriæ guttæue magis rubentes diſcurrunt: In vna etiam parte ex luteo vireſcunt. Pediculus tenuis, longus. Horum quæ habui maximum tres vncias altum, craſſum ferè quatuor. Variant multum, quædam magis rubra, quædam magis lutea. Alia magis ſtriata, alia minus. Diu durare dicuntur. Caro alba, dulcis, grata, Sept. 20. nondum tamen edulis. Mompelgardum delatum Maij medio integrum.


Tröſt-




Heinnings äpffel in Bol: Mediocre pomum, latiusculū, altitudinis trium digitorum, semuncia latius, nōnihil turbinatum altera parte, sessile: colore ex albo luteolo subuirente, vna parte cum striis nōnihil rubentibus. Aug. 26. nondum maturum: colligi tamen posset & reponi. Bona sunt circa ferias Natalitias, durātq; vsq; ad quadragesimā. Mompelgardum delatum, integrū medio Maio, acidulū.



Tröſtling äpffel in Boll. Hoſpes meus ſe ſolum habere dicit hoc pomi genus. Durare vſque ad Aprilem. Mediocre pomum, ſeſsile inferna parte, ſuperiore turbinatum, tres digitos altum, dimidio digito craſſius. Maxima parte rubet interiectis multis ſtriis: reliqua pallida ſubluteáue: pediculo ſatis longo. Vnicum delatum Mompelgardum Febr. 12. durauit.




Sayäpffel ſatiuum pomum, quibuſdã vt audio **Kernäpffel**/ quaſi granata poma, quod ex granis & ſemine proueniat, pomum pulchellum, tres digitos altum, craſſum totidem: vna parte album, altera rubellum, cum maculis rubentibus vt in conchis venereis quibuſdam: pediculo breui, craſſo. Idem pomum Stutgardiæ ni fallor habui ſub nomine **Weißling**/ ſed maius, altitudine trium digitorum & ſemis, maculis pulchrioribus. Vtrumque Mompelg. tranſlatum integrum Nouemb. fine. Stutgardianum ad medium Maij vſque durauit, carne valdè candida, ex dulci ſubacidula, vinoſa.



Jüpenschwencken / ex Boll, haud magna poma, acida, durabilia ad oporan vsque: tres ferè digitos alta, & paulò crassiora, colore virescente cum luteolo, subinde striis & veluti guttis rubentibus, pediculo sesquiunciam longo, sapore acido.



Langstyler/quasi longo pediculo pomum ex Zell: durabile: prædicto haud multum absimile: differre tamē videtur diligētius cōferenti. Neq; enim tam viride est hoc, paulòq; rotundius, & per alboluteum strias habet intercursantes ad hęc angulosum est: Pediculum vnciam longū habens, & in vmbilico cauitatē profundiorem. Grü-




Grüninger äpffel in Boll, quasi viride pomum. Tres ferè digitos altum totidemque crassum. Color virescens cum punctis albis: Angulosum est, pediculo vnciali, acidum. Ad medium Maium integrũ.






Härtling nomine oblata poma in Wälde / quasi durabilia vel prædura: Et sanè ad duos durare perhibent annos. Altera parte rubent, striata: altera sublutea, pediculo longiusculo ad vnciam vnam. Idem pomum ididem datum nomine Schalhärtling / quasi corticis instar durum dicas, æquè magnum atque prius, & paulò etiam maius, concolor. Dicunt durare ad triennium. Ex Blienspach attulit seruus meus simile pomum nomine Schäläpffel / quasi testaceum dicas, sed maius. Delatum Montbelgardum, Maij medio carne dura, ex dulci acida.



Breit-




Breithärtling, quibusdam etiam Roht härtling / ex Wälde, pulchellũ haud magnũ pomũ : durabile vt aiunt: ſeſſile: duos digitos altum & ſemis, craſſum tres. Colore vna parte ſubluteo, altera rubente, vtrinque diſperſis maculis albis ſeu lacteis quibuſdam veluti punctis : Pediculo ſatis longo. In Zell idem obſeruaui intenſius rubens, dura admodum carne, eſuique nondum apta. Sept. 20. acida, alba. Nactus ſum etiam ex Zell valdè rubentia, minora. Perhibent durare ad oporan vſque.

PYRORVM GENERA
OBSERVATA
anno 1596.

In Boll ad Balneum & Fontem Admirabilem.

ADhuc fuerunt naturæ opes in pomorum multiplicibus differentijs propositæ, quas vnicus ager Bollensis aut vicinia abunde suppeditat. Nam plenius alio opere thesauros istos vndecunque terrarum congestos prodemus. Quid verò, quæ in secundas etiam mensas veniunt, Pyra? nec ea dedignantur Fonti nostro contermini paradisi, non solum numero & varietate, sed & bonitate magnitudineque cum optimis maximisque certantia. Ea igitur secundum ducent agmen.

Pyri autem eiconem viresq; vid. apud Matth. in Diosc. lib. 1. cap. 132.




Primo nobis in agro Bollensi occurrunt

Königsbyren/Regia pyra, fortè à gustus gratia, parua, globosa ferè, ex viridi rubentia, punctis notata, duos digitos alta, totidem crassa: pediculo satis longo, Sept. 17. nondum erant matura, sed dura valdè lapidosa. Intra octo dies maturescunt, & breui mollescũt. Oct. 25. adhuc bona

&sapi-


& ſapida, ſed Nouemb. 26. molleſcere & fracida eſſe incipiebant.



Engelsbyren in Boll, parua, ſeſſilia, craſſiora quam longiora: digitos enim duos latitudine excedunt: color obſcurus, pallidus. Habent etiam quid inæqualitatis, pediculus digitũ longus. Molleſcunt facile, nec diu durant. Guſtu ſunt ſapido. Medio Sept. adhuc integra.




Reiffacher quasi Brumalia, quod non prius maturescant, In Boll. Minus sunt præcedentibus sessilia, rotundiora quoque, lutea, alicubi rubentia cum punctis & asperitate quadam ad tactum, pediculo vix vnciam longo. Durare aiunt vsque ad Ianuarium. Medio Sept. gustu valdè aspero depræhendi, intus lapidea. Sunt quædam pictura maiora subrotunda. In Wälde & in Zell, & in Bliensspach etiam maxima obseruaui, ad tres vncias alta, totidem crassa. Oct. 14. sapida & quæ cruda edi possent. Existimo hoc pyrum in Reinfelden mihi denominatum Staffelbyren / magnum erat, cui sua constitit integritas Decemb. 10. Mollius redditum & Ianuar. fine adhuc integrum.




Böhemisch Bohemica pyra, in Boll parua, turbinata

vna parte ſeſſili: longa duos digitos,ventricoſa,craſſiora quam longiora,luteola & albicantia, punctis notata, pediculo duorum ferè longo digitorum. Matura fine Augusti, Sept.medio fracida, dulcia, ſapida, odorata, etiam ſine ſeminibus.Deinde etiam Sept.fine reperta adhuc in Wälde incipiebant molleſcere, ſapore aromatico.




Brechbyren/quaſi decerpta dicas:Parua,ex luteo nitida &altera parte rubore multo perfuſa.Ab vna parte ſeſſilia, ab altera turbinata. Tres digitos alta ferè, totidemque craſſa ventricoſa.Pediculi ſeſcunciam longi.Pyra hæc diu durant.Sept.17.licet ſemina nigra,carne tamen dura valdè,ſicca,ſapore aſpero,grato tamen. Oct. 17. data in Boll lutea iam erant,ſed cocta licet,lapidoſa.Mompelgardum delata Decemb, medio fracida, bona.




Lederbyren/ Coriacea pyra in Boll, haud durabilia, nec admodum grata nisi sint mollia. Facilè autem mollescũt. Parua sunt, turbinata, ferè sessilia, tres digitos longa, totidem crassa. Lutea vna parte, ab altera rubent. 18. Sept. gustata mollescebant, austera tamen cum aliqua dulcedine vtcunque grata, granulosa. Montbelgardum delata ad finem Nouemb. integra.

Leywar-



Leywarnebyren in Boll: Figura ferè ſunt ouali: ſuperna tamen parte magis turbinata. Lõga quatuor digitos ferè, ventricoſa, tres lata, lutea, carne ſatis ſolida, grata, dulci. Sept. 17. bona adhuc necdum mollia.






Ziegelbyren / pyra laterum, à colore lateritio & quod diu durent ita dicta, ad oualem accedunt figuram, altera tamen parte magis turbinata, altera ferè sessili. Longitudo trium digitorum: crassitudo ferè eadem. Color ab vna parte lateritius: pediculus digitum longus. Audio durare ad oporan vsque. Octob. 25. pulchra maioraq; obtulit hospes meus in Boll: ideoque denuo depingenda curaui. Longa erant quatuor digitos totidemque lata, gustu adhuc austera. Mompelg. delata sub Ianuar. finem integra, austera carne duraq; subdulci.


Pech-



Pechkuglen / Picei globosi pyri nomine datum in Schierbach. Pulchrũ est globosum vncias tres altũ, paulò crassius, vtrinque compressum, subinde thorosum. Ex luteo virescens, insigniter ab vna parte rubens, punctis albicantibus multisq; etiam striis rubentibus intercurrẽtibus. Mompelgardum delatum Ianuario exeunte adhuc inuictæ duritiei. Aiunt durare vsq; ad quadragesimã, nec edulia, priusquã nigrescãt. Nactus sum in Kirchen Oct. 23. paulò crassius pulchrè in superiori parte striis in rubro luteis donatum. Vocabant Winterbyren & Bechkuglen.



Herrenbyren / Herilia à gustus fortè præstantia, in Boll, eadem cum Speckbyren forma, sed media parte minora : tres ferè digitos alta turbinata vna parte, altera sessili, pediculo duos




Weingiffter aliàs Kittenbyren Cydoniata pyra, quod Cydonij obseruata odorem spirent, quorum etiam formam satis referunt (vt aiunt) ex Wålde. Sessile est, vix turbinatum, tres digitos altum, crassum vero quatuor, angulosum coloris aurei vt Cydonium, rutilo colore vna parte tinctum, pediculo digitum vnum & semis longo. Aiunt rarò durare ad Nouembrem. Sept. 20. benè maturum, carne tenera, granulosa, dulci gratoque sapore. Prius illud adpictum posteriori iam descripto altero tanto ferè maius in Zell oblatnm eodem nomine. Aiunt & maiora reperiri Cotoneo que perquam similia, & aliquando ad Ianuarium durare.


Winter-

ferè digitos longo. Color quibuſdam vniformis luteo-lus: aliis altera parte rubens intercurſantibus ſtriis. Caro mollis ſaporis aciduli, grati. Facilè molleſcunt. Matura in Boll Auguſti fine. Integra adhuc Sept. 16.



Wein-






Win=


Winterbyren/Hyemalia pyra: ſatis magna, rubra, ſubinde etiam alicubi lutea, non valdè turbinata, ſeſſilia, ventricoſa, longa tres digitos, craſſa totidem: pediculo breui vix digitum longo. Aiunt durare vſque ad Aprilem. Maius hic depictum ex Boll eſt quatuor digitos altum, craſſum tres cum ſemiſſe: ab vna parte pulchrè rubens cum punctis albis, pediculo breui trāſuerſum digitum longo. Adhuc etiam poſteriore hoc haberi maiora in Boll perhibent. In Kirchen vocant Frawenbyren, quaſi muliebria dicas: Eſui iucunda, odorata, ſapida. Stutgardiæ Paradißbyren: paradiſi pyra. Ex Mompelgardum delatis quædam mollia Nouembri exeunte reddita: alia in Febr. finem integra incorruptaque permanebant, fracida, carne granuloſa.




Franckfurter Byren/Francfortiana, in Boll & Zell, satis magna, turbinata, nonnihil sessilia parte altera : quatuor digitos ferè longa, ventricosa , nonnihil inæqualia, eiusdem cum longitudine crassitudinis, valdè rubra, pediculo sescunciam longo. Matura Aug. fine & Sept. principio. Facilè mollescunt. boni saporis velut aromatici, nõnihil etiam sunt granulosa. Octob. 14. adhuc sapidum, licet fracidum. Idem genus pyri habetur etiam in Wälden/vbi cum prædicto nomine etiam Rohtbyren/ Rubra pyra vocant.



Reinckekernbyren/nomine quod non facilè Latinè exprimas, ex Arnebingen minora quam Zelneren dicta pyra, parum turbinata, sessilia: tres digitos longa & paulò etiam plus, eiusdem ferè crassitudinis, ventricosa, colore luteo. Pediculo tres digitos longo. Sept. 8. caro satis dura & granulosa, sapore cum dulcedine nonnihil austero, sed aromatico. Molliora etiam erant alia, dulcia valdè. Fugacia sunt pyra.




Engelsbyren/ Angelorum pyra, turbinata parte superiori, quæ se quoq; reflectit, quatuor digitos longa, totidem crassa, ventricosa, lutea: basi lata sessili, sapore grato, aromatico & subaustero. Pediculus digitum longus. Durare aiunt ad Ianuarium. Mihi integra adhuc 25. Octob.




Wildprechernbyren/mediocris magnitudinis pyra,parum turbinata,ſeſſilia,ventricoſa, inæqualiter anguloſa, lutea,in vna parte rubentia,tres digitos longa, craſſa totidem, pediculo duos digitos longo. Aiunt ad Februar. durare. Hoc oblatum mihi in Wälden in fine Sept. nomine Spahtbrechern. Habent & Zellenſes, ſub priore nomine. Delatum Mompelgardum durauit ad Februarium ſed fracidum.

Spä=




Spåhtig Grünbyren/Serotina pyra, collecta in Wålde. Pulchra, magna, ventricoſa. Longum hoc quatuor ferè digitos, totidem craſſum: ſeſſile, parum turbinatum, turbine ad latus inclinante, colore vireſcente. Videtur alicubi veluti in duas partes diuidi.




Hausbyren/domeſtica pyra,in Boll.Mediocria,turbinata,ſed inæqualiter,ventre in vna parte magis protuberante,ſeſſilia,in torulos vel coſtas eleuata. Tres digitos & ſemis alta,totidē penè lata,lutea.Matura fine Aug &principio Sept.Pediculo quibuſdā digito longiore.Citò fraceſcunt Sept. 17. Saporis boni, ſubdulcis,carne non admodum molli. Similitudinem habent cum Fauſtbyren/ ſed meliora hæc dicunt. Sept.18. oblata in Wälde maiora quam hoc depictum, ſed minus tuberoſa, nec ita inclinante turbine, ab vna parte pulchrè rubentia aſperſis punctis. Reſeruari poſſe aiebant adhuc quindecim dies.

Huius

Huius generis maximum integrum adhuc Sept.30. quod nondum fracescebat. Altitudinis crassitudinisq; erat quatuor digitorum & semis. Imò ad finem Octob. vsq; permansit incorruptum.




Weingiffterbyren in Boll. Pulchrum, magnũ & æquale. Luteum ab vna parte, ab altera rubens cum punctis. Longum digitos tres & semis, parum turbinatum, sessile, valdè ventricosum vt Speckbyren/crassitudine ferè eadem: pediculo digitali. Durant vsque ad Ian. Ex Wälde postea nactus sum maiora, longitudine quatuor digitorũ, latitudine pari, nomine Hausbyren id est Domestica pyra. Perperam ergo Weingiffter à quibusdam mihi fuit nominatum cum hiis quæ domestica vocantur idem planè sit.



Faustbyren: Pugillare pyrum in Boll. ad modò descripta Domestica accedunt, verùm duplo sunt maiora, magnitudine pugni, vnde nomen: sessilia non multum turbinata: paulò tamen magis quàm figura exhibet: valdè ventricosa, & ventre quibusdam ab vna parte magis prominulo: quatuor ferè digitos alta, quædam etiam altiora, quædam tuberosa & angulosa ferè vt Cotonea. Quædam videntur velut bipartita, vt figura ostendit. Color ex luteo pallescens ad virorem inclinans: vbi maturuerunt, magis luteus. Pediculi digitum & semis longi: facilè fracescunt. Augusti fine maturescere incipiunt. Sapida sunt carne cum leui austeritate, molli valdeq; dulci. Sept.17.


Pulchra

Pulchra accepi ex horto præfecti pagi Ganßer dicti, sub nomine Bachofen Byren / id est Clibani pyra, à præcedentibus haud absimilia, sed maiora. Octob.14. integra adhuc.




Zelnern Byren/quasi Zellensia. Ex Grübling/magna, inæqualia, tuberosa, cute tenui, lucida, polita, lutea : vna parte etiam rubente cum punctis, non multum turbinata, turbine parum inclinato: Longa quinque ferè digitos, crassa totidem, valdè ventricosa. Pediculo duos digitos ferè longo, carne satis molli, sapida, dulci & nonnihil etiam aqueo sapore. Bona Oct.14. Eodem nomine

in Zell accepi, vbi fructum fugacem esse perhibebant, aptum qui in segmenta cæsus exiccatusque in vsus reponatur.




Wasserbyren / aquosa pyra in vrbe Kirchen ita vocata, ita & alibi audio appellari, pyris Speckbyren dictis æqualia: turbinata vna parte, altera sessili, ventricosa, satis æqualia, lutea, quatuor digitos longa, crassa tres & semis, pediculo breui admodum, vix digitum longo. Sept. 17. nondum erat molle. Audio depicto hoc longè etiam reperiri maiora. Durauit ad Sept. finem carne grata.

Vlmer




Vlmer Wasserbyren / Aquosa pyra Vlmensia, longa sunt pyra, minus ventricosa, vna parte turbinata, altera ferè ouali, parum sessili : quatuor digitos longa, tres vel paulò etiam minus crassa, colore luteolo, pediculo duos digitos longo. Matura fine Augusti: citò fracescunt : Fracidam adhuc habui Sept. 20. Sapida & bona, nonnihil granulosa, semine paruo, longo.




Schelisbyren: in Wälden/pulchra magna pyra, oualia ferè & nonnihil angulosa, longitudine quinque ferè digitorum, crassitudine trium, lutea, cute tenera: pediculo tres ferè digitos longo. Maiora sunt quam Aquosa pyra Vlmensia, magisq; angulosa. Haud diu durant. Sept. 18. Caro satis tenera, dulcis, sapida. Sept. fine omnino fracida.

Süssel-




Süſelbyren/magna longa pyra, ad digitos quinq;, non admodum ventricoſa, tres digitos craſſa, ſuperiore parte turbinata, inferiore nonnihil ſeſſili, pediculo non multo digito longiore, non diu durant. Sub finem Aug. matureſcunt. Quidam vocant Manßbyren/ id eſt Virilia pyra.

Repiuntur & maiora. Cruda non possunt edi: strangulant enim. Optima tamen sunt exiccata.




Spitzbyren/ Acuruinata pyra, parua oblonga: Tres digitos longa, non multum ventricosa, duos digitos crassa, lutea: Pediculus digito longior. Sept. 17. mollescebant. Præcocia sunt & fugacia. Sunt & maiora hâc figurâ. Caro satis tenera, sapidâ dulci.



Leitschbyren in Boll & Wälde & Zell, pulchra pyra longa, turbinata, sessilia nonnihil vna parte, nō vndiq; æqualia, colore luteolo: quibusdam in partibus viridia cum asperitate, quinque digitos longa, crassa quatuor, pediculi breues, digitales. Vidi quæ media parte haberent minores. Maiora etiam reperiri perhibent, & ad hyemem durare. Torrent integra in fornace & exiccant. Segmenta

etiam

concisa siccant. Sept.18. Sapore grato, licet adhuc subaspero, semina tamen vel tum matura, nigra. Oct. medio admodum sapida. Videntur potius putrescere quam fracescere: Nam ex Mompelg. delatis 23. Octobris vix integri quicquam restabat, adeò euaserant mollia, interim tamen sapida.





Regels-




Regelsbyren in Boll & **Wälde**: magnifaciunt, ac magnatum pyra vocant: Nam & carè venduntur, & ad Aprilem durare perhibent. Pyra ſunt ſatis magna, quatuor digitos longa, turbinata, baſi ſeſſili, ventricoſa, vncias tres craſſa: nonnihil anguloſa. Vidi alia non ita longa, interim tamen craſſiora. Colore ſunt ſubuiridi, pediculo duos digitos longo. Pulcherrima habentur in Kirchen vrbe, &

picto maiora.Ioh.Lutz Pharmacopœus Kirchensis, & Ill. E.C.nulli secundus ex horum pyrorum succo Electuariũ elegantissimum suauissimumq; & ad modum eius quod ex succo Cydoniorum paratur,confecit: elegantibusque figuris effigiatum abietinis excepit scatulis. Octobris 20. valdè sapida pyra etiam ipsa. Mompelgardum delatum sub finem Febr.nullam expertum erat corruptionem.







Gelblangstilerbyren/ hoc est, Lutea, longoque pediculo pyra, in Boll : satis accedunt ad formã Schlesisch Byren / pediculi tamen lõgiores : odor etiam differt, tardius maturescunt, alioqui oualia ferè, quinq; propemodum digitos alta, crassa tres. Color ex albo subluteus non virescẽs, vt in aliis à lõgo pediculo Lãgstiler vocatis: alioqui nõnihil angulosa vt illa. Pediculus pyri ferè longitudinẽ æquat. Mompelg. delatum 23. grati adhuc saporis, licet iam fracesceret.

Lang=



Langstiler, aliud genus corũ quę à pediculo longo nomẽ suut adepta: In Boll, Zell, & Wälde, & locis vicinis vt versus Vrachum. Longum est tres vncias & paulò etiam plus, eiusdẽq; ferè crassitudinis, quasi ouale, præterquam quod superficiem habet inæqualem & tuberosam. Colore est viridi, pallescente. Pediculus non raro ipsum longitudine superat pyri corpus. Hærent adhuc in arbore medio Sept. Integra manere perhibent vsq; ad Ian. Sept. 17. Nondum erãt matura, acerba valdè, lapillisque durioribus farcta. In Wälde tamen maturiora nactus. Item in Kirchen eadem eodemq; nomine degustata Octobris 22. sapida erant. Mompelgardum delata durarunt ad Ianuarij finem.





Arsbas



Arsbackerbyren & Ruckenbyren: Omnium quæ vidi maxima Pyrorum. In Boll. Vna parte oualia & nonnihil turbinata: altera parũ sessili. Tota ferè inæqualia, & quodammo-

dammodo tuberoſa, tres vncias craſſa aut magis etiam, ſex longa: pediculo breui digitali. Ponderoſa ſunt pyra, & vti perhibent ad Ianuarium durabilia. Color obſcurus, virens ferè. Aliis etiam vocantur **Vlmerbyren** / ab aliis **Pfundichbyren**: Prius Vlmenſia ſonat, poſterius libram pendentia. Aliis etiam **Kürbsbyren** / Cucurbitina rectè dicas. Octob. 14. Sapore adhuc auſtero. Mompelgardum delatum ad finem anni durauit.







Cotonea malus pingitur à Mathiolo & vires aſcribuntur lib.1.in Dioſc.cap.131.In Boll vidi cõmunia, & in Gœpinga maxima, quæ curaui depingenda : Magnam mittit hortulanus Il.E.C.copiam Stutgardiam vtriuſq; generis & quidem turbinati. Germ. Quitten/Kütten.

Meſpilus : picturam & vires proponit Lonicerus lib.4. cap.5.in editione anni 1573. vbi figura deformis : pulchram exhibet Matthiolus in Dioſc.lib.1.cap.133. vbi etiam vires. Verùm Germanica differt ab Italica: Huic enim folia ſerrata, illi non item. Germ. Meſpelbaum. Habetur in Gamelshauſen pago vicino Boll.

Sorbus Alpina folio ſubtus albo, Acer Anguillaræ malè dicta, in montibus fonti mirabili proximis, & in ruderibus arcis Teck in monte cognomini. Geſnerus de hortis vocat Sorbum alpinam, Germ. Elzbirle/Thelsbirle/vnſer Frawen

Frawen birle. Iac. Theod. Tab. Wilder Sperbaum: cuius figura non placet, nec etiam Lobelij in Adu.

Sorbus aucuparia, quam Lonicerus lib. 4. cap. 71. impress. anni 1573. vocat Groß Meelbaum, vbi frustra duæ figuræ eiusdem plantæ, quarum neutram valdè probo, in Boll vocant Adelsbeer. Excrescit in magnam arborem. Vtuntur fructibus baccisuè (in quibus semina paruula) ad aucupia. Aiũt lignum vtile a clauos qui rotarum molariũ alas retinent. Pulchra figura Matthioli lib. 1. cap. 136. nomine Sorbi sylu. Augusto mense inueni baccas in ingluvie Attagenis (Haselhun vocant) Mense etiam Augusto inueni in ventriculo Turdi visciuori, quem Troſtelen nominant. Item mense Septembri in ventriculo Merulæ alpinæ (Bergamsel) Gœppingæ, vt audio, est in horto Il. E. C. nomine Sperbeeren.

Citrum minorem quam depingit Matthiolus in Diosc. cap. 131. lib. 1. cum hac inscriptione Aurantia mala, paruam arborem ex semine natam vidi in egregio horto Domini Comitis ab Helfstain, quem curat instruendum in pago Wisensteig. Germ. Pomerantz. Studgardiæ in horto Ill. E. C. mense Nouembri erant arbores grauidæ malis tam maturis quàm immaturis, magna copia, iucũdissimo spectaculo, dulcibus, acidis, subacidis, magnitudine variantibus, cortice tenui, crasso, amaro, eduli, magis & minùs acri. Gœppingæ in horto Ill. E. C. etiam visitur.

Citrij genus quod pingitur à Matthiolo in hist. Germ. lib. 2. cap. 76. titulo Limonien/ Limoniorum, cuius generis arbor pulchra fructibus onusta in horto Ill. E. C. mense Nouembri mihi obseruata.

Citria maxima qualia pinguntur à Matthiolo in Diosc. lib. 1. cap. 131. nomine Mali Medicæ, Germ. Judenápffel. In hist. Germ. cap. 75. nomine Citrinatápffel/ Citria mala vidi in Kirchen mense Septembri apud Ioh. Lutz Phar-

macopœum,qui emerat Francofurti. Eius arborem florentem Studgardiæ in horto Ill.E.C.vidi. Ex qua Ill.E.C. Montbelgardum vsque decerptum fructum ad me misit, monstrosæ raritatis,thorulis cannulatum,calceum Polonicum aut Turcicum referentem : in acumen enim desinens advncum, sursum recuruum, lacunam largiorem ostendit,parietibus vtrinque prominentibus,è media lacuna costa longa surrigitur elatiuscula, decliuibus in parietes circumiectos lateribus.

Malum Punicum, malum granatum, Granatäpffel / Lonicero lib.4.cap.11.editionis anni 1557.vbi pulchra figura ex Matthiolo : Verum Balaustia ibidem malè depicta. Hortus Ill. E. C. Studgardiæ pulchras alit Punicas malos,& inter eas nõnullas flore pleno,minùs tamen quàm Hispanicas.

Ficus Feigenbaum/Matth.in hist. Germ. lib. 1. c. 99. vbi figura:in Wisensteig in horto Ill. Comitis : Studgardiæ quoq; in viridiario Ill. E. C. arbores magnæ, fructu magno, purpureo, benè maturescente & sapido.

Cerasia acida habere Bollenses ex arborum forma animaduerto:ea fortè sunt quæ depingit Matth. in Dioscor. lib.1.cap.120.quæ eidem in hist.Germ.lib.1.cap.71.vocantur Weichslen.In Ducatu Vvirtembergico contrario sensu quàm Matthiolo Amarellen.Trago lib.3.cap.38.Germ. Emmerling & Bloderkirschen.

Cerasa syluestria Bollensibus in syluis spontanea : de quibus Matth.lib.1. c. 130. Germ. Kirschen in hist. Germ. cap. 71.

Cerasa insita cordi similia Hertzkirschen dicebant haberi in Wisensteig in horto Ill. Com. Iac. Theod. Tab.in hist.Germ.parte 2.p.644. figuram dedit nomine Bundkirschen & Cerasorum Plinianorum ni fallor.

Cerasa quorum Iac. Theodorus loco dicto iconem exhibuit

hibuit sub inscriptione **vil Kirschen an ein stil**, Cerasa vno pediculo plura, primum vidi Studgardiæ in horto Illustriss. E.C.

Chamæcerasum **wilde Kirschen** Matthiolo in hist. Germ. lib. 1. cap. 71. vidi primùm Studgardiæ in Illustriss. E.C. horto, Florentiâ, vt aiunt, delatã: deinde Eslingæ in horto insignis Pharmacopœi Volmarij, & Argentinæ in viri humanissimi D. Friderici Meyer horto plurimis plantis raris cultissimo.

Prunus pingitur à Matthiolo lib. 1. in Diosc. cap. 137. ibidem vires, varia in Boll prouenire genera audio, **Hinschen** maiorum prunorum genus rubrum.

Pruna parua alba vel potius cerea (**Zipparten** appellant) marura Septembri, Trago lib. 3. ca. 34. **kleine Herbstpflaumen.** Gesnero de col. stirp. f. 98. Pruna tardissima minima cerea, **Zipparten.**

Prunus syluestris, cuius iconem & vires vide apud Matthiolum lib. 1. c. 137. in Diosc.

Prunum fructu magno, purpureo, oblongo (**Zwetschcken** vocant) vidi Gœppingæ in horto Ill. E.C. Pruna hortulanus in vsus tum medicos tum culinarios exsiccat copiosè: de quo genere comedi in Boll mihi allata per hortulanum Hungaricis non cedentia, officulo incuruo. Talia etiam in **Wisensteig** in horto Illust. Comitis. Hæc sunt, puto, quæ Lonicerus lib. 4. cap. 75. vocat **Quetschen** & Pruna Damascena.

Cornus Matthiolo in Diosc. lib. 1. cap. 135. & Lonicero in hist lib. 4. cap. 7. German. **Welschen Kirschen/Thierlenbaum**/in **Wisensteig** in horto Ill. Comitis Rudolphi ab **Helffstein.**

Cornus fœmina multis, à Matthiolo lib. 1. cap. 135. picta, nomine Virgæ sanguineæ, florens secundò fine Septembris, Lonicero lib. 4. cap. 7. Cornus syl. Germ. **Faulbeer.**

Persica mala pulchra lutea nondum matura sub Aug. finem vidi in arbore in Boll, & eadem asportata Vveila vrbe. Consulatur Matthiolus in Dioscor. lib. 1. cap. 131. Germ. Pfersig. Item in hist. Germ. cap. 81.

Armeniaca Marillen Matthiolo in hist. lib. 1. cap. 82. & S. Johans Pfersingen/ Gœppingæ in horto Ill. E. C.

Amygdalus Mandelbaum/ picta apud Matthiolum in hist. Germ. lib. 1. cap. 92. Apud Lonicerum cap. 30. editionis anni 1582. figura, sed inepta. Habetur in vrbe Kirchen, cuius Pharmacopœus insignis Ioh. Lurz narrauit mihi, aliquando magmate expressionis olei Amygdalarũ amararum in plateas eiecto, mortuas aliquot gallinas, quæ comedissent: id quod olim monuerat etiam Matthiolus in hist. Germanica.

Nux iuglans, pingitur apud Matthiolum in Diosc. lib. 1. cap. 141. Germanicè Nußbaum: Frequens est in Bol, etiam in monte Teck vidi.

Nux auellana, apud Matthiolum in Dioscor. lib. 2. cap. 142. Germanicè Haselnuß: in Bol Hasele, passim in sepibus nuce alba rotunda: ligno assulatim secto vtuntur ad cribra. Industrius pictor Ioh. Philippus Greter hanc rationem me docuit parandorum titionum ad penicillos: Coryli cuneos crassitudinis brachij, palmum vel semipedem lõgos, prius exsiccatos findit in assulas crassitudine digitali: quibus in ollam magnam plenam arenâ rubra inditis, postea tegit cooperculo optimè circumlita argilla, ne aër vel flamma subintret: quam figulari fornaci committit donec figlina coquantur. Extractam è fornace ollam non aperit quoad in totum refrigeretur. Tunc parata sunt segmenta pictoria, quæ vsu exigente, in mucronem exacuit: His ichnographias primùm adumbrat, quibus nihil melius, quandoquidem puluis facilè excutitur (si quid mutandum) nullo nigroris vestigio relicto: Iis

vtun-

vtuntur pictores, aurifabri & quicunq; aliquid in charta delineare volunt, aut zographicen diſcere. Eſt etiam alia parandi ratio, ſed penicilli non ita pulchri, & fragiles. Faſciculus ſegmentorum prædictorum filo ferreo ligatus mundæ chartæ inuoluitur, cui ſuperdatur tela duplicata madida: omnia colligata carbone viuo minuto tecta, pòſt & cineribus ſuperiectis obruta, ibi relinquuntur per horas tres quatuorve: extracta ſtatim ponit in ollam, quam benè tegit.

Nux auellana rubra longa, dum eſſem in Bol à me viſa ad fontem Jebenhauſen ex pago Betzkenried. Lonicero lib, 4. cap. 34. Rohtnuß/ Ruhrnuß/ Lampertisnuß.

Fagus, Buchbaum Germ. Matthiolo in hiſt. cap. 61. vbi pictura: in cacumine montis Teck: copioſa prope Balneũ in proximo monte.

Quercus glandes ferens ex longis pediculis. Hiſt. gen. pl. lib. 1. cap. 1. figuram habet hoc titulo Hemeris, Etymodrys. Obſeruaui exeunte Auguſto prope fontem mirabilem cum excrementis gallas æmulãtibus in folio auerſo, prout pinguntur in Matth. hiſt. Germ. lib. 1. cap. 58. Camerarius autem in hiſt. Germ. Matth. quam edidit, Quercus flores addidit. Frater Gaſparus in ſuo Phytopinace in appendice ponit aliam figuram.

Fraxinus, cuius pulchra figura & vires apud Matthiolum lib. 1. cap. 92. Germ. Eſchern: in ſylua & monte Horn prope admirabile Balneum elatæ & multæ Fraxini. Audio hinc Ill. Ducem Chriſtophorum, ad parandas fariſſas, accerſendas curaſſe multas: In Kirchen vna eſt ante portam.

Tilia minore folio variis in locis prouenit, vt in Vmbden & Jebenhauſen prope fontis acidi originem. Tragus lib. 3. cap. 74. vocat den wild Lindbaum. Geſnero de hortis p. 284. Tilia minor ſeu mas, Stein Linden. Item de col.

Tilia

Tilia Theoph. mas sterilis. Tilia syluestris sterilis est. Tiliam folio minore Montbelgardi in foro, & alibi obseruaui fructum ferre instar alterius illius folio multò maiore & molliore. Montbelgardi vtriusque differentiam in vrbe obseruare licet. In monte Teck Tiliam folio minore maximam vidi, cui folia paulò latiora quàm in cæteris, quæ de cœlo tacta est noctu mense Septembri exanimatæque nouem vaccæ, ex peculio Ill. E. C. sub eadem stabulantes.

Betula, quam pinxit Matthiolus in Diosc. lib. 1. cap. 93. sed sine julis & conis, prouenit in locis vicinis, curauimus etiam plantandam circa Balneum mirabile.

Populus nigra à Matthiolo depicta lib. 1. cap. 92. in Dioscor. Germ. Sarbaum in hist, cap. 32. Lonicerus pingit pro alba populo lib. 4. cap. 28. Copiosa inter pagos Holtzmaden/Tesingen/& vrbem Kirchen.

Populus Libyca à *M*atthiolo exhibita (sine julis, quos tamen fert) lib. 1. cap. 93. Germ. Aspen/& hist. cap. 32. Lonicerus, vt puto, lib. 4. cap. 29. pingit pro Populo nigra, passim abundat.

Vlmus cuius picturam ac vires tradit *M*atthiolus lib. 1. in Diosc. cap. 95. & aliam figuram eiusdem arboris ponit cap. 108. pro Tilia mare. Germ. dicitur Ylmen & Rustholtz: pulchræ arbores in sylua & monte Horn propè fontem admirabilem.

Fagus sepium, cuius pulchra icon apud *M*atthiolum in Diosc. lib. 1. cap. 95. nomine Carpini in hist. Germ. lib. 1. cap. 70.

Alnus affabrè picta apud *M*atthiolum in Diosc. vbi vires lib. 1. cap. 93. Germ. Erlen. Augusti mensis fine cum conis tam veteribus quàm nouis, ac julis. Est mihi & alia Alnus incana & hirsuta, de qua in historiá generali.

Alnus baccifera quæ *M*atthiolo in Diosc. lib. 4. c. 168. Fran-

Frangulæ nomine pingitur, Germ. Lonicero lib. 4. cap. 59. Faulbaum Arbor fœtida: passim prouenit cum baccis maturis Augusto & Septembri. Anno 1597. mense Febr. Helicuriæ vrbe Ill. E. C. cum mihi proposita esset mulier suspecta de Elephantiasi conspicienda & examinanda, contemplatus faciem aliquo vnguento illitam quæsiui quo id factum esset? respondit butyro & succo corticis fruticis dicti Piuerne (quasi dicas fœtidam Alnum) aut Pissesang, quòd credat vulgus animalia eo ligno verberata, sanguinem mingere. De Alno baccifera hirsuta, in Historia generali dicemus.

Sambucus, cuius figuram & vires videre est apud Matthiolum in Diosc. lib. 4. cap. 168. Germ. Holder. Narrauit mihi mulier in Bol, se semel assumpto cochleari succi radicum ex magnis conuulsionibus ob ingentes euacuationes per inferiora & superiora, ad extrema deductam peneq; mortuam.

Ebulus, cuius figura & vires apud Matthiolum in Diosc. lib. 4. cap. 168. Germ. Attich: sub Angelica dicetur eius vsus in morbo porcorum Fäsen. Sunt qui vocent circa Bol, vt & in Zel stinckend Attich. Florebat Augusti fine: prouenit etiam in monte Teck.

Sambucus aquatico, apud Matthiolum lib. 4. in Diosc. cap. 168. in edit. anni 1569. Germ. Schwelcken, vt videre est apud Lonic. lib. 4. cap. 68. Baccæ maturæ Augusto: Reperi in attagenis maris ingluuie pulchras similes Sorbo aucupariæ: semina differentiam demonstrarunt, quæ lata & compressa effigiem ferè cordis exprimentia: Passim prouenit: mense Octobri vidi adhuc pulchras baccas in arbuscula iuxta pagum Hathene.

Sambucus aquatica polyanthos Gefült Schwelcken. Iac. Theod. eicon. Nicol. Basæi par 3. sect. 3. pag. 1030. Cordo Lycostaphylos mascula. In Wisensteig in horto Ill. Comi-

tis, anno sequenti in horto Admir. balnei Schneeballen.

Spiræa Theoph. Dalechampio: quæ pingitur apud Matth. in hist. Germ. lib. 1. cap. 64. titulo Schlingbaum & Viburni: prouenit inter Bol & Jebenhausen: in monte Eichelberg & Teck.

Ligustrum, quod Bollenses vocant schwartze Hundsbeeren/ Matthiolo in hist. Germ. lib. 1. ca. 46. Beinholtz/ Reinweiden/ Mundholtz. Ligustrum baccis grauidum adhuc ad Octob. finem.

Euonymus, Spindelbaum Matth. hist. lib. 1. cap. 70. Cum fructu Augusto mense.

Euonymum tertiam Pannonicam Clusio, florẽtem vidi Studg. in horto Ill. E. C. aliâs nullibi.

Syringa alba in horto Ill. E. C. Gœppingensi, cuius figura apud Iacob. Theod. Tab. cum hac inscriptione Syringbaum/ Syringa alba: In hist. Gen. lib. 3. cap. 23. Ostrys Theoph. Studgardiæ florens Maio.

Syringa flore cœruleo in vrbe Kirchen in horto Iohan. Lutz Pharmac. Matthiolo in Dioscor. lib. 4. cap. 154. in post. com. Lilac, vbi fructus malè picti. Cæsalpinus lib. 3. cap. 43. Iesominum cœruleum Arabum nominat. Studg. floret Maio.

Acer, cuius figura à Lonicero lib. 4. cap. 46. editionis anni 1573. non benè posita, titulo Maßholder Platani, & adhuc ineptius pro Acere & Ahorn ponitur figura Sambuci racemosæ.

Acer maior, cuius folia decidebant, in monte proximo fonti Admirabili medio Octobri, mihi denominabatur à Bollensi Weißbaum/ ea quidem quam Camerarius apud Matthiolum pingit acutoribus foliis.

Salix subtus potissimum glaucis foliis & per ambitum hirsutis.

Salix folio Amygdalino vtrinque virente, aurito: Hæc

salix

ſalix inſigniter variat, conſiderandum an Anguillaræ epiſt.4.pag.86. Siler arbor Patauinis Salice aquarole.

Salix latifolia, quæ Iacobo Theod. Tabern. in hiſt. German. par 2. pag. 745. & com. ſect.3. pag. 1038. Salix capria rotundifolia **rund Seylweiden**: Eius nouam figuram dabimus in hiſtoria noſtra generali, quamuis Iac. Theod. duas figuras habeat, nec demonſtret tamen differentiam. Hiſtoria etiam Lugdunenſis duas figuras habet eiuſdem plantæ.

Buxus, **Buchsbaum** Matthiolo in hiſt. Germ. cap. 53. lib. 1. **Wiſenſteig** in horto Ill. Comitis: In **Kirchen** vrbe, in horto Ioh. Lutz Pharmac. ſequenti anno in horto Adm. Baln.

Arbor vitæ in vrbe **Kirchen** in horto Io. Lutz Pharmacopœi. Bellono in conifer. arboribus Arbor vitæ: vbi non placet Pinaſtrum vocari. Cluſius picturam exhibet hiſt. pl. Hiſp. lib. 1. cap. 26. plurimos Thyam Theophraſti facere ſcribens.

Erica vulgaris benè picta à Matthiolo lib. 1. cap. 100. in Dioſc. Germ. **Heyden** in monte prope Balneum mirabile in planitie dicta **auff Buch.**

Iuniperus cum baccis maturis & non maturis Auguſto menſe.

Oxyacantha ſiue acuta ſpina, cuius à Matthiolo pictura exhibita lib. 1. cap. 105. com. in Dioſc. abundat in ſepibus: eius ſemina reperi menſe Septembri in ventriculo **Kol=amſel**/ id eſt Merulæ nigræ. Item in ventriculo **Bergamſel**/ merulæ montanæ eodem menſe. Arbor hæc ſpinoſa dicitur Germanicè **Hagdorn.** Foſſas horti admirabilis fontis curauimus ſepibus viuis ex Oxycantha muniendas.

Rhamnus Catharticus, qui **Weſenbeer** Trago lib. 3. cap.

15. schwartz Wegdorn vocãt. Matthiolus in hist. Germ. lib. 1. cap. 39. pingit, titulo Wegdorn & Creutzbeer / Spinæ infectoriæ: Circa fontem Admirabilem diuersis in locis obseruaui cum baccis, & adhuc iis onustam Octobris 20. non longè à fonte medicato Rappenzagel. Optarim Medicos Gœppingenses & Kirchenses curare parandum syrupum non tantum in pauperum gratiam, sed & iam diuitum, apud pharmacopolas eo modo quo curamus Montbelgardi parandum in officina generi mei Theobaldi Noblot Ill. mei Principis Pharmacopœi. Eo enim multoties fœliciter vsi sumus, & vtimur in educendis serosis humoribus, quod facit sine molestia. Eius hæc est descriptio:

R. Succi baccarum Rhamni depurati lib. v.
Mellis optimi
Sachari albi ana lib. *i. ß.*
Coquantur ad syrupi consistentiam, addendo pro vnaquaq; libra Syrupi,
Sem. Ainsi,
Cinnamoni an ℥ ij. cõquassati & in linteolo ligati. fiat Syrupus.

Berberis officinarum: Matthiolus pingit histor. Germ. lib. 1. cap. 42. sub hoc titulo Saurach / Saurdorn / Peisselbeer, Berberis. In vrbe Kirchen in horto Ill. E. C. In Wisensteig in horto Ill. Comitis ex vrbe Vlma pro sepibus accersita.

Vua crispa vulgò dicta Gœppingæ in horto Ill. E. C. & in Wisensteig in horto Ill. Com. Tragus lib. 3. cap. 14. pingit, cui dicitur Grosselbeer / Grossularis, sicuti Ruellio lib. 1. cap. 106. Grossularia. Matth. hist. Germ. lib. 1. cap. 44. Klosterbeer, Vua spina.

Rosa rubella flore maiore multiplicato siue pleno, incarnata vulgo, quam Dod. de fl. cap. 28. vocat Rosam sa-

tiuam

tiuam dilutè & pallidè nitentem. Gesnero de hortis pag. 276. Germ. Leibfarben Rosen. In Wisensteig in horto Ill. Com. Curauimus etiam ex horto Ill. E.C. Studgardiano deferendos frutices pro horti sepibus interioribus.

Rosa minor rubello flore pleno, asperis spinis armata. Camerario in horto Rosa Cinnamomea. Iac. Theod. Tab. eicon p.3. sect.3. p. 1015. Rosa Prouincialis minor, klein Prouintz Rosen.

Rosæ vernæ nō spinosæ paruæ rubellæ florētes in horto Illustriss. E. C. Gœppingæ. Camerario in horto p. 144. Rosa Cinnamomea simplex quam pro Lychnide Plinij habet Gesnerus.

Rosa rubra In horto Ill. E. C. Gœppingæ & sequenti anno in horto Admirab. Balnei. Plantino icon. p. 206. Rosa Damascena Lobelio dif. p. 618. Rosa Rosen.

Rosa alba, sequenti anno in horto Adm. Baln. Weisse Rosen.

Rosam syluestrem repentem flore planè albo, cuius folium glabrum, florentem vidi inter pagum Vmbden & Bol Sept. 10. & iuxta Mirabile Balneum itinere Kirchensi mensis Sept. 24. die Rosæ virgini dicato, & Octobris 5. qua die exhaustus puteus mirabilis, alterâ à cœpto Mirabili horto anno 1596. Vidi quoq; florenrem versus vrbem Kirchen Octob. 7. Cordo in Diosc. lib. 1. cap. 124. Cynosbatos siue Cynorrhodos tertia, Rosa sylu. tertia, Erdrosen.

Rosa sylu. folio glabro, ferè glauco, cuius flos solet esse albus suffusus rubore, cum fructu Augusto & Septembri eodemq; tempore cum spongia. Hæc fortè est cuius turpis figura apud Lonicerum lib. 4. c. 62. editionis 1273. nomine Hagenbutten & Hanrosen German. & Cynosbati Diosc. Trago lib. 3. c. 19. Rosa sylu. prior Wild Heckrosen.

Rosa foliis odoratis quæ Eglentina dicitur passim in sepibus prouenit, Trago lib. 3. cap. 19. alterum Rosæ sylu.

genus, Germ. nonnullis Weinrosen/ Frawendorn/ Mariendorn.

Rubus vulgaris fructu nigro pictus à Matthiolo ad Dioscor. lib. 4. cap. 33. vbi vires, & Lonicerum lib. 4. cap. 55. Germ. Brombeer/ Bremen: fructu maturo Augusto, Septembri, & Octobri adhuc florens. Mense Augusto reperi in ventriculo turdi visciuori (Trostelen vocant) in Bol, semina mororum Rubi, à quibus pellicula interna ventriculi & intestina erant penè nigra reddita.

Rubus fructu cœruleo, humilior, florens Augusto, Gesnero de col. stirp. f. 113. Rubus humilis; Chamæbatus. Trago hist. Germ. li. 3. c. 11. kleine Brenheck. Chamæbatus.

Rubus fructu rubello non asper, Matthiolo in Diosc. lib. 4. cap. 34. Rubus Idæus. Lonicero cap. 55. Himbeeren/ vbi figura quædam parua, Matthioli melior multò, cui accedit quam Lonicerus posuit pro Bocksbeer: nec enim in figura adhuc discrimen animaduertere potui. Rubi Idæi pulchrum fructum maturum Octob. 13. in Bol obtuli Illustr. E. C.

Ribes fructu rubro cum copiosis racemis mensis Augusti fine in horto Ill. E. C. Gœppingæ. Matthiolus in hist. Germ. pingit lib. 1. ca. 45. sub hoc titulo S. Johans Treuble/ Ribes vulgaris.

Ribes arborescens cum vua satis magna Studgardiæ in horto Ill. E. C.

Ribes fructu dulci Studgardiæ in horto Ill. E. C. florens Maio.

Ribes fructu albo Studgardiæ in horto Illustr. E. C. vnde Montbelgardum transtuli.

Ribes fructu nigro florens Studgardiæ in horto Ilustriss. E. C. Dod. hist. Lat. pempt. 6. lib. 1. cap. 9. Ribesium fructu nigro.

Vites habent in Bol, ad ædificiorum vmbracula & in hor-

hortis,ſed paucas: Locis autem vicinis multas vt Gœppingæ, Villæ,& alibi.

Periclymenum rectum cum baccis maturis Aug. Dodo. pingenti in fine lib 6. hiſt. Gal. Caprifolij tertia ſpecies, Heluetiis Hundskirſchen.

Periclymenum in horto Ioh. Lutz Pharmac. Kirchenſis. Lonicero lib.5. cap.266. Geißblatt aut Waldgilgen/ Specklilien/ Periclymenos vulgò Caprifolium, Matriſylua.

Aſclepias circa Eichelberg/ Lonicerus pingit lib.5.cap. 133.cum his nominibus Schwalbenkraut/ Græcis Aſclepias,vulgò Hirundinaria,& Vince toxicum.

Clematis ſecunda latifolia quibuſdam menſe Auguſto cum flore & ſemine: Lonicero pingenti lib. 5. cap. 205. Waldreben lynen/ lirnen aut len: quam plantam non benè Latinè vocat vitim nigram & Bryoniam nigram. Dodonæo hiſt.Lat.pemp.3.lib.3.cap.15.Vitalba.

Clematis altera cœrulea Studg. in horto Ill. E. C. quæ Dodonæo pempt.3.lib.3.cap.18.Clematis altera.

Clematis altera purpurea flore pleno alibi non viſa niſi Studg. in Ill. E. C. horto: Quam etiam Montbelgardi in eius horto habeo. Hedera Ephew: Matthiolo in hiſt. German.lib.2.c.111. in monte Eichelberg. Lonicero lib.5. cap. 259. Eppich. Græcè Ciſſos. Latinè Hedera.

Glycypicros cum fructu maturo & florens Aug. menſe. Lonicero qui lib.5.cap.263. pingit & vires aſcribit, je lenger je lieber/ aut Hynſchkraut/ Glycypicros dulcis. Dodonæo hiſt. Gal. lib.3. cap. 57. Dulcamara, Solanum lignoſum.

Conuoluulus maior florens Auguſto menſe. Lonicero pingenti lib.5. cap.261. groß Glatt Winden/ Volubilis, Smilax. Dod. hiſt. Gal.lib.3.cap.52. Smilax læuis alba maior. Groß weiß Glocken.

Conuol-

Conuoluulus minor. Lonicero pingenti lib. 5. cap. 260. klein Glattwinden / Helxine cissampelos, Volubilis minor. Dodonæo hist. Gal. lib. 3. cap. 52. Smilax alba læuis minor, klein Windenkraut.

Conuoluulus semine anguloso. Dodonæo hist. Gal. lib. 3. cap. 53. pingenti Helxine cissampelos, Malacocissus, Volutilis media schwartz Winde / mittel Winde.

Lupulus expetitur & collectus reponitur pro mercatoribus quibusdam qui accersunt ex vrbe Heidne Vvirtembergica distante quatuor miliaribus, ad parandam ceruisiam: Sunt etiam pistores qui vtuntur ad panis albi præparationem. Lonicero pingenti lib. 5. cap. 262. Hopffen Lupus salictarius, Lupus reptitius.

Cassuta in Lupulo Sept. mense in monte Teck. Augusto in Lupulo & Vrtica prope Bol. Lonicero pingenti lib. 5. cap. 267. Filtzkraut / Flachsseyden / Flachsdottern / Range. Vulgo podagra lini, Cassutha, Cuscutha.

Cucurbita folio molli, flore albo, longo fructu, in horto Ioh. Lutz Pharm. in Kirchen: à Lonicero pingitur lib. 5. c. 268. Dodonæo hist. Gal. lib. 5. cap. 32. Cucurbita anguina lange Kürbs. Lob. obs. p. 366. & icon. Plant. p. 644. Cucurbita siue Zucha omnium maxima anguina.

Cucurbita magna tuberosa, Groß vnd krauß Kürbs vt habet catalogus anni sequentis horti Adm. Baln.

Cucurbita folio aspero, flore luteo, fructu omnino nigro, in horto Io. Lutz ph. in Kirchen. Dodonæus hist. Gal. cap. 29. lib. 5. huiusmodi Cucurbitas vocat Pepones Türckische Cucumern. Matth. in post. com. Lat. lib. 2. cap. 127. Cucurbita Indica.

Cucurbita folio aspero, flore luteo, florens Augusto mense, fructu non magno, ex albo ad cinereum vergente.

Cucurbitæ paruum genus, cuius fructus non multò maior pugno, ruber cum quibusdam maculis: Hortulanus dice-

dicebat ſemina eſſe rubra, antehac non vidi: Suſpicor Colocynthidis genus: Gœppingæ in horto Ill.E.C.

Melones Gœppingæ in horto Ill. E.C. & ſequenti anno in horto Admirabilis Balnei. Dodonæo hiſt. Gal.lib.5.cap. 31. Cucumis Galeni & antiquorum, quibuſdam Melo, German.Melonen. Trago lib.2.cap.99.Melo,Brunfelſio Tom.3. Than.95. Melo.

Cucumeres in Wiſenſteig in horto Ill.Comitis & Gœppingæ in horto Illuſtr. E. C. & Kirchen in horto Io.Lutzij Pharm.& ſequenti anno Baln.Admir.Lonicero pingenti lib.5.cap.270.Cucumis ſatiuus Cucumern.Dod.hiſt.Gal. lib.5.cap.28.Melopepon Galeni.Lob.obſer.pag.363.Cucumer eſculentus.Item pag.638.Brunfelſio ſatiuus Tom. 3.Rhap.93.

Cucumus aſininus in horto Ill.E. C. Gœppingæ. Trago lib.2. cap.99. Cucumer ſylu. Item Matthiol. lib.4.cap. 149.in poſt. com.

Lagopus, Leporinus pes. Haſenfuß. Fuchſio hiſt. cap. 189.& Trago lib.2.cap.3.Katzenklee.Matthiolo lib. 4.cap. 17. &Lobelio obſ. pag.498. & icon.Pl. pag. 39. Tom.2. Lagopus.

Oxys menſe Auguſto proximè fontem Admirabilem ad montem,mēſe Septembri prope Rappenzagel/ Trago pingenti lib.1.cap.178. Buchampffer/ Saurklee/ Guckenlauch/ Gauchlin Panis cuculi. Trifolium acetoſum. Brunfelſio Tom.3. Rhapſ.14. Trifolium acetoſum.Lob.obſ. p.495.& Icon.p.32.par.2. Oxys Pliniana.

Triticū multiplici ſpica in Kirchen in horto Lutz Pharmac. Lob.Icon.Pl. p.26. Triticum multiplici ſpica. Anguillara epiſt.6.p.97.Grau del graſpo.

Zeæ genus quod Ymmeren vocant, cum candidis glumis & ruffis: vtrunq; longas habet ariſtas: ſerunt vere: Auguſto menſe primùm ac etiam Septembri demetunt.

Zeam quam vocant Kern/alij Dünckel Augusto mense triturabant Dod.hist.Lat.pempt.4.lib.1.cap.4. Zea vulgo Spelta,Germ. Speltz/nonnullis Dünckel.

Secale circa Gœppingam,Dodonæo pingenti hist.Lat. pempt.4.lib.1.cap.14. Rogga siue Secale. Germ. Rocken. Brunsfelsio Tom.3. Rhapſ. 113. Siligo (non benè) Trago lib.2.cap.24.etiam minùs benè,Siligo veterum.Lob.obſ. p.15.& Plant.icon.p.28. Secale.

Hordeum minus iam collectum erat Augusto mense. Dod.pingenti hist.Lat.pemp.4.lib.1.cap.4.Hordeum distichum Germ.Fueter Gersten/klein Gersten.Trago lib.2. cap.21. Hordeum minus. Lob. obſ.p.16.& icon.Plant.p. 29.hordeum distichon.

Triticum Indicum vulgò *T*urcicum , Türckisch Korn/ anno sequenti in hor.Adm.Bal.*T*rago lib.2.cap.26. *T*urcicum frumentum.Lob.icon.Pl.pag.39.Milium Indicum Plinianum vel Mais occidentalium.

Astragalo Fuchsii similis, quæ etiam Montbelgardi in hor.Ill.E.C.mihi prouenit,vti spontanea circa Montbel.

*Galega sylu.*verna quæ pingitur in hist. gener. Lugd.An Dodonæo hist.Lat.pempt.4.lib.3.cap.10.Arachus latifolius quem ait plerosq; Eruum Venetum vocare, quamuis non sit Erui species.

Medicam vidi in Kirchen mense Septembri in horto D. Ioh.Lutzij:Ex quo perijt in horto Ill. E.C. Montbelgardi ante multos annos non videram:pro ea malè apud Lonicerum lib.5.cap.331. editionis 1581. posita figura Laburni, bonam habet Dod.hist.Lat.pempt.4.lib.4.cap.19.

*Medica sylu.*lutea in monte Eichelberg florens Septembri mense.

Melilotus vulgaris flore luteo florens Augusto, Septembri & Octobri,Lobelio obſ. pag.501. & icon. Plant. p.43. pac. 2. Melilotus Germ. Brunfelsio *T*om.3. Rhap. 14.

Trifo-

Trifolium, Melilotos maior. Matth. hiſt. Germ. lib. 3. cap. 45. **Gemeiner oder groſſer Steinklee**/ Lotus vrbana, Melilotus falsò dicta.

Melilotus vulgaris flore albo florens Auguſto, Septembri, & Octobri paſſim, etiam in cœmiterio: Frequens valde & penè ſola Marbaci Vvirtemberg. ad Neccarum, vbi aliquando limites Romanorum.

Lotus ſatiua in **Kirchen** in horto Ioh. Lutz Pharm. & ſequenti anno in horto Adm. Bal. **Sibengezeit**. *T*rago lib. 2. cap. 2. *T*rifolium Dioſc. Lob. obſ. p. 500. & icon. Pl. p. 41. par. 2. Lotus hortorum odora.

Trifolium vulgare purpureum florens Auguſto, Sept. & Octob. Lob. obſ. p. 493. & icon. Pl. p. 29. par. 2. *T*rifolium pratenſe. Brunfelſio *T*om. 3. Rhap. 14. *T*rifolium maius.

Trifolium album florens Auguſto, Sept. & Octob. menſibus. Fuchſio hiſt. cap. 314. & icon. pag. 472. ac Brunfelſio *T*om. 3. Rhap. 14. *T*rifolium album. Matth. in Dioſc. lib. 3. cap. 106. *T*rifolium pratenſe.

Trifolium luteum mas flore minore ſemen ferens, florens Auguſto, Sept. & Octobri menſibus Brunfelſ. *T*om. 3. Rhapſ. 14. Melilotus minor. *T*rago lib. 2. cap. 3. Meliloti exiguæ ſpecies prima, vel Melilotus 6.

Trifolium luteum fœmina maiore flore & ſpecioſiore ſterilis, florens Auguſto, Septembri, & Octobri. *T*halyo in Harcynia p. 124. *T*rifolium alterum Lupulinum, & vulgo Lupulus ſyluaticus.

Vicia ſatiua florens Auguſto, Dodonæus de Frum. cap. 52. picturam exhibet bonam, reiecta Aphaces Fuchſii, quam prius in hiſt. Gallica habebat: Viciam Varronis vocat, *T*rago ſine figura lib. 2. c. 16. **Wicken. Roßwicken/ zam vnd Feldwicken** / & minùs benè Eruum.

Vicia minima cum ſingularibus ſiliquis breuibus, glabris ex longis pediculis, cuius deſcriptionem & figuram,

Deo fauente, dabimus in historia nostra generali.

Apios Fuchsii, quæ Lonicero lib. 5. cap. 332. Erdnuß aut Sewbrod. Græcis Apios, Chamæbalanus. Ei autem cui cognita Apios satis apparet, quantùm discrimen? quã contrariæ facultates? Dod. hist. Lat. pempt. 4. lib. 3. Terræ glandes Acker Eicheln/Erdfeygen.

Lathyrus siliqua hirsuta, flore cœruleo, penè violaceo, in agris cum semine etiam maturo Augusto mense.

Lathyrus lutea in Eichelberg & prope Bol Aug. mense cum siliquis.

Viciæ species flore luteo, folio conuoluuli minoris, quæ Anguillaræ epist. 11. p. 183. non bene dicitur Pitine Theophrasti, vt aliquando me docuit Præceptor meus Gesnerus. Dodon. hist. Lat. pempt. 4. lib. 3. cap. 12. ἀφάκη, Aphace Diosc. Plinio ac Galeno. Iac. Theod. Tabern. par 2. sect. 11. Elatine tertia.

Melilotus Fuchsii, vnser Frawen Schlüssel florens Aug. Trago pingenti lib. 2. cap. 3. Edeler Steinklee.

Meliloti Fuchsii species elatior.

Vulneraria rustica ad Eichelberg & in monte Teck.

Fænum græcum sequenti anno in horto Admir. Balnei. Matthiolo hist. Germ. lib. 2. cap. 14. Bocksħorn Fœnum græcum.

Galega in Kirchen in horto Io. Lutz Pharmac. Dodon. hist. Lat. pempt. 4. lib. 3. depingit, & vires addit dicens Italis Galegam & Rutam Caprariam, Fracastorio Herbam Gallicam appellari.

Fabæ minores albæ in agris Augusto & Septembri in horto Illustr. Comitis in Wisensteig. Maiores fabas pingit Tragus lib. 2. cap. 14. & vocat Teutschbonen.

Fabæ maiores Grosse Bonen sequenti anno in horto Adm. Baln. Matthiolo hist. Germ. lib. 2. c. 25. welsche Bonen aut Steigfaseln/ Smilax hortensis.

Lupi-

Lupini: Weiß Lupinen anno sequenti in horto Admir. Baln. Matthiolo. in hist. German. lib. 2. cap. 27. Feigbonen Lupini.

Rödisch Violen in Cat. pl. horti Admir. Baln. anni sequentis, intelligo Lupinos luteos, quos quidam vocant Spanisch Violen: quibus abundant Studg. in horto Ill. E.C. & nos etiam Montbelgardi habemus.

Pisa alba. Lonicero pingenti lib. 5. cap. 350. Klein oder Felderbiß Latinis Pisum. Trago lib. 2. cap. 9. Pisa agrestia.

Pisa maiora alba in Wisensteig in horto Ill. Comitis & seq. anno in horto Bal. Adm. Lonicero cap. 324. lib. 5. pingenti Groß oder Klotzerbyß. Trago lib. 2. ca. 9. Cicer arietinum quod vulgo Pisum.

Pisa sine cortice duriore in horto Ioh. Lutz ph. in Kirchen.

Pisa maiora variegata, in Bol & sequenti anno in horto Ad. Baln. Trago pingenti lib. 2. cap. 11. Phaseoli Fäselen/ hæc nomina non placent, nec etiam Lonicerus lib. 5. cap. 354. ponens consimilem figuram sub hac inscriptione klein Faseln/ Dolichos.

Vicia maxima sylvatica in mõte Teck, & prope Bol cum flore & siliquis in sepibus Augusto mense. Inter Wil pagum & Basilæam cum siliquis Nouembri, ad Pisum sylvestre accedit: an aliquis descripserit nõdum mihi constat. Ante 30. annos mihi etiam obseruata circa Tigurum: verùm plura in historia nostra generali.

Vicia sepium siue dumetorum perennis passim, & in monte Teck florens Octobri: Hanc pingit Tragus lib. 2. cap. 16. nomine Wicken & Viciæ. Tabern. iconum par. 2. sect. 4. Cracca maior, Groß wild Wicken. Eidem in hist. p. 216. Cracca maior. ἀφάκη, Vicia. Quàm benè distinguat Viciarum nomina, iudicent lectores.

Vicia multiflora, florens Septembri mense in Eichel-

berg: cum ſiliquis, non longè à Bol Auguſto. *Trago* lib. 2. cap. 16. Erweiß die fünfft Wick Aphace Dioſc. In Latinis vicia ſylu. altera. Iac. *Theod*. Iconum. p. 2. ſect. 4. p. 506. Aracus Vogelswicken.

Vicia parua cum pluribus ſiliquis ex vno pediculo mẽſe Auguſto, Dodonæo pingenti in frum. cap. 67. Craccæ alterum genus. Iac. *Theod*. *Tabern*. eicon. par. 2. ſect. 4. p. 517. Klein wild Wicken.

Auena alba & nigra. Dod. hiſt. Lat. pempt. 4. lib. 1. (vbi figura) Auena Βρόμος, Germ. Habern. *Trago* lib. 2. cap. 27. Auena ſatiua & prima Lobelio obſ. p. 19. & icon. Pl. p. 31. Auena noſtra. Quæ autem nigrior, dicitur Cæſalpino lib. 4. cap. 47. Aulua ſylu. nigra.

Panicum ſemine nondum maturo Auguſto. Matthiolo lib. 2. cap. 15. hiſt. German. (vbi figura) Fenich oder Fuchßſchwantz Panicum. Dodon. hiſt. Lat. pempt. 4. lib. 1. cap. 25. Panicum, Mel frugum Germ. Heidelpfennich. Trago lib. 2. cap 31. Milium agreſte ſeu exiguum. Lob. obſ. p. 24. Icon. Plant. p. 41. Panicum.

Panicum ſylu. aliud Dalechampio in hiſt. gen. Lug. lib. 4. cap. 19.

Panicum ſylu. ſpica diuulſa locis humidis proueniens menſe Auguſto cum ſpica & ſeminibus maturis. Matthi. in hiſt. Germ. lib. 2. cap. 10. (vbi figura) Wilder Fenich Panicum ſyl. In hiſt. gen. Lugd. l. 4. c. 19. Panicum ſylu. Matth.

Holcus ſiue Hordeum murinum. *Trago* lib. 2. cap. 35. Lolium tertium. Dodo. hiſt. Lat. pempt. 4. lib. 3. cap. 4. Hordeum aut triticum marinum. Lob. obſ. p. 18. icon. Pl. p. 30. Hordeum ſpontaneum ſpurium, Holcus Plin. Anguil.

Phœnix herba. Dod. pingenti hiſt. pemp. 4. l. 3. c. 4. Phœnix ſiue Lolium murinum. *Trago* l. 2. c. 35. Lolium quartũ. Matthiolo l. 4. c. 39. Phœnix, Lolium murinũ. Lob. obſ. 21. icon. Pl. p. 34. Hordeum murinum, vel Lolium rubrum.

Lolium

Lolium semine maturo Augusto.Dod.pingenti hist.Lat. pemp.4.lib.3.cap.1.Lolium. Matthiolo lib.2.cap.93. Lolium.Lobel.obs.p.21.& icon. Pl. p. 35. Lolium & triticum temulentum.

Gramen nodosa radice. Lob. Adu. p. 21. Gramen bulbosum nodosum. Item icon.Pl.p.23.

Gramen lanatum siue molle florens. In histor. Gen. pl. Lugd.lib.4.cap.30.Gramen lanatum Dalechampij.

Gramen cristatum Kaffigraß fratri Casparo Bauhino in phylopinace lib.1.sect.1.vbi pag.5.describit Gramen pennatum. Obseruaui etiam in valle Griesbachiana & aliis locis.

Gramen cum cauda muris florens Augusto mense.Dod. pingenti in hist.Latin.pemp.4.lib.4. cap.3. Gramen pratense.7.

Festucago inter Auenam Plantino icon.pag. 2. Segetum gramen panicula speciosa latiore Teut. pag.2.

Graminis genus cum calamis tenuibus, hirsutis & locustis paruulis,in pratis.

Gramen cum tenuibus calamis in pratis spica sparsa & multifariam diuisa cum minimis locustis.An Dod.histor. Lat.pempt.4.lib.4.cap.3. Gramen pratense.3.

Gramen cuius culmus diuiditur in satis crassas & longas spicas, veluti per squammas dispositas quæ in aristas desinunt,Hist.gen.pl.Lug. lib.4.cap.30. Gramen murorum Dalechampij.

Gramen quoddam in dumetis, culmis iuxta articulos nonnihil hirsutis vti & foliorum principiis mollibus.Spica palmum ferè longa,quæ alternatim ad nouem paruas spicas habet satis longè ab inuicem separatas, quæ constant 9. vel 11.granis in aristas desinentibus.

*Luzula semine nigro.*Lob.icon.Plantini pag.16. Anguil. epist.11.p.179.Combretum Plinij.Hist.pl.Lugd.lib.4.cap. 30.Gra-

30. Gramen nemorum Dalechampij. In historia nostra generali aliquot species trademus obseruatas in montibus circa acidulas Griesbachianas.

Gramen arundinaceum enode in monte Eichelberg. *Trago* lib.2.cap.41. Scirpi primum genus. Plantinus in iconibus figuram habet p.11. nomine Graminis palustris maioris, quæ satis commodè respondet nostro gramini, licet descriptio Lobelij quæ est in hist. Belgica p.13. non videatur benè conuenire. Posset etiam figura Plantini cui p.6. titulus, Gramen tomentosum & acerosum: verùm descriptio quę est in hist. Belgica Lobelij hist. p.8. planè differre videtur.

Gramen paruum iunceum cinereum reperi in rupibus & muris arcis *Teck* Octobris fine, ita firmiter hærens, vt vix euellere possem, radices tenues capillares nigricantes, cohærentibus simul multis plantis, vt in gramine bulboso Delcihompij: Similia verò sunt folia Spartio paruo apud Plantinum in icon. p.90. Non esse annuam satis apparet ex vestigiis antiquorum foliorum, longitudinis sex vel septem digitorum, quædam etiā breuiora iunci modo rotunda tenuia, cinerei ferè coloris: restabant calami valde tenues dodrantales & pedales, cum vestigiis paruæ spicæ: An priùs viderim non recordor, nec etiam hactenus reperi. Potest quidem exprimi icone in hist. Gener. lib. 4. cap.30. cui titulus Gramen exile: quod à Lobelio eo nomine exhibitum obs. p.9. & Plantino iconum p.7.

Gramen longissimis triangularibus caulibus in sepibus non longè à Bol, in pago dicto Sinnigen: Caules vel calami si ita liceat vocare, triangulares trium cubitorum, tenues spica non maiore articulo primo, in qua semina matura erant Augusto mense, in breuibus glumis, compressa, oblonga, ruffa: folia longitudinis pedalis, latiora quàm caules, non angulosa sed plana.

Gramen

Gramen aquaticum cum longa ſpica diuulſa florens Auguſto. An Trago lib.2.ca.39. Gramen anatum & Lob. icon.Plan.p.12. Gramen aquis innatans.

Gramen repens & in aquam ſe extendens : Huius folia mollia & lenia, ſpica duos digitos longa, tenuis, caudæ muris ſimilis. Simile hoc gramen, Gramini meo nodoſo cuius deſcriptionem frater Caſparus poſuit in ſuo phylopinace lib.1.ſect.1.p.21.pro Gramine 98.

Gramen nigroluteum.Lob.Pl.icon.pag.10.Gramen ſpicatum foliis Betonicæ Garyophyllatæ Hiſt. gen. pl. Lug. Gramen nigrum.

Gramen triangulum aquaticum florens Auguſto menſe, cum quo Plantini figura icon.p.19.cui titulus gramen paluſtre Cyperoides conuenit. An Thalio p.54. Gramen iunceum triquetrum.

Iuncus minimus antehac non viſus quem curabo depingendum.

Iuncus clauatus.Lob.obſ.p.44.icon.Pl.86.Iuncus aquaticus minor capitulis Equiſeti.Hiſt.gen.Lug.lib.9. cap.3. Iuncus clauatus Dalechampij.

Iuncus foliaceus ſemine triangulo.

Graminis genus, Holoſtium Matthiolo lib.4. cap.10. in Dioſc.Plant. icon.p.18. Holoſtium Matthioli.

Iuncus tenuis glaucus paniculâ ſparſa.An Dod.hiſt.Lat. pempt.4.lib.5.cap.29.Iuncus læuis.

Iuncus viridis multâ farctus medullâ, pannicula ſparſa ad Matthioli iuncum accedere videtur, quem exhibet li. 4.cap.47. in Dioſc.

Typha in foſſis Gœppingenſibus.Dod.pingenti in hiſt. Lat.pempt.4.lib.4. cap.28. Typha paluſtris,Germ.Narrenkolben & Liſſknoſpen.

Sparganium quibuſdam,in Kirchen/& in horto Ill. E.C. Dodonæo pingenti hiſtor. Lat.pempt. 4.lib. 5.cap.26.

Platanaria siue Boutomon, plerique Rietgraß nominant. Matthiolus hanc vel huic omnino similem pro Sparganio depingit, verum descriptio repugnat.

Asphodelus luteus in Kirchen in horto Ioh. Lutz Phar. Studg. in horto Ill. E. C. florens Maio & sequenti anno in horto adm. Baln. Dod. pingenti hist. Lat. lib. 2. cap. 10. Asphodelus luteus.

Asphodelus fistulosus Studg. in horto Il. E. C. florēs Maio, Dod. hist. Lat. pempt. 2, lib. 2, cap. 9. Asphodelus minor.

Asphodelus albus Stud. in horto Il. E. C. quò adferendum curaui Monspelio. Dod. hist. Lat. pempt. 2. lib. 2. c. 9.

Phalangium flore maiore abundat Studg. in horto Ill. E. C. florens Maio, & sequenti anno in horto adm. Baln. Bergliljen. Dod. pingenti in hist. Lat. pempt. 1. lib. 4. cap. 22. Phalangium non ramosum.

Liriasphodelus maior Gœppingæ in horto Ill. E. C. & in Kirchen in horto Ioh. Lutz. Dod. pingenti hist. Lat. pemp. 2. c. 7. Lilium non bulbosum obsoleto colore rubens.

Liriasphodelus luteus in Wisensteig in horto Com. Stud. in horto Ill. E. C. Dod. pingenti hist. Lat. pempt. 2. lib. 2. ca. 7. Lilium non bulbosum, Hemerocallis.

Iris violacea in Kirchen in horto Io. Lutz Pharmac. & in Wisensteig in horto Il. Com. Hiñel Schwertel oder Violwurtz. Dod. pingenti hist. Lat. pemp. 2. lib. 3. c. 1. Iris, Blaw-Gilgen/Blawe Schwertel/Himmel Schwertel.

Iris cœrulea, videtur maior purpurea, & minus vulgaris Studg. in horto. Il. E. C. florens Maio.

Iris alba in Wisensteig in horto Il. Com. & Gœppingæ in horto Il. E. C. Dod. hist. Lat. pemp. 2. l. 3. c. 1. Iris flore cādido Ger. Weiß Violwurtz. Stud. in horto Il. E. C. florēs.

Iris graminea in Wisensteig in horto Il. Com. & Kirchen in hor. Io. Lutz ph. Dod. hist. Lat. pēp. 2. l. 3. c. 3. Chamæiris.

Iris angustifolia in Wisensteig in horto Il. Com. & Kir-

chen in horto Ioh.Lutz pharm.Studg.in horto Illuſt.E.C florens Maio.

Iris albida & obſoleti coloris minor Studg. in horto Il. E.C. florens Maio.

Iris minor Studg.in horto Ill. E. C. Dod. pingenti hiſt. Lat.pempt.2.lib.3.cap.1.Iris minor.

Iridum variæ ſpecies Studg. ſunt, tranſlatæ ſequenti anno ex horto Ill.E.C.

Iris paluſtris lutea in horto quodam vicini pagi Blenſpach Studg. in Ill. E.C. horto florens Maio. Trago pingenti l.2.c.49. Geel Waſſerlilien oder Schwertel/Dracken-wurtz. Xyris nō Acorus.Lob.obſ.p.31.&Pl.icon.p.58.Acorus noſtras paluſtris.Dod.hiſt.Gal.l.1.c.35.Iris lutea.

Calamus aromaticus vulgò dictus, Matthioli in Dioſc. lib.1,cap.2.Acorus,ibi pictura: in poſtremis commētariis melior,olim falſa,ibidem vires.Germ.Kalmus.Ioh.Lutz Pharm. in Kirchen habet in horto, condit ſaccharo radices,reponit etiam folia exſiccata, quibus Dominus Ranzius dicit ſe vti in vinis medicatis & ad fotus. Eſt etiam in horto Gœppingenſi Illuſt.E.C.Matthiolo in Dioſc. lib.1, cap.2,Cluſio in Panno.& Lob.pag.30,obſ. Acorus.

Iris bulboſa cœrulea Studg.in horto Ill.E.C.& ſequenti anno in horto adm. Dodo.pingenti hiſt. lib.2, cap.14,Iris bulboſa,fortè Hierobulbus Apulei.

Gladiolus Germ. Studgardiæ in horto Illuſtr.E.C.Cordo hiſt.lib.1,cap.32, Victorialis fœmina vel Gladiolus ſylueſtris.

Gladiolus Italicus Studg.in horto Ill.E. C. Matthiolo in Dioſc. lib. 4, cap.20, Lob.obſ.p.52, & Pl.icon.p.99,Gladiolus Italicus binis florum ordinibus.

Gladiolus flore albo Stud.in horto Il.E.C.antehac nō viſus.

Lilium, Trago pingenti lib.2,cap.85, Weiß Gilgen/Lilium,Roſa Iunonis.

Lilium croceum cum bulbis in caule in Kirchen in horto Ioh.Lutz. Studg.in horto Ill.E.C. hiſt.Lat.pempt. 2.lib.2. cap.2.pingenti,Lilium purpureum tertium.

Lilium Martagon in monte Teccenſi, ſequenti anno in horto Adm.Baln. Goldwurtz.

Corona Imperialis, Königskron/ ſequenti anno in horto admirab.Baln.Lob.obſ.p.86.& icon.Pl.p.171. Lilium ſiue corona imperialis.

Colchicum florens Auguſt.Dod.pingenti hiſt.pempt.6. lib.4.cap.24.Colchicum Germ. Zeitloſen.

Porrum ſectiuum quibuſdam in Wiſenſteig in horto Ill. Com.& Gœppingæ in horto Ill. E.C. Dod. pingenti hiſt. Lat.pemp.5.l.3.c.18.Schænopraſſum Germ.Schmitlauch & Brißlauch.Trago l.2.cap.67. Porrum ſectiuum. Lob. obſ.p.77.& icon.Pl.p.154. Schœmpraſſum.

Cepæ aſcalonitides pulchræ hyemem perferentes Gœppingæ in horto Ill.E.C.

Cepæ in horto Illuſt. Comitis in Wiſenſteig & ſequenti anno in horto admir.Baln. Trago lib.2.cap.64. Zwiblen. Lob.obſ.p.74.& icon.Pl.p.150.Cepa.

Allium petræum in Kirchen in horto Ioh. Lutz.

Braſsica capitata in agris.Dod.pingenti hiſt.Lat. pemp. 5.lib.1.cap.6.Braſſica capitata alba,nonnullis Braſſica imperialis,Germ.Kappeßkraut. Braſſicam capitatam albam oſtendit mihi D.Doctor Rentzius menſe Octobri, in qua erant ad 50.capita parua,magnitudinis ouorum: ſimilem aliam ibidem vidi,ſed non tanto numero: Recordor mihi etiam demonſtratas eiuſmodi Braſſicas cum multis capitibus in Alſatia in Hartemſchwiler apud Nobilem virum Dominum Ioh. Iacobum Vvaldner à Freudſtein compatrem.Hortulanus Gœppingenſis dicebat etiam ſe eandē habere. Hanc vt raram curauimus hic depingendam.

Braſsica


I
F
L

Braßica multiflora German. Blumköl. Gœppingæ & Studg. in horto Ill. E. C. & in Wisensteig in horto Il. Com. anno sequenti in horto adm. Baln. Dod. pingenti in hist. Lat. pemp. 5. l. 1. c. 7. Brassica cauliflora: nonnulli Cypriam brassicam vocitant Italis, Caulifiore, cum Plinij Pompeiana lib. 11. cap. 8. conuenire videtur.

Braßica rugosa Sabaudica, Gœppingæ in horto Il. E. C. & in Wisensteig in horto Ill. Comitis. Dod. pingenti hist. *L*at. pempt. 5. lib. 1. cap. 3. Brassica Sabaudica, inter *L*acuturres capitatas non temerè numerari potest.

Braßica Laciniata rubra Gœppingæ in horto Ill. E. C. & in horto Ill. Com. in Wisensteig. Dodon. pingenti hist. pempt. 5. lib. 1. cap. 7. Brassica vulgaris 6..

Braßica thyrsoides Federköl / in horto Ioh. Lutz pharm. Kirchens. & sequenti anno in horto adm. Baln. Historiæ gen. Lugd. de pl. lib. 5. cap. 1. Brassica Asparagoïdes Dalechampij.

Wersichköl in horto Baln. adm. sequenti anno.

Braßica crispa in horto Ill. Com. in Wisensteig. Dodon. pingenti in hist. Lat. pempt. 5. lib. 1. cap. 7. Brassica crispa Germ. krauß Köl.

Braßica cum rapa siue Caulorapum in horto Ill. Com. in Wisensteig. Dod. pingenti hist. *L*at. pempt. 5. lib. 1. cap. 7. Brassica caule Rapum gerens, Rapæcaulis vulgò. *L*ob. icon. Pl. pag. 246. Rapa Brassica peregrina caule rapum gerens.

Rapæ in Wisensteig in horto Ill. Com. Trago pingenti lib. 2. cap. 61. Ruben / Rapum. Lob. icon. Pl. p. 107. Orbiculatum seu turbinatum rapum maius.

Rapa longa depicta in Matthiolo in Diosc. lib. 2. c. 104. Primùm vidi Gœppingæ allatas Vlmâ venales: parte superiore rubebant mense Augusto. Mense Octobri vidi etiam in Bol, pueri attulerant vendendas ex Willa vrbe, nō

omnes rubebant vt priores. Octobris fine nactus sum Gœppingâ ex horto Ill. E. C. longitudinis cubidi & semis, ad palmum rubentes, quam partem dicunt supra terram extare.

Raphanum nigrum attulit mihi Hortulanus Illust. E. C. ex horto Gœpping. duplicem, vnum paruum qualem aliquando vidi Argentinâ missum, & qui Montbelgardi etiam prouenit in horto Ill. E. C. magnus crassus est. Viderentur diligentiùs non indagāti duo genera, verùm tempus sationis tantum differentiam facit in radicis forma: vterq; mense Octobri datus, anno sequenti in horto admir. Baln. rohte Rettich. Gesnero de hortis f. 275. Raphanus cortice nigricante. Lobelio icon. Plantini p. 202. Raphanus niger.

Raphanus crassus albus radice extra terram non protuberante, medio Octobri Gœppingâ allatus ex horto Ill. E. C. sequenti anno in horto adm. Baln. Tragus pingit lib. 2. cap. 62. Rettich / Raphanus. Dod. hist. Lat. pemp. 5 lib. 3. cap. 5. Raphanis siue radicula satiua Germ. Rettich.

Raphanus radice extra terram eminente purpureus, Studg. in horto Ill. E. C. & Montbelg.

Rapistrum flore luteo, florens Augusto, Septemb. & Octobri. Dod. hist. Lat. pemp. 5. lib. 3. cap. 3. Rapistrum nonnullis Sinapi sylu. Germ. Hederich.

Rapistrum flore subcœruleo florens Augusto, cum siliquis Septembri, & Octobri, Lob. icon. Pl. p. 199. Rapistrū flore albo Erucæ foliis. Trago lib. 1. cap. 32. Sinapi agreste tertium.

Raphanus sylu. in Bol, & sequenti anno in horto admir. Baln. Trago pingenti lib. 2. cap. 63. Meerrettich / Armoracia. Lob. icon. Pl. p. 330. Raphanus rusticanus.

Lepidium folio Laurino siue Pauli in horto Ill. Com in

Wisensteig. Trago pingenti lib.1.cap.28. Lepidion, Pfefferkraut/Senffkraut. Brunfelſ.tom.3.Rhapſ.46. Piperitis. Lob.obſ.p.172.& icon.Pl.p.318. Raphanus ſylu. officinarum, Lepidium Aeginetæ.

Lunaria maior in horto Il. Com. in Wisensteig/& Gœppingæ in horto Illuſt.E.C. ſemine maturo Auguſto. Et ſequenti anno in horto adm.Baln. Silberblumen. Dod.hiſt. Gal.lib.2.cap.6. Viola latifolia. Lob.obſ. p.174. & icon.p. 322. Lunaria Græca, Bulbomac.

Heſperis in horto Ill. Com. in Wisensteig & Gœppingæ in horto Ill.E.C. florens Auguſto, anno ſequenti in horto adm.Fontis. Trago pingenti lib.1.cap. 194. Winter Violen/groſſe Violen. Hermolao Barbaro Perſica & Parthica, peregrina viola. Fuchſio icon.p.257. Leucoium album & purpureum. Lobel.obſ.p.175.& icon.Pl.p.223. Viola matronalis ſiue Damaſcena.

Leucoium luteum flore ſimplici in Bol, & ſequenti anno in horto adm.Baln. Trago pingenti lib.1.c.191. Geel Violen. Lob.icon.Pl.p.330. Leucoium luteum, Keiri.

Leucoium flore pleno luteo in horto Ill.E. C. Gœppingæ. Lob. icon. Plan.pag.331. Leucoium ſiue Keyri duplici flore.

Leucoia hyberna, Winter Violen ſequenti anno in horto adm. fontis, vnum genus flore albo.

Myagrum quibuſdam alterum, ſiliqua longa, florens Septembri propè Eichelberg/ & circa Bol florens Auguſt. inter ſegetes, vti etiam Gaſpar Bauhinus obſeruauit, circa Gœppingam: Lobelio Myagrum alterum. Thlapſi effigie & icon. Plantini p.225. Cameline, Myagrum alterum.

Myagrum ſemine maturo Auguſto, Trago pingenti lib. 2.cap.28. Flachßdotter. Seſami ſpecies.

Barbarea Dod. pingenti pempt.5. lib.4. cap. 20. Barbarea, Germ. S. Barbarenkraut. Trago lib. 1. cap. 32. Herba S.Bar-

S.Barbaræ & Sinapi agreste 5. Lob.obs.p.104,& icon.Pl. p.207.Barbarea siue Pseudobunias.

Sophia quorundam, in suburbio vrbis Kirchen. Trago pingenti lib.1.cap.111. Wurmkraut/Welsamen/Seriphiū Germanicum Lob.obs.p.426,Iconum Pl.p.736. Sophia chirurgorum.

Eruca satiua in Wisensteig in horto Illustr. Com. Apud Tragum in hist. Germ. per Sebitzium edita Eruca maior Groß Rancken/Miror pro consueta alioqui diligentia,nō posuisse certum discrimen inter Erucam satiuam & Sinapi album,de quibus copiosius in nostra historia. Lob. obs.p.101. & icon. Pl.p.204. Eruca satiua.

Verbenaca supina Fuchsii flore luteo, Trago lib.1, cap.32, pingenti Eisenkraut das Weiblein:non vult verbenæ speciem,sed Sinapi ac potius Erysimum. Ego etiam malim ad Sinapi vel Irionem referre quàm ad Verbenam.Brunfelsio Hierobotane fœmina.Lob. in Adu. p. 69. Irio siue Erysimum Diosc.& icon. Pl.p.206.

Verbenaca: Trago pingenti lib.1, cap. 69. Verbena, Eisenkraut/Eisenth.Brunfel.tom.1. Rhaps.18. Verbena mascula.Matthiolo lib.4,c.55. in Diosc. Verbenaca. Lob. obs. p.289.Verbena Diosc.&icon. Pl.p.534. Communis Verbena & sacra vecta.

Reseda lutea ad fluuium Filß prope Gœppingam & in Kirchen. Gesn.de hortis p. 266. Reseda quam Sesamoides maius Ghinus vocabat.Lob.obs.p.110.&icon. p. 222. Reseda maxima perperàm Pycnomon Anguillaræ.

Lutea florens Augusto inter Bol & Gœppingam & in Kirchen. Trago qui depingit lib.1,c.114. Oraut aut Sterck kraut/Streichkraut Antirchinon.Matthiolo in Diosc.lib. 2,cap.157.Pseudostruthium.Lob.obs.p.190, & icon.Pl.p. 357. Luteola.

Nasturtium aquaticum florēs Augusto, Trago pingenti

lib.1,cap.24, Brunnkreß. Lobelio obs. p. 105. & icon. Pl. p. 209, Crateuæ Sion Erucæfolium.

Nasturtium aquaticum alterum ad fontem Rappenzagel/quod in historia mea generali vocabitur Sisymbrium Cardamine flore maiore: Frater Casparus Bauhinus in Philop. p. 158, li. 3, sect. 2, refert ad Sion vulgare Matthioli & Lobelij in obs. p. 106.

Nasturtium in horto Comitis in Wisensteig & sequenti anno in horto adm. baln. Trago pingenti lib. 1, c. 26, Gartenkreß/ Cardamon, Nasturtium. Brunfel. tom. 2. Rhaps. 20. Lob. obs. 107. Nasturtium & icon. Pl. pag. 212. Cardamon, Nasturtium hortense.

Thlaspi lata siliqua, florens Septembri in agris circa Bol & Teck. Hoc videtur Tragi lib. 1, cap. 27. Leuchel & Thlaspi secundum.

Thlaspi minus, aliis Alysson flore luteolo, albescente cum marcessit, florens adhuc Septembri prope Eichelberg/In horto Il. Com. in Wisensteig sponte. Historiæ gener. Lug. l. 10, c. 26. Alyssum minus Dalechampij.

Thlaspi Creticum, sequ. anno in horto adm. baln.

Piper Siliquastrum, Indianischer Pfeffer/ sequenti anno in horto adm. baln. Fuchsij hist. cap. 280, icon. p. 8. Capsicum Trago l. 2. c. 148.

Siliquastrum. Lob. obs. p. 172. Capsium, Piper Indicum. Icon. p. 316. Capsicum Actuarij siue Caninum Zinziber.

Piper siliquastrum minus, quod etiã vidi Basileæ in horto cultissimo D. Doctoris Fœlicis Plateri: Argẽtinæ apud Aromatarios magnos saccos plenos. Mirum in Rebuspub. benè constitutis permitti vt periculosum hoc Piper misceatur cum aromatibus, magnâ impostura castigatione digna, & detrimento generis humani. Lob. dicitur obs. p. 172. Capsicum breuioribus siliquis. Clusio in suis notis in Monardem p. 73. Capsicum Brasilianum.

Lysima-

Lysimachia siliquosa hirsuta flore magno purpureo florens Augusto: fortè Trago lib. 1. cap. 59. Braun Weiderich / *L*ysimachia & Salicaria altera.

Lysimachia siliquosa folio hirsuto, flosculo paruo, florens & semine maturo Augusto: Eadem folio penè glabro, flosculo cœruleo.

Lysimachia purpurea spicata.

Noli me tangere florens Aug. Trago l. 1, c. 63. Mercurialis tertia species Springkraut & cap. 100. Esula syl. *L*obel. in Aduer. p. 135. Persicaria siliquosa siue Noli me tangere & obs. p. 171. Icon. Plantini p. 318.

Persicaria maculosa flore rubro & albo, florens Augusto mense & folio non maculato, flore rubro. Trago ping. lib. 1, cap. 29, Rassel Flöchkraut / Muckenkraut / Wasserpfeffer / Pfawenkraut / Pfawenspiegel / Persicaria, Motybdena, Maculata, Plumbago. Brunfels. tom. 2, Rhaps. 3, *L*obel. obs. p. 170. Persicaria mitis. Item icon. Pl. p. 315.

Hydropiper inter Zel & fontem Rappenzagel / Brunfel. tom. 2, Rhaps. 3, Pulicaria mas. *L*ob. obs. p. 170, & icon. Pl. p. 315, Hydropiper, Persicaria, Hydropiper.

Potamogeton angustiori folio in Kirchensiũ palustribus. Cordo hist. l. 2, c. 103, Phyllitis lacustris. Dod. pemp. 4. l. 5. c. 2. Potamogeton. *L*ob. icon. Pl. p. 107, Potamogeton siue stachitis Fontinalis & spicata.

Rhabarbarum montium, *L*apathum rotundo folio in horto Ill. E. C. Gœppingæ. Gesnero de hortis in appendice p. 293. *L*apathum rotundum, aliquibus *R*habarbarũ. *L*ob. obs. p. 152, & icon. p. 287. Hippolapathum rotundifolium & pseudo *R*ha. recentiorum.

Lapathum maius in Kirchen in horto Ioh. *L*utz pharm. Dodon. pingenti hist. Lat. pempt. 5. lib. 1. cap. 25. *L*apathum satiuum. Item Hippolapathum siue *R*habarbarum monachorum. Dodo. distinguit, Ego nondum noui discrimen,

Trago lib.1.cap.104. Rumex hortensis vel.2.

Lapathum acutum siue oxylapathum semine maturo & florens Augusto. Dod. hist. Lat. pempt.5.lib.1. cap. 25. Lapathum sylu.siue Oxylapathum Mengelwurtz/Streiffwurtz/Grindwurtz/Zitterwurtz. Trago lib.1, cap.104. Lapathum acutum.Lobel.obs.p.150.& icon.Pl.284.

Lapathum rotundiore folio florens.Dod.hist. Gal lib.5. cap.9.Lapathi tertia species vel Lapathum syl.Lob.icon. Pl.p.285 Lapathum folio minus acuto.

Lapati angustifolium ferè crispum.

Oxalis.Dod.pingenti hist.Lat.pemp.5. lib.1, cap.25. Oxalis vulgò Acetosa Saurampffer.Brunfel.tom.3. Rhaps. 29.Acetosa & Lapathum acetosum.Lob.obs.p.155. Oxalis siue Lapathum oxalida.

Oxalis minima,Dod.pingenti hist.pemp.5. lib.1. cap.25. Oxalis minima,Acetosella.German.Klein Saurampffer. Trago lib.1,cap.104.oxalis minima. Lob.obs. pag.156.& icon.Pl.291.oxalis tenuifolia,sinuata,Veruecina.

Beta viridis & alba,grün vnd weiß Mangolt in hortis& sequenti anno in horto adm.baln. Dodon. pingenti hist. Lat.pemp.5.lib.1,cap.6. Beta candida,Germ. Mangolt. Trago lib.2.cap.54.Beta candida.

Beta maior alba Gœppingę in horto Ill.E.C.Groß weiß Mangolt.

Beta lutea in horto admir. baln. sequenti anno Geel Mangolt.

Beta rubra in adm.baln.horto sequ.anno Roht Mangolt.

Amaranthus, Tausentschen sequenti anno in horto adm.baln.Trago lib.1,cap.199.Circæa.Lob.obs.p.126.& icon.p.251.Amaranthus.

Blitum viride in terram se spargens.

Blitum tertium Tragi siue erectius, quod videtur pingi à Fuch-

à Fuchsio hist.cap.62.pro Blito. Germ. Mayer/ Intelligo polyspermon. Fischmelden inter eicones Nicolai Bassei siue Tabernæmontani par.2. sect.11. p.237.

Atriplex satiua, Dod.pingenti hist.Lat. pemp. 5. lib.1. c.1. Atriplex satiua, Germ. Melten/ Milten. Areum olus. Trago lib.2.cap.55. Atriplex satiua & Lob. icon. Pl.p. 194.

Atriplex syluestris. Dod.pingenti hist.Lat. pempt.5.lib. 1. Artiplex sylu.

Atriplex syluestris cum lappulis, florens Augusto, Sept. & Octob.mensibus. Dod.ping.hist.Lat.pemp.5.lib.1.cap. 1. Artiplex sylu.humillima.

Pes anserinus ramosus in Eichelberg. Dod.pingenti hist. Lat.lib.1.cap.2. Pes anserinus, Germ. Genßfuß. Trago lib. 2.cap.50. Blitum 4.& lib.1.c.101. Solanum quartum. Lob. obs.p.128. Atriplex sylu.latifolia. Item icon.Pl. p.254. Atriplex sylu.siue Pes anserinus, latifolia, laceris laciniis.

Bonus Henricus florens Augusto. Dodonæo pingenti hist.Lat.pemp.5.lib.1.cap.26. Tota bona Germ. Schmerbel & Guter Henrich Brunfel.tom.1.Rhaps.50. Gut Henrich. Lob.obs.p.129. Tota bona Spinachiæ facie icon. Pl. p.256. Tota bona siue bonus Henricus.

Parietaria in Kirchen in horto Ioh.Lutz pharm. Trago lib.1.cap.63. Tag vnd Nacht/ S. Peterskraut/ Perdicium, Muralis herba, Parietaria.

Cynocrambe ad Eichelberg & in mõte Teck propè fontem, qui stagnum paruum facit in supremo fere monte. Trago pingenti lib.1, cap.62, Wald Bengelkraut. Cynocrambe, Mercurialis sylu.

Malua minore flore. Dodo.ping. hist.Lat.pempt.5.lib.1, cap.28, Malua syl.pumila Germ. Pappeln.

Malua sylu. flore maiore florens Augusto mense. Dod. pingenti historia Lat. pempt. 5, lib. 1, cap. 28, Malua sylu. procerior.

Alcea florens Augusto mense. Dod. pingenti hist. Lat. pempt. 5, li. 1, cap. 30, Alcea vulgaris, Herba Hungarica, & Herba Simeonis, Germ. Sigmars kraut.

Malua rosea flore pleno rubello & purpureo in horto Ioh. Lutz. Pharm. Kirchens. Item Gœppingæ in horto Ill. E.C. purpureo & cinereo. In horto Il. Comitis in Wisensteig purpureo albo & rubello pleno, florentes Septembri sequenti anno in horto adm. baln. Dod. pingenti hist. pempt. 5, lib. 1, cap. 27, Malua hortensis, nonnullis Rosa vltramarina hyemalis. Germ. Garten Pappeln/ Herbstroß. Trago pingenti l. 1, c. 119, Winter Rosen/ Malua satiua.

Malua crispa in horto Ioh. Lutz ph. kirch. & Gœppingæ in horto Ill. E.C. & in horto Ill. Comitis in Wisensteig Septembri cum flore. Dodonæo pingenti pempt. 5. lib. 1. Malua crispa.

Lactuca florens August. Lob. obs. p. 121. & icon. Pl. p. 241. Lactuca satiua folio Scariolæ.

Lactuca capitata, Häuptlin Salat / sequenti anno in horto adm. baln.

Lactucæ in horto Il. Com. in Wisensteig longæ dulces. Trago l. 1, c. 8. Lactuca secunda. Iac. Theod. Taber. icon. p. 423. Lactuca Intybacea.

Lactucæ Augusto folio acuto longo in horto Il. Com. in Wisensteig. Hanc describemus & fortè figuram dabimus in historia nostra generali, quamuis descriptionem à nobis communicatã posuerit charifs. frater Casparus Bauhinus in suo Phylopinace lib. 3. sect. 61. pro Lactuca 5. & lactuca longifolia.

Lactuca Galeni sylu. flore luteo ad Rappenzagel & circa Bol florens Sept. de qua vide Gesn. & Phylopinacen.

Lactuca syluatica cœrulea siue Sonchus syluat. cœruleus in proximis syluis. Gesnero de hortis f. 263. Lactuca sylu. purpureo flore.

Intybus

Intybus satiua in Wisensteig in horto Il. Comitis. Fuchsio cap. 262. Intybum satiuum latifolium. Lob. icon. Pl. p. 233. Seris siue Intybum latifolium. Endiuia & Scariola. Ab hac non separo vt quidam, crispam, quia meo iudicio sola culturâ & mangonio videtur differre. Satam primo vere sequenti anno in horto adm. baln. vocant Zamer Endiuien. Quæ seritur æstatis fine ad hyemem reponenda & quæ crispatur Weisser Endiuien.

Cichorium florens Aug. Brunfelsio tom. 3. rhaps. 33. Solsequium. Lob. obs. p. 114. Seris sylu. icon. Pl. p. 228. Seris picris, Cichorium syl.

Cichorium flore albo Gœpp. in horto Il. E. C. & sequenti anno in horto adm. baln. Sonnenwirbel.

Locusta herba quibusdam sponte, & sequenti anno in horto adm. baln. sata, vocant Sonnenwirbel. Gesnero de hortis p. 265. Locusta à quibusdam dicta.

Lampsana quibusdam florens & semine maturo August.

Sonchus aspera folio non laciniato.

Sonchus læuis folio laciniato.

Sonchus repens multis, Hieracium maius. Fuchsio c. 119. Lob. obs. pag. 119. Icon. Plantini p. 237. Hieracium maius. Clusio in Panno. lib. 4. ca. 3. Sonchus tertius vel Sonchus læuis altissimus Clusij. Iac. Taber. icon. p. 192. Sonchus arborescens. Mihi vnius plantæ nomina, Fratri Casparo in Phylopinace lib. 3. sect. 6. p. 204. trium plantarum, & ei Sonchus 7. & 9. Item p. 209. Hieracium 1.

Hieracium asperum limitum agrorũ in mõte *Teck* & Bol.

Hierarium Sabaudum in monte *Teck*, & in monte proximo fonti adm. florens Aug.

Hieracium minus radice præmorsa, florens Augusto, Septembri & Octobri.

Hieracium multis minus dictum, foliis Cichorii florens & sem. maturo Augusto.

Hedy-

Hedypnois ſiue dens Leonis florens & ſemine maturo Auguſto menſe & Septembri : Brunfelſio pingenti in hiſtoria Germ.p.290. Pfaffenblat/Pfaffenrörlin/Gelb Sonnenwirbel/Mehrenblum die ander. Münchs Küpfflin/ Pfaffenkraut/ Apoſtemkraut. Dens Leonis, roſtrum porcinum.

Hieracium monoclonum Hedypnoidi ſiue denti leonis ſimile,ſed hirſutum, florens etiam in cœmiterio Bollenſi menſe Octob.flore ſuauiter olente.

Hierarium paruum monoclonum hirſutum.

Pulmonaria Gallorum quibuſdam dicta, quæ apud Lonicerum lib.5,cap.75.pingitur nomine Germanico Groß Meußohr: abundat circa fontem mirabilem in proxima ſylua,vbi florentem vidi Auguſto & Septembri menſe, in cuius fine ruſticus attulit mihi cum flore nomine Hüffſpickel/qua decocta in vino,abluebat vlcera, poſtea herba impoſita,quâ ſæpius ea curauit.Item prope fontem Rappenzagel florens Septembri.

Piloſella Fuchſii maior cuius picturam habet Lonicerus lib. 5.ca.70. titulo Auriculæ muris, klein Meußohr & Nagelkraut Germ. Pulchriorem figuram habet Matthiolus lib.4,in Dioſc.cap.10,vbi vires aſcribuntur:paſſim prouenit circa Boll. florentem vidi in monte Teck, menſe Octobri.

Piloſella minor cum pluribus floribus ex vno caule, cui folia quædam glabra.

Conyza Matthioli maior in monte Teck florens Octob. vt in Boll,& in monte Eichelberg. Matth.hiſt.Germ.lib.3, cap.97,groſſe Dürrwurtz/Conyza maior.Figura non placet. Quæ poſita eſt pro Bachari cap.44, meliùs placeret ſi flores reſponderent.

Conyza media florens Auguſto & Sept. prope pagum Sinningen Matth.in hiſt. Ger.l 3,c.97, mittel Dürrwurtz, Conyza media.

Conyza media minor florens Augusto mense.

Virga aurea vulgaris florens ad fontem Rappenzagel & circa Boll Septembri. Matth. in hist. Germ. lib.4. cap. 34. Heidnisch Wundkraut / Virga aurea, aliâs Solidago Sarracenica.

Virga aurea longiori folio quàm Solidago Sarracenica, florens Septembri ad fontem Rappenzagel/in mõte proximo fonti admirabili Augusto. In Kirchen florens in quodam horto.

Senetio hirsutus florens in monte Eichelberg.

Senetio cæruleus in monte Teck florens Octobri.

Senetio Germ. Creutzwurtz pictus apud Matthiolum in Diosc.lib.4.cap.92. florens Aug. Septembri, & Octobri.

Iacobea depicta apud Matthiolum in Diosc. lib.4. ca.92. sub hac inscriptione Senecio maior siue flos S. Iacobi: passim & in monte Teck florens Octobri.

Pseudoeupatorium specioso flore copiosè ad fontem acidum Nebenhausen. Trago pingenti lib.1.cap.165. Hirtzklee/Wasserdost/Albkraut/Künigundkraut/Platearius vocat Marum, quæ opinio non placet.

Pseudoeupatorium flore non specioso vel Cannabina florens Augusto.

Caltha florens Augusto Gœppingæ in horto Ill. E. C. cum maximo flore, in Wisensteig in horto Ill. Comitis & sequenti anno in horto adm.baln.Brunfels.tom.3.Rhaps. 26.Calendula.Lob.obs.p.298.& icon.p.552. Chrysanthmum & Caltha poëtica.

Chrysanthum maius folio magis laciniato Gœppingæ in horto Ill.E.C. florens Augusto mense.Matth.hist.Ger. lib.4.cap.60.Goldblum Chrysanthemum.

Doronicum in horto Ioh.Lutz pharm.Gœppingæ Matthiolo in hist.Germ.lib.2.cap.74.Doronicum. Doronici etiam speciem posuit cum falsa radice lib.4.cap.74. pro

Aconito pardaliarache, ein Geschlecht der Wolffwurtz. antehac paulò aliter ficta radix erat delineata.

Florem Africanum, vt quidam vocant, vidi in Bol flore pleno magno mense Octobri ex horto Ill.E.C. Gœppingensi,& antè Augusto in Wisensteig in horto Illustr. Comitis, vti etiam sequentes species, & sequenti anno in horto adm. balnei.

Flos Africanus quibusdam flore simplici florens Augusto Gœppingæ in horto Il.E.C.

Flos Africanus præcocior, frü Indianisch Negele/ sequenti anno in horto adm. balnei.

Flos Africanus quorundam minor flore pleno, mense Augusto in horto Ill.E.C. Gœppingæ.

Flos Africanus quorundã minor flore simplici in horto Ill. E. C. Gœppingæ & in Boll, Sametblumen/ sequenti anno in horto adm. balnei.

Flos Solis maior florens Augusto mense in horto Il.E.C. Gœppingæ & in Kirchen in horto Ioh. Lutz. ph.

Flos Solis ramosus in Kirchen vrbe in horto Ioh. Lutz pharmac.

Flos Solis minor in Wisensteig in horto Illustriss. Comitis.

Helenium Gœppingæ. Matth. hist. German. lib. 1. cap. 17. Alant/ Elenium,

Aster Atticus purpureus ad montem Eichelberg/ Matthiolo hist. Germ. lib. 4. cap. 108. Sternkraut/ Aster Atticus primus Bubonium, Inguinalis.

Aster Atticus flore albo antehac nunquam visus ad radicem montis Eichelberg florens Septembri.

Aster luteus folio molli, florens Septembri in monte è regione fontis admirabilis.

Bellis maior pingitur à Matthiolo l. 3, c. 139. in Diosc. florens Augusto, Septembri & Octobri.

Bellis minor picta apud Matth.lib.3,c.139. in Diosc.flore albo non pleno, florens Aug. Sept. & Octobri, sequenti anno in horto adm.baln.

Bellis flore pleno picta est apud Matth.l.3,c.139.in Dios. in Kirchen in horto Ill.E.C.pulchro flore fusco.

Chamæmelum vulgare non obseruaui in Boll: audio ex Chirurgo prouenire circa Kirchen vrbem, vnde accersit. Pingitur à Matthiolo in Dioscor. lib.3, cap.137. Brunfels. tom.1. Rhaps.47. Chamæmelum, tertia Parthenij species.Lob.obs.p.445,Anthemis vulgatior,icon.Pl.p.445. Chamomilla.

Chamæmelum repens nō annuum flore pleno vidi in Kirchen in horto phar.Io.Lutz,Gœppingæ in horto Ill. E. C. florens Augusto,& sequenti anno in horto adm.bal.Lob. in adu.& icon.p.771.Anglorum niueum Leucanthemum flore multiplici.

Chamæmelum fœtidum, florens Augusto Brunfels.tom. 1. Rhaps. 48. Cotula fœtida, quarta species Parthenij. Lob.icon.Pl.p.773. Cotula fœtida officinarum, Parthenium,vel Virginea.

Chamæmelum luteum quibusdam, pingitur apud Matthiolum in Dioscor. lib.3, cap.139. nomine Buphthalmi, id reperi inter Grübingen & Wisensteig florens mense Septembri. Trago lib. cap.48. Buphthalmus. Fuchs. cap.8. Chamæmelum Chrysanthenum icon.p.15. Lob. aduer.p.343.& icon. Pl.772. Buphthalmus.

Matricaria pleno flore in Kirchen in horto Ioh. Lutz pharmac. & sequenti anno in horto admirabilis balnei. Brunfels. Tom.1. Rhaps.45. Matricaria,prima Parthenij species Fuch.cap.13.Artemisia tenuifolia.icon.p.26. Artemisiæ ramosæ altera species.

Chamæcyparissus in Kirchen in horto Ioh. Lutz phar-

mac.& sequenti anno in horto adm.baln. Trago pingenti lib.1.cap.24. Cypressen/Chamæpitys.

Ptarmica Fuchsii florens Augusto. Matth. hist. Germ. lib. 2, cap. 94. Wilder Bertram/Ptarmica.1.

Tanacetum florens Augusto mense. Brunfelsio in hist. Germ. p.198. pingenti Reinfamen/Wurmsät/ Pandectario species Artemisiæ, Tanacetum, Athanasiæ, repugnante Marcello Virgilio.

Tanacetum crispum in horto Ioh. Lutz Kirchen.

Tanacetum album florens Septembri circa Eichelberg.

Millefolium stratiotes flore albo, florens Augusto, Septembri & Octobri. Item flore purpurascente. Matth. in hist. Germ. lib. 4. cap. 97. Schaffgarb. Stratiotes millefolia, vulgò Millefolium. Figura eius non placet.

Gnaphalium rectum florens Augusto, Gnaphalium alterum Matth. in hist. Germ. lib. 3. cap. 95. Ruhrkraut. Impia Plinij siue Centum cularia.

Scabiosa qualis Matthioli, ad montem Eichelberg tota fere glabra exceptis foliis prioribus, quæ nonnihil hirsuta. Brunfelsius in hist. Germ. p. 92. talem pingit cum hac nomenclatura, Scabiosa.

Scabiosa Fuchsio florens Augusto, quæ etiam Brunfelsio in herb. Ger. p. 93. dicitur Hieronymi Brunschweig/Groß Scabiosa.

Succisa florens Augusto, Brunfelsio in herbario Germ. pingenti Teuffels Abbiß/morsus diaboli.

Iacea florens Augusto.

Cyanus cæruleus in agris florens Augusto Septembri & Octobri mensibus, & sequenti anno in horto adm. baln. variorum colorum. Trago pingenti lib.1, cap.193. Kornblumen/Lychnis coronaria.

Cirsium folio magno coloris virentis in horto Io. Lutz in Kirchen.

Carta-

Cartamus in horto Ill.E.C. Gœppingæ. *Trago* pingenti Wild Saffran/Cnicus, Crocus Saracenicus & compestris.

Scolymos: pingit Matthiolus in Diosc.lib.3. cap.14. nomine Cardui: Pulchros mihi attulit Gœppingâ mense Octobri hortulanus Ill. E. C. item in Wisensteig in horto Ill.Com.& in Kirchen in horto Io. Lutz pharm. sequenti anno in horto adm.baln. Artischack.

Spina alba sylu. Germ. Weiß Wegdistel. Fuchsio cap.16. vbi figura & Dod. in hist. Gal. Acanthium in monte Eichelberg.

Carduus Marianus siue lacteis maculis notatus, anno sequenti in horto adm.baln. Brunfelsio in herb. Germ.p. 278. Fechdistel/Frawendistel/Weißdistel/ Mergendistel aut Stechkraut. Carduus Mariæ.

Carduus sylu. Dodonæi florens Augusto.

Carduus repens, florens, & semine maturo Augusto mense.

Carduus caule crispo.

Carduus capite nutante.

Carduus capite tomentoso circa Boll variis locis, in monte Teck florens Octobri.

Carduus Benedictus in Wisensteig in horto Ill. Com. & Boll,& in horto adm.baln.anno sequenti. Brunfelsio hist. Germ.p.280. Cardobenedict. Quidam volunt Carduum Diosc.alij nominant Senecionem & Erigeron Diosc. alij crassulam mediam, Lumen maius vocat Herbam Tuccam, Hieronymus Brunschweig tradit vires.

Carlina Germ. Eberwurtz/cuius duas figuras vt suspicor habet Matthiolus in Diosc.lib.3.c.9. Vnam nomine Chamæleonis albi, alteram Chamæleonis nigri alterius. Ea prouenit non longè à baln.adm.in montis planicie dicta auff Buchen/vbi est sine caule & cum caule: Quidam di-

cebat eam quæ vnum caulem haberet vnius esse anni, quæ duos duorum, quæ tres trium. Loco dicto terra multis in locis erat inuersa: dicebāt, qui me deducebāt, euertisse apros, ac illos quærere radices Eberwurtz. In monte Teck cum flore Octobri, & Sept. ad montem Eichelberg. Trago pingenti lib. 2, cap. 118. Eberwurtz. Chamæleon niger.

Carlina minor quibusdā, aliis attractilis: pingitur apud Matthiolum in Diosc. cap. 14. pro Carduo vulgari, figura non displiceret, sed titulus: passim prouenit. Fuch. hist. ca. 42. Atractylis vulgaris German. Wilder Feldsaffran: florens Augusto mense. Brunfelsius in herbario Germ. pag. 275. huius malam videtur exhibere figuram nomine Sewdistel.

Carduus echinopus, Bisem Distel à forma capitum similium pilis odoratis & musco infectis, anno sequenti in horto adm. baln.

Anonis picta à Matthiolo in Diosc. lib. 3. ca. 18. nomine Ononidis, adiectis viribus, Germanicè Hauchheckel: circa Bol vocant Weiste / abundat circa balneum florens Augusto, Septembri & Octobri: Suspicor ab Andernaco lib. de baln. in formula remedij ad calculum, vocari Aquilegium spinosum.

Anonis flore albo propè fontem mirabilem & balneum florens Augusto mense, & inter Vmbden & Kirchen/ alioqui non vulgaris: Semel vidi Montbelgardi propè Bauan, semel etiam mihi missa ex Burgundia à perito stirpium indagatore Tossano Carolo, quæ plantata fuit in horto Ill. E. C. Montbelgardi.

Calcitrapa florens Augusto mense inter Bebenhausen & Göppingen. Brunfelsius herb. p. 281. satis commodam figuram exhibet sub alieno nomine, nempe Manßtrew siue Eryngij.

Car-

Carduus pratensis florens Augusto.

Dipsacus cuius mala figura apud Brunfelsium in herbario Germ. cum his nominibus Kartendistel/Drubensteel/Weberdisteel/ Dipsacus, Labrum Veneris, Lutrum Veneris, Virga pastoris, Cardo fullonum Matth. hist. Germ. lib. 3. cap. 9. Dipsacus sylu. Wilder Kartendistel.

Virga pastoris multis Matth. hist. Germ. lib. 3. c. 9. Wilde Kartendistel. Dipsacus.

Eryngium Pannonicum in horto Io. Lutz Kirchen.

Saluia maior Breiten Salbey in hortis & sequenti anno in horto adm. bal. Lob. obs. p. 299. Saluia maior. Icon. Pl. p. 554. Saluia maior scabrior Diosc.

Saluia minor Gœppingæ in horto Ill. E. C. & sequenti anno in horto adm. baln. Schmalen Salbeyen. Brunfels. tom. 2. Rhaps. 23. Saluia. Lob. obs. p. 229. Saluia minor pinnata. Item icon. Pl. p. 555. Saluia minor.

Edel Salbey/ vt inuenio in catalogo plantarum horti adm. balnei sequentis anni. Intelligo autem eam quæ est flore albo cum magnis auriculis, qualis Studg. in horto Ill. E. C.

Sclarea vulgò, florens Septembri in monte Eichelberg. Brunfels. Tom. 2. Rhaps. 7. Eupatorium. Trago lib. 1. cap. 16. Saluia sylu. vera vel tertia. Lob. obs. p. 300. & Icon. Pl. p. 556. Horminum sylu.

Horminum vulgare hortense, odoratum florens Augusto mense in horto Illustriss. E. C. Gœppingæ & in Wisensteig in horto Illustriss. Comitis, & sequenti anno in horto admirabilis balnei Scharlach. Trago lib. 1. cap. 1. Gallitricum satiuum.

Galiopsis lutea viscida quibusdam, in Kirchen in horto Ioh. Lutz pharm. Dod. hist. flor. & Lat. in folio pempt. 2. lib. 4. cap. 23. Oruala tertia. Lob. obs. p. 301. & icon. Pl. pag. 557. Colus Iouis.

Mentha

Mentha spicata rubra in Wisensteig in horto Ill. Com. Brunfelsio in herb. Germ. p. 254. & Hyeronymo Brunschweig/ Balsamita, Mentha Sarracenica, Germ. Balsam Müntz aut Vnser Frawen Müntz.

Mentha crispa spicata in pago Bliensbach in horto.

Mentha crispa verticillata Gœppingæ in horto Illustr. E.C.

Mentha verticillata minor odore Ocimi, quæ satis commodè pingitur apud Lonicerum lib. 5. cap. 100. sub titulo Hertzkraut florens in Bol adhuc Octobri in horto: Mense Septembri reperi iuxta fossam prope pagum Wälde/ reiectam fortè ex aliquo horto.

Weiß Müntz in horti adm. bal. catalogo anni sequentis: intelligo Mentham Anglicanam albam, quam Montbelgardo ex horto Ill. E. C. misi Studgardiam: Ea interdum ramos habet in totum niueos, alios cum foliis partim virentibus, partim niueis, quosdam in quibus nihil niuei.

Menthastrum longo folio albo pictum apud Lonicerum lib. 5, cap. 101. pro Roßmüntz florens Augusto.

Mentha aruensis florens Augusto, apud Brunfelsium in herb. Germ. p. 254. ex Hieronymo Brunsch. Mentastrum Ackermüntz.

Mentha aquatica (quam Matthiolus postremis commentariis in Diosc. pingit pro Sisymbrio sylu. lib. 2. cap. 121. figura non mihi placet) in pago Vmbden eundo ex Bol Kirchen vrbem, florens in fine Septembris. Brunfelsio in herb. German. p. 254. Fischmüntz & ex Hieronymo Brunschwig/ Bachmüntz/ Mentha rubea, Mentha aquatica quibusdam Germ. Fischmüntz & Rattmüntz.

Mentha Catharia in horto Ioh. Lutz pharm. in Kirchen. Brunfelsio in herb. Germ. ex Hieronymo Brunsch. Mentha non odorifera, Nept/ Steinmüntz/ Katzenkraut.

Calamin-

Calamintha magno flore in monte Teck.

Melissa Turcica vulgò dicta flore albo & rubro in horto Io. Lutz pharm. in Kirchen/ & in Wisensteig in horto Ill. Com. sequenti anno in horto adm. fontis. Türckisch Melissen. Gesn. de hortis p. 269. Melissa vel Cedronella id est Citrago Turcica. Matthi. in Diosc. lib. 3, cap. 101. Melissa Moldauica. Lob. in adu. p. 220, & icon. Pl. p. 515. Melissaphyllum Turcicum.

Melissa sequenti anno in horto admir. baln. Melissen. Brunf. tom. 3. Rhaps. 19. Melissa. Lob. obs. p. 277. Apiastrum siue Melissophyllum icon. p. 514. Apiastrum, Citrago.

Hedera terrestris multis, Brunfelsio in herb. Germa. pingenti p. 60. Gundel Rebe Chamæcissus, Hedera terrestris, Corona terræ Germ. Erdeplew/ Erden Kräntzlin. Comiti à Neuenar Elatine Diosc.

Pulegium Gœppingæ in horto Ill. E. C. & sequenti anno in horto adm. baln. Brunfelsio in hist. Germ. ping. p. 247. Poley Pulegium.

Origanum florens ad Eichelberg Septembri flore purpureo & rubello. Trago pingenti lib. 1. ca. 10. Wolgemut/ Dosten/ Origanum.

Origanum vulgò flore albo inter Grübingen & Wisensteig florens Sept.

Origanum Creticum cum longiusculis corymbis spicas æmulantibus, flore albo & rubello Gœppingæ in horto Ill. E. C. & sequenti anno in horto adm. balnei.

Maiorana gut Meyeron/ sequenti anno in horto balnei admirabilis.

Maiorana vulgaris in Boll & annua ex semine florens in horto Illustriss. E. C. Gœppingæ mense Augusto, vbi copiosa. Trago lib. 1. cap. 8. zamer Mayeron/ oder Meyle/ Sampsuchus.

Lauendula in horto Illust. E. C. Gœppingæ, & sequenti

anno in horto adm. baln. Trago pingenti lib. 1. cap. 18. Lauendula. Casia Germ. Lauendula. Lob. obs. p. 236. & icon. Pl. p. 431. Spica Lauendula.

Rosmarinus, Roßmarin sequenti anno in horto admir. baln. Lob. obs. p: 234. & icon. Pl. 429. Rosmarinum coronarium.

Scordium in Kirchen in horto Io. Lutz phar. *T*rago pingenti l. 2, c. 123. Lauchen Knoblauch. Scordium.

Ocimum medium flore albo Gœppingæ in horto Ill. E. C. florens Augusto mense, & sequenti anno in horto admir. baln. Basilgen. Brunfels. tom. 1. Rhaps. 35. Basilicum. Lob. obser. p. 268. & icon. p. 503. Ocimum siue Basilicum medium vulgarius.

Serpyllum florens Augusto, Septembri & Octobri, duplex est. Vnum flore paruo cœruleo. Alterum flore maiore pallidiore: Habui Montbelgardi in horto Ill. E. C. etiam flore niueo quod eò attuleram. Brunfelsio pingenti Hünerkeel / Quendel / Kvenlin / Hünerklee / Wildepoley / vnser Frawen Bettstree / Hüner Serbe / Serpyllum.

Serpyllum maius in monte *T*eck florens Nouembri.

Acinos quibusdam, florens Septembri mense in Eichelberg / obseruaui etiam Octobri in monte *T*eck.

Hyssopus vulgaris florens Augusto in Boll & sequ. anno in horto adm. baln. flore cœruleo, rubro & albo. Brunfel. tom. 3. Rhaps. 80. Hyssopus. Lob. obs. p. 237. & icon. p. 433. Hyssopus Arabum Mesue & officinarum.

Satureia florens Augusto mense. Matthiolo hist. Germ. l. 3, c. 40. Saturey aut Seenon Satureia.

Thymus Gœppingæ in horto Ill. E. C.

Cannabis syluestris quibusdam flore cœruleo florens Augusto mense.

Vrtica fœtida vulgaris purpurea, maculis albis folio notato, florens in Eichelberg Sept. Eiusmodi valde frequens circa Brisacum.

Vrtica

Vrtica fœtida flore purpureo, foliis non maculatis, in Eichelberg & alibi, picta apud Matth. in Diosc. l. 4, c. 90. florens Octob. Brunfelsio in herb. German. p. 121. Dumb Nesselweiblin. Vrtica labeo Galiopsij Todnessel.

Vrtica fœtida flore albo, florens Septembri & Augusto, & in monte Teck Octobri. Brunfelsio in herb. Ger. p. 121, Daubnessel weiblein.

Vrtica fœtida minor folio caulem ambiente, florens Septembri mense in agris versus Zell.

Vrticæ fœtidæ species à Trago depicta l. 1, c. 1. titulo Heracleæ Waldnessel: inter Grüibingen & Wisensteig florés Septembri, & prope fontem Rappenzagel.

Vrticæ fœtidæ Heracleæ Tragi similis vel Stachiadi Fuchsij in monte Teck.

Vrtica fœtida angustifolia.

Ballote siue Marrubium fœtidum, florens Aug. mense. Matth. hist. Germ. lib. 3. cap. 82. Schwartzer Andorn Marrubiastrum Ballote.

Vrtica maior florens Augusto. Tragus l. 1, c. 1. Vrtica minor Heitter Nessel. Brunfelsius figuram habet herb. Ger. p. 223. sub præcedenti nomine.

Cardiaca in Eichelberg florens Sept. picta apud Matth. in Diosc. l. 4. c. 90. Brunfelsio pingenti in herb. p. 72. Andorn Mänlin.

Sideritis aquatica, florens Augusto mense variis in locis: quæ Matth. hist. Germ. l. 4, c. 33. Gliedkraut. Sideritis siue Heraclia 1.

Clinopodium vulgare Matth. in Diosc. l. 3. c. 93. vbi figura satis commoda, florens Augusto & Sept. in monte Teck mense Octobri.

Clinopodium prædictum flore albo inter Sewbad & Vrach ascendendo montem florens Septembri.

Sideritis glabra latiore folio, itinere Gœppingensi,

Matth.hist.Germ.lib.4,cap.33.Gliedkraut 4. Sideritis 4.

Sideritis Fuchsii in Eichelberg.

Ladanum rubrum segetum quibusdam, flore rubente, vel purpurascente, passim in agris florens Augusto, Sept. & Octobri. Matthiolus videtur pingere lib. 3. cap. 93. in Diosc.pro Pseudoclinopodio.

Ladanum segetum prædictum flore albo eundo Kirchen vrbem in agris, mense Octobri.

Elatine vel Veronica altera Matthioli folio rotundiori, florens Augusto.

Anthirrinum flore rubente & albo, Leibfarben vnd weissen Trachenmeuler/ sequenti anno in horto adm. balnei. Matthiolus hist.Germ.lib.4.cap.115. vocant Sterckkraut Antirrhinum.

Cristæ galli reliquiæ siciæ Septembri.

Euphrasia florens Septembri & Octobri,& antè Augusto.Brunfelsio in hist.Germ.p.34.vbi mala figura Weisser Augentrost.

Euphrasia rubra.

Melampyrum multis florens Augusto. Trago pingenti lib.2.cap.33.Kůweitzen. Triticum Vaccinum aut Bouinū.

Consolida media: Trago l.1.c.103.pingenti, gulden Gunsel: Brunfels.pingenti in her. Germ. Gulden Gunzel consolida media aut minor.

Prunella flore minori florens mense Augusto, Septembri & Octobri: Brunfelsio in herb. Germ.p.190. vbi figura non placet. Brunellen. Brunella.

Prunella magno flore purpureo ad montem Teck.

Botryn (quam Matthiolus pingit hist.lib.3. cap.113. vbi vires Germ. Traubenkraut & Krottenkraut) vidi in Kirchen vrbe in horto Io. Lutz pharm. florentem, deindè semine maturo Septembri mense: Is parat conseruam ex herba, parabat etiam in Kalb & ea vtebatur, vt ait, Medici

Pfortz-

Pfortzheimienses & Dominus Höchstetter ad affectus pulmonis. D. Rentzius medicus dixit se etiã ea vti odorata quidem conserua, sed non vsque adeo grata propter amaritudinem.

Botrys altera iuxta rupes areis Teck florens Nouemb. & Sept. in monte Eichelberg.

Pseudochamædrys. Trago pingenti lib. 1. ca. 67. Gamander/ Blumen der Leen. Vergiß mein nicht/ Helfft & Frawenbiß. Brunfelsius in suo herb. Germ. p. 249. Pingit huius speciem nomine Erdweyruach & Dannenbäumlein: sed non benè nomina Chamædrios huic tribuuntur.

Pseudochamædrys pulchra magna cum spicis & capsulis Septembri, circa Eichelberg.

Scrophularia apud Matthiolum figura l. 4. c. 90. in Dioscor. florens Augusto.

Scrophularia maior altera propè Rappenzagel fontem medicatum.

Verbascum nigrum flosculo luteo, Trago pingenti lib. 1. cap. 72. Schwartz Wulfram.

Verbascum flore paruo albo ad Eichelberg / in Kirchen. An Trago lib. 1. cap. 72. Waldwull aut Weißwull.

Verbascum vulgare flore magno luteo, Trago pingenti l. 1, c. 72. Wulfraut/ Verbascum, Tapsus barbatus.

Primula veris flore pleno, in horto Ill. E. C. Gœppingæ.

Primula veris syluatica, florens Septembri ad fontem Rappenzagel. Trago lib. 1. cap. 67. Wald Schlüsselblumen. Himmelschlüssel/ weiß Betonien. Herba paralysis.

Symphytum maius in Wisensteig in horto Ill. Comitis & sequenti anno in horto adm. baln. Walwartz. Brunfels. tom. 1. Rhaps. 9. Trago lib. 1. c. 79. Consolida maior. Lob. obs. p. 315. & icon. p. 583.

Buglossum flore minore albo & purpureo Gœppingæ in horto Ill. E. C. & in Wisensteig in horto Ill. Com.

Echium florens Sept. Matth. hist. Germ. l.4, c.29. Wilde Ochsenzung. Echium.

Echium scorpioides minus hirsutum, florens Sept. Octobri & Augusto mensibus.

Echium scorpioides speciosiori flore, aquaticum.

Cynoglossa minor ad montem Eichelberg/ florens Sept.

Lithospermum, Milium Solis, in Wisensteig in horto Ill. Com. Trago pingenti Meerhirschen/ Meergrieß/ weissen Steinbrech. Lithospermum.

Flos Mexicanus flore luteo in horto Illustr. E.C. Gœpp.

Medium quibusdam in horto Illust. E.C. Gœppingæ & sequenti anno in horto adm. baln. flore albo & cœruleo. Gesn. de hortis p.276. Rapi sylu. genus maximum. Lob. obs. p.175. & icon. p.224. Viola marina.

Campanula maior.

Cantabrica Anguillaræ.

Plantago maior hirsuta. Trago pingenti l.1, c. 55. Breiter Wegerich/ Plantago media vel alba.

Plantago latifolia glabra, Trago pingenti lib.1, c. 75. Roter Wegerich. Arnoglossa, Plantago.

Plantago angustifolia sem. maturo Augusto mense. Trago pingenti lib.1, cap.75. Spitzer Wegerich. Lanceolata, Plantago minor.

Damasonium siue Elleborine cum siliquis in monte Teck Octobri.

Betonica Coronaria siue flores Caryophyllei pleni rubri & ex rubro fusci maiores & odoratiores ac etiam cœrulei albi in Boll & sequenti anno in horto adm. bal. Trago pingenti l.1, c.198. Garyophylla altilis Graßblumen & Negelin. Fuchsio hist. cap.134. Betonica altilis. Veronica Coronaria. Item icon. 188. Lob. icon. Plan. p.441. Caryophyllus multiplex.

Betonica Coronaria flore laciniato, gefülten zazern Nägelin

gelin sequenti anno in horto adm.baln.

Betonicæ Coronariæ folio laciniato variæ species minores Zaserndägelin/sequenti anno in horto adm.baln.

Betonica Coronaria latifolia flore rubente & albo roht vnd weiß Buschnägele sequenti anno in horto ad.Fontis.

Betonica Coronaria latifolia flore pleno, Gefülten Karthemser Nägelin in horto adm.baln. sequenti anno.

Betonica coronaria repens. Frůe Felsen Nägelin/sequenti anno in horto adm. baln.

Betonica coronaria repens, Frůe Felsen Nägelin/sequenti anno in horto adm. baln;

Cuculi flos florens Septembri. *T*rago pingenti lib. 1, cap. 334. Gauchblume. Cuculi flos. Dod.hist. Gal.l.2,c.77. Vetonica sylu.Lob.icon.Pl.p.451. Armoraria pratensis sylu.

Lychnis cum summitate viscosa Gœppingæ in horto Il. E.C.Centaurium quibusdam,sed malè.

Polemonium petræum Gesneri prope Eichelberg.

Lychnis rubens in Kirchen in horto Io. Lutz phar. sequ. anno flore rubente & albo in horto adm. bal. Trago pingenti lib.1,cap.40. Märgen Rößlein. Rosa mariana, Gesnero Iouis flos.

Flos Constantinopol. semine maturo Augusto in horto Il. E.C. Gœppingæ.

Ocymoides flore purpureo florens Augusto circa Boll & sponte in Wisensteig in horto Il. Com. *T*rago lib.1, c.40. Gliedweich/Bersilgen & quibusdam Ocymoides.

Ocymoides non speciosum in agris circa Boll & Gœppingæ in horto Ill. E. C. de quo in nostra historia copiosiùs: semine maturo Augusto mense, florens adhuc Octobri in Wisensteig in horto Ill.Com. Figura *T*ragi l.1,c.40. sub nomine Gliedweich nostræ plantæ conuenit quãuis existimẽ *T*ragum in descriptione aliã plantã intelligere.

Ocymoides verrucosum quibusdam aliis Cirræa Lute-

tiana prope fontem Rappenzagel: circa Boll Aug. mense cum semine & flore.

Pycola maior. Trago pingenti lib.2.cap.53. Wintergrün/ Holtzmangelt/Waldmangelt/Beta sylu. Pycola. Limoniũ. Brunfels.tom.3.Rhaps.31. Lob.icon.Pl.p.294. Pycola.

Pycola minor. Dalechampio in editione Enar. Amati in Diosc. Ambrosia. Clus. de Pann. lib.3. cap. 23. Pycola 2.& tenentes.

Gramen Parnaßi quibusdam in proximo monte flores. Cordo hist.lib.2.cap.115. Hepatica alba. Dod. hist. Gal. lib. 4.cap. 51. Lob.obs.p.603.& icon.p.602. Gramen Parnassi montanum Hederatum.

Caltha aquatica. Trago l.1,c.44. Caltha Vergilij. Lob. obs.p.323.& icon.Pl.p.594. Caltha palustris.

Asarum copiosè prope fontem Rappenzagel. Matth. hist. Germ.l.1,c.9. Haselwurtz/Asarum.

Tußilago. Trago pingenti lib.1,cap.139. Roßhub. Tussilago.

Viola martia flore pleno albicante Gœppingę in horto Illustris. E.C.

Viola martia purpurea. Trago pingenti lib.1.c.190. Mertzenviolen/Viola nigra & purpurea.

Viola martia pallido flore siue cœruleo inodoro vel syluatica. Trago lib.1, cap.191. Hundsviolen/Viola canina, circa Boll & ad fontem Rappenzagel.

Iacea tricolor vulgo dicta, in agris flore partim albo partim luteo: Est etiam quædam valde parua florens Augusto. Trago pingenti lib.1, cap.192. Columellæ Violæ Sarracenæ, quibusdam Plinij Violæ Tusculanæ marinæ flammeæ: aliis herba Trinitatis & Iacea. Freyssam/Dreyfaltigkeit/Vnnützsorg.

Gentiana minor vulgo Cruciata dicta. Trago pingenti lib.1.cap.84. Midelgeer/Heil allen schaden/S. Peterskraut

Speren-

Sperenstich.Hieron.Brunschweig Herba Berith.ad Phyteuma Diosc.accedit.

Gentianellis affinis violæ calathianæ, florens Septembri ad Eichelberg.

Gentianella elatior angustifolia radice perenni, flore magno, florens Septembri ad montem Eichelberg. Huius meminit Tragus lib.1,cap.56.nomine Entzian & Gentianæ 3. minoris.

Gentianella singulari plerunq; flore magno & laciniato, florens Augusto in monte vicino fonti adm.

Hypericū Androscemen quibusdā caule & folio hirsuto.

Hypericum vulgare folio glabro.*T*ragus l.1,c.23. videtur pingere pro S.Johanskraut.

Hypericum ascirum multis, caule quadrangulo. Hoc pingit *T*ragus l.1,c.23.nomine Harthew: in descriptione meminit, licet minus solidè Hyperici species descripserit.

Gratiola in horto Io.Lutz pharm.in Kirchen. Matth. in hist.Germ.lib.4.cap.124.Gratiola.

Auricula muris quibusdam hirsuta flore albo calyce longo, lucido florens Augusto, Sept.& Octob.

Alsine longifolia.

Alsine aquæ innatans, Augusto, qualem pulchrum vidi in stagno extra portam Porrentrui mense Decemb.

Alsine folio serrato florēs Septembri, picta est à Fuchsio cap.hist.2.pro Alsicus 2.genere. Tragus vocat Morsus gallinæ tertiam speciem.

Alsine maxima repens, florens Augusto, Septembri & Octobri: depicta est apud Dod.hist.Gal.lib.1. cap.34. pro Alsine maiore cuius meminit Camerarius in horto p. 11. Germ. Groß Hünerserb.

Alsine vulgaris siue Morsus gallinæ pictus à Trago lib.1,cap.126.cui Hünerdärm & Vogelkraut. Fuchsio hist. cap.7.pingenti Alsines primum genus.

Alſine minima Fuchſio qui pingit hiſt. cap.7. cum ſeminibus Auguſto menſe.

Gramini Fuchſij affinis.

Anagallis, Brunfelſ.tom.1.Rhapſ.43.Lob.obſ. p.247. & icon.p. 465.

S*Erpillifolia aquatica*. An Trago l.1.c.61. Waſſer Gauchheil/hanc ego deſcribam in hiſtoria mea generali.



Numularia, Trago pingenti lib.2, c.90. Egelkraut Serpentina minor, Hirundinaria, Centummorbia.

Polygalon Tragi, florens Auguſto & Septembri. Tragus lib. 1,

lib.1,cap.196.pingit nomine Creutzblümlein. Ramsel. Polygalon Diosc.quod flore albo, quod purpureo Glaux.

Polygonum, Centinodia florens Augusto. Trago ping. l.1,c.128. Weggraß/Wegdritt/Corrigiola, Blutkraut Herba sanguinalis, Polygonum mas.

Linaria lutea vulgaris ,florens in monte Teck Octobri, circa Bol Augusto. Trago pingenti l.1,c.117. Scheißkraut/Reinkraut/Harnkraut/Flachskraut/Nabelkraut. Pseudolinum,Linaria,Vrinalis,Adulterina esula, geel Rittersporn quibusdam Osyris.

Linum, Lein/Flachß pictum apud Matthiol. hist. Germ. cap. 17. florens Augusto, Septembri ac Octobris fine ex semine deciduo. Notatu dignum quod intellexi ex Domino Io.Lutz pharmacopæo Kirchensi egregio: Silicem durum cædit, quem ,vt terendis iis quæ opus est in marmorea tabula,sit aptior,postmodum tympano machæropeorum polit, manu prehendendus ab altera parte. Cui tandem vt duritiem inuictiorem conciliet, vt ait, in oleo lini decoquit.

Centaurium minus florens Augusto : Tragus pingit & vires ascribit l.1.c.43.ac vocat Tausentgulden.

Melanthium flore maiore in Wisensteig in horto Illust. Com. Trago ping.l.1,c.3. Zam Nigella, schwartzer Coriander/Salusandria,Melanthium.

Melanthium flore minore pleno in horto Ill. Com. in Wisensteig & sequenti anno in horto adm.baln.

Consolida regalis cœrulea aruensis florens. Tragus lib. 1, c. 195. eius exhibet figuram nomine Rittersporn/suspicatur Thalictum Diosc.

Fœniculum vulgare in Boll & in horto adm. fontis sequenti anno.Brunfel.tom.2.Rhaps.4. Trago lib.1, ca.149. Fœniculum.

Anethum in Kirchen in horto Io.Lutz phar. & sequenti

anno in horto adm. baln. Dill. Brunfelsio tom.3.Rhapſ. 87.Lob.obſ.p.448.& iconum p. 776. Anethum.

Meum vulgare Beerwurtz in Kirchen in horto Ioh. Lutz pharm.Plant.icon.p.777. Daucus Creticus Fuchſij.Lob. 448.Aduer.347.Teut.947.Matth.in Dioſc.in poſt.Com. Ital.lib.3.cap.3.Meum.

Peucedanum in Kirchen in horto Lutz phar. Trago l. 2, cap.121.Peucedanum.Item Lob.icon.Pl.p.781. Dod. hiſt. Gal.lib.2.cap.94. & in Latina in folio pag. 314. Fuchſius icon. p. 343.

Silaum florens Auguſto in pratis.

Caros in pratis copioſè. Brunfel.tom.3. Rhapſ.59.& 4. p.196.Caros.

Pecten Veneris ſem.maturo Auguſto menſe, & florens Septembri in agris.Matth.in Dioſc.lib.2, cap.137. Pecten Veneris.Lob.obſ.p.419.& icon.Pl.p.726. Veneris pecten Plinij.

Cherephyllon in horto adm. baln. ſequenti anno Körbelinkraut/Brunf.tom. 3.Rhapſ.63.Cherefolium. Lob.obſ. p.419.Gnidij ſpecies videtur Cerefolium.

Aniſum florens Septembri in horto Io. Lutz pharmac. in Kirchen vrbe.Lob.obſ.p.415.& Icon. Pl.p.722.Brunf. tom.3.Rhapſ.38.Aniſum.

Coriandrum, Coriander anno ſequenti in horto admir. baln.Brunfel.tom.1.Rhapſ.34.Lob.obſ.p.403.& Icon.Pl. p.705. Coriandrum.

Petroſelinum vulgare ſiue Apiũ hortenſe,ſequenti vere in horto baln.adm.Brunfelſio tom.3. Rhapſ.44. Petroſelinum. Lob.obſ.p.405. Selinon ſiue Apium hortenſe. Icon.Pl.p.706.Apium hortenſe.

Saxifragia Hircina ſiue Pimpinella maior,florens Aug. Sept.& Octob.Brunf.tom.3.Rhapſ.4.Pimpinella.Lobel. obſ.p.413.& icon. Pl.p.720.Pimpinella maior Fuchſij.

Saxi-

Saxifragia hircina minor, florens Septembri. Trago li. 1, cap. 156. Pimpinellæ tertia ſpecies. Dod. hiſt. Lat. in fol. pempt. 2. lib. 55. cap. 21. Saxifraga parua. Lob. obſ. p. 413. & Icon. Pl. 719. Pimpinella, Saxifraga hircinia minor. Columnæ p. 76. Tragium Dioſc.

Sanguiſorba florens Auguſto. Trago lib. 1, cap. 157. Hergotts Bärtlin aut Welſch Bibenell. Pimpinella Italica. Lob. obſ. p. 412. & icon. Pl. p. 718. Pimpinella. Hanc herbam plurimi Medicorum qui ſcripſerunt, confundunt cum præcedenti herba, licet viribus multum differant & comorum ac radicum forma.

Paſtinaca ſylu. ſiue Staphylinus. Trago lib. 1, c. 147. Staphylinus ſyl. Lob. obſ. p. 416. Paſtinaca Dioſc. & Lob. icon. Plan. p. 722. Genuina ſyl. Paſtinaca Dioſc.

Carota. Trago lib. 1, cap. 147. Staphylinus. Lob. obſ. p. 416. & icon. Pl. p. 223. Paſtinaca ſatiua Dioſcorid. Daucus Theophraſti. Matth. in Dioſc. lib. 2, ca. 107. Siſer alterum. Carota rubra ſequenti anno in horto adm. baln. Rohte Rüben. Carota lutea Gelb Rüben.

Antriſcus quibuſdam ſemine aſpero.

Cicutaria florens Auguſto, Septembri, & Octobri, & Auguſto maturo etiam ſemine, quidam Myrrhidem malè ſtatuunt.

Cicuta paſſim, quam in arce Teck vidi florentem Octobri & ad montem Eichelberg. Trago lib. 1, c. 159. Lob. obſ. p. 422. & icon. p. 732. Cicuta. Frater Caſparus Bauhinus in phylop. ac alij Petroſelini vitium. Tragi lib. 1, cap. 154. & Cicutariam fatuam. Lob. icon. Pl. par. 2. p. 280. ſeparat à Cicuta & ſecundam facit, ego eandem exiſtimo, & tãtum in eo differre quod Cicuta quam vocant, ſit ex plantis quæ primo vere & æſtate proueniunt & citò cauleſcunt.

Paſtinaca Germanica hortenſis. Trago l. 1, c. 146. Paſtinaca ſatiua. Lobel. obſ. p. 407. icon. Pl. p. 709. Paſſim in

hortis & nunc etiam in horto admirabilis balnei.

Sphondylium florens Octobri & antè Augusto & Sept. Matth. in hist. Ger. l.3, c.64. Deutscher Beerenklaw/ Spondylium Diosc. vulgò Branca Vrsina.

Ligusticum vulgare in Wisensteig in horto Ill. Comitis. Brunfel. tom.3. Rhaps.44. Leuisticus. Lobel. obs. p.401. & icon. p.703. Leuisticum Germanicum Laserpitium.

Imperatoria in Wisensteig in horto Ill. Comitis. Brunf. tom.3. Rhaps.21. Astantia. Trago lib.1, cap.144. Smyrnium hortense vulgò *O*steritium Lob. obs. p.398. & icon. p.700. Imperatoria ostentium.

Angelica satiua Gœppingæ in horto Ill. E. C. & in Kirchen in horto Io. Lutz phar. & anno sequenti in horto admir. balnei. Brunfelsio tom.3. Rhaps. 21. Angelica. Lobel. obs. p.398. & icon. p.698. Angelica Smyrnium Cordi.

Angelica sylu. apud Matthiolum in Diosc. lib.4. c.101. vbi figura nō mihi videtur respondere descriptioni eius, sed esse figuram aquaticæ. German. vocatur Wilde Angelick. Lonicerus lib.5, cap.299. editionis anni 1573. habet figuram non bonam : melior est Fuchsij in historia. In Boll ac locis vicinis abundat. Hospes in Zell pago vicino nomine Buchholder (cùm mihi demonstraret fontem medicatum Rappenzagel prope quem ad riuum copiosè prouenit) celebrabat in morbis equorum, pecorum, & suum, exhibitam viridem cum potu vel siccam : ac narrabat sues laborare morbo paucis cognito, vnde sæpè sine auxilio intra octiduum moriuntur : morbum autem vocari Fäsen/ & esse internè in ore tumorem ad maxillam durum, crassitudinis pollicis, qui, si non tollatur, excrescit, & eos suffocat : Se mederi hoc modo, acu filum per tumorem traducere vt cum filo possit eum tenere & eleuare, deinde nouaculâ auferre totum tumorē, mox dare in potu hanc Angelicam & substernere roht Bucken/ id

est

eſt Artemiſiam & ſtinckend Attich/id eſt Ebulum. cum ſemine & flore Aug. Trago lib 1,c.140. Angelica ſylu.

Angelica repens in monte Eichelberg. Brunfelſio tom. 3. Rhapſ.82. Pycnocomos. Lob. obſ. p.398. & icon. Pl. 700. Podagraria Germanica aut Belgica.

Auricula leporis in monte Teck. Trago lib. 1, cap. 143. Herba vulneraria. Lob. obſ. p. 243. & icon. Pl. p. 456. Bupleucon.

Scorpioides Bupleuci folio in Kirchen in horto Io. Lutz Pharmac. Dodonæo hiſt. Gal. lib. 1, cap. 41. Scorpioides. Lobel. obſ. p.644. & icon. Pl. p.457. Scorpioides repens Bupleuci folio.

Perfoliata in horto Ioh. Lutz pharmac. in Kirchen vrbe & in Wiſenſteig in horto Illuſtriſs. Comitis, & ſequenti anno in horto admirabilis balnei. Lob. obſ. p. 215. & icon. Pl. p. 396. Perfoliatum vulgatius flore luteo folio vmbilicato.

Canabis mas & fœmina: Picturam & vires proponit Lonicerus lib. 5, cap. 175. In Boll & locis vicinis copioſa, ſed alius modus præparandi quàm Montbelgardi: vbi ſupra virentem herbam per aliquot dies extenſam relinquunt, poſtea digitis confringunt. Hîc verò & paſſim in Ducatu Vvirtembergico macerant in ſcrobibus aquæ plenis, vnde interdum graue virus exhalat, cuius præparandæ rationem Vvirtembergenſibus vſitatam icone exhibemus, quam in fine lector inueniet.

Vlmaria prope pagum Zell, & prope admirabilem fontem, & circa Boll, in Kirchen in horto Ill. E. C. Trago l. 1, c. 95. Das ander Geißbart.

Valeriana maior ſylu. florens Septembri circa Eichelberg & circa Boll. Trago pingenti lib. 1, cap. 19. Gemein Baldrian / Katzenwurtzel / Augenwurtzel / Denmarck.

marck. Valeriana vulgaris vel ſecunda. Lob. obſ. p. 411. & icon. p. 715. Valeriana ſylu.

Valeriana Græca in Wiſenſteig in horto Ill. Com. Dod. hiſt. Gal. l. 3, c. 17. Phu Græcum. Lob. obſ. p. 412. & icon. Pl. p. 716. Valeriana peregrina Belgarum.

Helianthomum luteum florens ad Eichelberg Septemb. Trago qui pingit lib. 1, cap. 73. Feld Jſop aut Heiden Jſop.

Fragaria & Fraga pingũtur aſcriptis viribus apud Matthiolum in Dioſc. lib. 4, cap. 38. Septembris 23. & 27. bubulcus attulit mihi multa & pulchra fraga matura cum floribus: habui adhuc Octobris menſe. Quidam Bollenſes mirabantur ita tardè reperiri & rem raram dicebant: Bubulus tamen ait loco eo vbi collegit ſolere aliis annis etiam prouenire: miſi Illuſtriſſimę meæ Principiſſæ Studgardiam. Germanis dicuntur Erdbeer. Menſis Nouemb. fine fructum vidi veniendo Baſilea inter Sept pagum & Florimont, & Montbelgardi in horto Ill. E. C. alba fraga matura bona. Brunfel. tom. 2. Rhapſ. 10. Trago lib. 1. c. 170. Lob. obſ. p. 396. & icon. Pl. p. 617. Fragaria.

Fragaria ſterilis. Geſnero de hortis p. 259. & Lob. obſ. p. 396. & icon. Pl. 698. Fragaria ſylueſtris ſterilis.

Quinquefolium vulgare repens, cuius radix ſiccata fit quadrata, qualem Theoph. tradit eſſe Pentaphylli: apud Matthiolum in Dioſc. lib. 4, cap. 38. bona eſt figura: ibi etiam vires traduntur ſub nomine Quinquefolij: Germanicè dicitur Fünff Fingerkraut. Lonicerus l. 5, c. 273. editionis anni 1573. Fruſtra vnius herbæ duas figuras habet cum inſcriptione Fünff Fingerkraut & Pentaphylli. Lob. obſ. p. 393. Quinquefolium ſiue Pentaphyllum vulgare. Iconum Pl. p. 690. Pentaphyllon maius flore ſubluteo.

Quinquefolium minus non repens.

Tormentilla cuius pictura eſt apud Lonicerum lib. 5, ca. 273. vbi vires tradit, Germ. Birckwurtz florens Auguſto menſe.

mense. Brunfel. tom. 1. Rhapſ. 12. Trago l. 1, c. 171. Tomentilla Icon. Pl. 696. Heptaphyllon.

Potentilla pulchrè depicta apud Matthiolum in Dioſc. lib. 4, ca. 37. ibidem vires, Germ. Genſerich. Brunfel. tom. 3. Rhap. 13. Potentilla. *T*rago lib. 1, c. 161. Anſerina. Lob. obſ. p. 395. & icon. p. 693. Argentina.

Agrimonia vulgò, apud Matthiolum l. 4, c. 37. Eupatorium, ibidem vires. Germ. Odermenig/ florens Auguſto. Brunf. tom. 3. Rhapſ. 22. Agrimonia. Lob. obſ. p. 394. & icō. Eupatoriam Græcorum, Agrimonia officinarum.

Garyophyllata vulgaris ad fontem Rappenzagel & montem Eichelberg. *T*rago l. 1, c. 21. hiſt. Germ. Benedictenwurtzel Brunfel. tom. 3. Rhapſ. 2. Garyophyllata. Fuch. hiſt. ca. 143. & icon. p. 217. Caryophyllata. Lob. obſ. p. 396. & icon. p. 693. vulgaris Caryophyllata.

Sanicula, Brunfel. tom. 1. Rhapſ. 10. Diapenſia Fuchſio hiſt. c. 260. & icon. p. 385. Sanicula mas. Fabio Columnæ p. 73. Sideritis tertia Dioſc.

Sanicula fœmina Fuchſio cum flore & ſemine Septembri in monte proximo Boll.

Alchimilla florēs Auguſto menſe. Brunfel. tom. 3. Rhap. 15. Pes leonis. *T*rago l. 1, c. 174. Lob. obſ. p. 378. Icon. Pl. p. 663. Alchimilla.

Hepatica aurea in Kirchen in horto Ioh. Lutz. Brunfel. p. 190. Hepatica. *T*rago l. 1, c. 177. *T*rifolium magnum ſeu aureum 1. Hepatica nobilis. Lobel. obſ. p. 496. & icon. p. 34. par. 2. Hepaticum trifolium.

Saxifragia aurea. Dod. hiſt. Gal. l. 2, c. 89. Lob. obſ. p. 336. & icon. p. 612. Saxifragia aurea lichenis facie.

Hepatica ſtellaris apud Lonicerum lib. 2, cap. 326. editionis 1582. Stern Leberkraut. Matriſylua. Apud Matthiolum in hiſt. Germ. à Camerario edita, wilde Röhte/ *R*ubia ſylueſtris, quàm benè, iudicent Lectores. Obſeruaui menſe

Augusto prope fontem medicatum Rappenzagel / & in monte prope fontem adm. semine maturo eodem mense in monte Teck.

Aparine Kleberkraut/quam Matth. pingit hist. Germ. cap. 69. sicuti etiam Lonicerus l. 2, cap. 327. eodem titulo, Augusto mense cum semine & flore.

Rubia minor, Lonicero l. 2, c. 329, wilde Röhte/Augusto mense florens.

Sananchica florens in monte Teck Octobri & Sept. inter Grübingen & Wisensteig.

Rubia læuis, quibusdam Alysson Plinij circa Boll in proximis montibus florens Augusto vt propè fontem medicatum Rappenzagel / florens & sem. maturo Sept. quod paruum non multò maius quàm Portulacæ, rotundum. Octobri florens in monte Kirchen.

Rubia parua quadrifolia aquatica.

Spergula florens Septembri.

Hipparis magna folio nonnihil aspero, non item caule vbi viret.

Hipparis folio tenuissimo in varias partes diuiso, mollis, fœniculo aliquatenus similis.

Hipparis minor in aruis.

Chelidonium Augusto. Trago pingenti l. 1, c. 33. Schelwurtz. Chelidonium maius.

Absinthium vulgare in horto adm. Bal. sequenti anno. Brunf. tom. 3, Rhaps. 64. Absinthium. Lob. obs. p. 433, & icon. Pl. p. 752, Absinthium vulgare, Ponticum Ruellij.

Ruta florens Aug. Trago pingenti l. 1, c. 22, zam Rauten.

Vitis Idæa angulosa. Trago pingenti l. 3, c. 13. Heydelbeer/ Stendelbeeren/Myrtilli.

Tinctorius flos Aug. florens prope Bebenhausen. Trago pingenti, l. 2, c. 8. Geel Ferbeblumen/Heydenschmuck.

Chamæspartum in monte Teck. Trago lib. 2, cap. 7, Erdpfrimen/

pfrimen/humile ſpartum, in cuius figura flores malè picti.

Portulaca maior in horto Illuſt. E. C. Gœppingæ menſe Auguſto & ſequenti anno in horto adm. bal. **Burtzel Salat.** Trago pingenti **Burgel/ Grenſel Burtzel**/Portulaca.

Anacampſeros Geſnero picta à Matthiolo in Dioſc. lib. 2, cap. 131, nomine Fabariæ quam meritò negat eſſe Telephium: Figura melior quàm Loniceri cap. 11, lib. 5, in editione anni 1573, vbi vires tradit nomine Germ. **Knabenkraut.** Brunfel. tom. 1, *R*hapſ. 37, Scrophularia media. Lob. obſ. p. 211. Telephium. Iconum Pl. p. 389. Faba inuerſa ſiue Craſſula. Nō ſolum in Boll obſeruaui, verū etiam Gœpp.

Rhodia radix in **Kirchen** in horto Ioh. Lutz phar. Trago pingenti l. 2, c. 137, hiſt. Germ. **Roſenwurtz.** Fuchſio hiſt. ca. 257. *R*hodia radix. Lobel. obſ. p. 212, icon. Pl. p. 391. *R*hodia ſiue *R*oſea radix.

Semperuinum maius vulgare depictum apud Matthiolum l. 4, c. 84, (vbi vires) **groß Haußwurtz.** Habet & Lonicerus l. 5, c. 8, Brunf. tom. 3, *R*hap. 43. Semperuiuum maius. Lob. obſ. p. 202. Alizoon, Semperuiuum maius.

Semperuiuum minus flore albo quod pictum à Matth. in Dioſcor. lib. 4, cap. 85, *G*erm. **klein Haußwurtz.** Lonicero hiſt. lib. 5, cap. 8. editionis 1573. figura vna ſatis bona nomine **Katzentreublin** quæ non diſplicet, altera pro **Hünerbeer** cuius tradit deſcriptionem nomine Pegonella Italorum, quam eandem exiſtimo malè pictam & deſcriptione non ſeparandam. Brunf. tom. 3, *R*hapſ. 42, Semperuiuum minus album. Lob. obſ. p. 205. Vermicularis ſiue Illecebra maior. Icon. Pl. p. 377. Vermicularis Craſſula minor officinarum & Illecebra maior.

Semperuiuum acre à Matthiolo pictum lib. 4, in Dioſc. cap. 86. pro Semperuiuo minore, & Lonic. nomine **klein Haußwurtz** lib. 5, cap. 8. *G*ermanicè dicitur **Katzentreublin** & **Maurpfeffer.** In monte **Eichelberg.** Brunf. tom. 3. *R*hapſ.

43. Semperuiuum minus flore luteo. Lob. obſ. p. 205. & icon. Pl. p. 379. Semperuiuum minimum.

Lingua Ceruina vulgò dicta: pingitur apud Matthiolum lib. 3, c. 104. in Dioſc. Germ. Hirtzzungen. Audio à Chirurgo non longè à Boll prouenire, nempe propè Caſtellum dirutum dictum Burckhalden.

Filix mas quam narrauit mihi Dom. Rantzius in Forojulio appendi in faſciculos, ad quos veſperi conuolent muſcæ, easq; ita facilè capi circumiecto ſacco vnicuique faſciculo. Filicem marem, Tragus l. 1, c. 187. exhibet pro Filice fœmina, & vocat Waldfarn.

Filix ad Lonchitidem accedens.

Filix folio Ceterach non dentato molli ad vulgarem marem accedens.

Filix tenuiter dentata florens.

Ruta murraria in muris templi in Boll. Trago ping. lib. 1, ca. 182. hiſt. Germ. Maurrauten.

Lichen petræum ſiue Hepatica in pago Sinnigen / qui adm. fonti vicinus. Trago pingenti Brunnen Leberkraut. Lichena petroſa & aquatica.

Muſcus petræus.

Pæonia flore ſimplici ſem. maturo & flore pleno in horto Illuſt. E. C. Gœppingæ & ſequenti anno in horto adm. baln. De Pœonia Tragus, qui pingit, l. 1, c. 200. hiſt. Germ. Peonien.

Papauer flore cinereo vngue purpureo. De papauere Tragus l. 1, c. 39. Magſamen / Mägle / Mön / ölſamen / Papauer. Brunſ. tom. 3. Rhapſ. 126. Lobel. obſ. p. 142. Dod. hiſt. Lat. in fol. pempt. 3, l. 4, c. 16.

Papauer cinereum flore pleno florens Auguſto menſe in horto Ill. E. C. & ſequenti anno in horto adm. baln. varia genera Papauerum pleno flore.

Papauer rubeum ad montem Eichelberg. Trago pingenti lib. 1,

lib.1,cap.38.hist.Germ.Klapper Rosen Kernenten/Grindmagen.Brunf.tom.3.Rhapf.15.Papauer rubrum.

Papauer luteum Corniculatum in Wisensteig in horto Ill.Com.Trago l. 1, c.39. hist. Germ. pingenti Wilder gehörnter Magsamen. Papauer cornutum. Lob.obs.p.141, & icon.p.270.Papauer corniculatum.

*Petum,*multis Nicotiana maior in horto adm. baln. sequenti anno.Gesn.de hortis p.262.Hyoscyami tertia species. Lobel.obs.p.316,& icon.Pl.p.584.Sana sancta Indorum siue Nicotiana Gallorum.

Priapeia multis Nicotiana altera florens ac semine maturo in horto Ill. E. C. Gœppingæ,& in Kirchen in horto Io.Lutz pharmac. Dod.hist.Gal. lib.3, c.92. Hyoscyamus luteus.

Halicacabus ad pagum Sinningen. Trago pingenti lib. 1,cap.111.Schlutten/Boberellen/Judenkirschen/Vesicaria. Brunf.tom.1.Rhap.33. Saxifraga rubra & quarta. Lobel. obs.p.134.& icon.p.262.Solanum halicacabus.

Pappas in horto Il.Com.in Wisensteig radice esu grata: fratri Casparo Bauhino in Phylop.lib. 5. sect.1. Solanum tuberosum.

Solanum florens Augusto, Trago pingenti lib.1,cap.101. Nachtschat/malè Solanum furiosum nominat.Brunfelsio tom.2.Rhapf.8.Solastrum. Lob.obs.p.137. & icon.p.262. Solanum hortense Circeæ aut Phasioli folio. Gesnerus de hortis p.281.Solanum luteum.

Solanum fruticosum Stychnodendros in Wisensteig in horto Ill.Com. Gesn.de hortis p.283. Stychnodendrum, Lob.obs.p.136.& icon.p.265. Amomum Plinij.

Tatula quibusdam Strammoniæ species quædam calicibus pungentibus,in horto Ill. Com. in Wisensteig & in Ill.E.C.horto Gœppingæ,sem.maturo Augusto.

Hyoscyamus vulgaris ad Eichelberg. Trago pingenti lib.

1,cap.41.Hyoſcyamus Bilſen/ Säwbonen/ Schlaffkraut/ Dollkraut.Brunf.tom.1.Rhapſ.39.Hyoſcyamus.Lob.icō. Pl.p.268. Hyoſcyamus niger ſiue Apollinaris herba altera Arabum.

Geranium gruinale.

Geranium odoratum in Kirchen in horto Ioh. Lutz pharmac.

Geranium Creticum anno ſequenti in horto adm. baln. Lobel.obſ.p.377. Geranium Creticum annuum & icon. Pl.p.662. Geranium Creticum annuum hæmatides.

Geranium moſchatum ſiue Acus moſchata pingitur à Lonicero nomine Storckenſchnabel lib.5,cap.174. Apud Matthiolum in editione ſupradicta huius Geranij non eſt figura. Hoc Geranium obſeruaui florens prope Kirchen vrbem Octobris menſe,& verſus Nabern & in monte Teck.

Geranium folio rotundo ſiue circulari, cuius duas obſeruauimus ſpecies floris magnitudine differentes: Matthiolus in Dioſc.lib.3,ca.114.pingit pro Geranio 2. Brunfelſ. Geranium 2.Hermolai.Lob.obſ.p.376.Pes columbinus ſiue Germanium alterum Dioſc.Item Icon. Pl.p.658.

Geranium batrachoides dictum quod pingitur à Matthiolo nomine Geranij 4.Apud Lonicerum lib.5,cap.173. exprimitur figurâ cum multum laudabili pro Gratia Dei & Germ. Gottes gnad.Inter Grübingen & Wiſenſteig florens Septembri.

Geranium batrachoides aliud inter Grübingen & Wiſenſteig florens Septembri etiam prope vrbem.

Geranium ſanguineum, pictum à Lonicero lib.5, ca. 173. nomine Blutwurtz. Vidi ad montem Eichelberg. Trago lib.1, cap. 114. Sanguinaria radix & Geranium tertium. Lob.Icon.Pl.p.660. Geranium Gruinum ſiue Gruinde hæmatodes.

Gera-

Geranium Robertianum, depictum à Matthiolo in Dioscor. l.3, c.114, pro Geranio tertio Dioscor. & cum figura alia malè expressum lib.4, c.31, pro Sideritide 4. Suspicor hanc eandem plantam iterum depictam loco prius citato pro Geranio 5. errore fortè Typographi in editione anni 1569, qui non habet figuram Geranij moschati. Matthiolus præterea non videtur hoc Geranium vocare herbam Rubertam, licet plerique herbarij ad diuum Rupertum referant: Circa fontem mirabilem florens vidi Augusto, Septembri, & Octobri: inueni etiam in priore ventriculo Attagenis dicti Germ. Haselhun huius Geranij capitula. Hoc Geranium pingitur apud Lonicerum lib.5, cap.174. sub titulo Germanico Ruprechskraut. Brunfels. tom.2, Rhap.11. Geranium tertium. Lob. obs. p.375, & icon. p.637. Geranium Robertianum.

Anemone 3. Matthiolo in tom. Ital. post. lib.2, cap.167. in horto Ioh. Lutz in Kirchen. Item Gœppingæ in horto Illustr. E.C.

Pulsatilla purpurea vulgaris in cacumine montis Teck. Trago pingēti l.1, c.137. Kuchenschell/ Hackekraut/ Schlottenblumen/ Herba venti. Lobel. obs. p. 149. & icon. p.281. Pulsatilla vulgaris.

Ranunculus rectus florens Augusto, Septembri, & Octobri.

Ranunculus repens florens Augusto, Septembri & Octobri.

Ranunculus hirsutus radice bulbosa prope Balneum admirabile.

Ranunculus repens flore pleno luteo in Wisensteig in horto Com. & sequenti anno in horto adm. baln. Gefülten gelben Hanenfuß.

Ranunculus flore albo pleno, Gefülten weissen Hanenfuß sequenti anno in horto adm. baln.

Ranun-

Ranunculus aquaticus florens Augusto mense.

Ranunculus folio longo florens Augusto mense & Septembri.

Ranunculus paruus bulbosus ad montem Eichelberg.

Ranunculus globoso flore, eundo Grübingen florens Septembri.

Ranunculi aquatici species folio tenuissimo flore albo Hepaticam quidam vocant, aquæ innatans in horto Ill. Com. in Wisensteig & Kirchen in horto Ill. E. C.

Elleborus niger vulgaris hortensis flore viridi. Brunfels. tom.1. Rhaps.2. Elleborus niger. Trago l.1, c.135. Elleborus niger adulterinus domesticus. Lob. obs. p.387. & icon. Pl. p.680. Helleborastum.

Elleborus niger syl. folio semper virente, fœtido. Trago lib.1, c.83. Consiligo Ruellij & Pedicularia fœtida. 3. Dod. hist. Gal. lib.3, c.78. Lycoctinum 1. Lob. obs. p. 587. & icon. Pl. p. 680. Sesamtides magnum Cordi. Item obs. p. 387. & icon. Pl. 679. Helleboraster maximus.

Aconitum cæruleum in Kirchen in horto Ioh. Lutz, & in Gœpping. in horto Ill. E. C.

Tithymalus cyparissius ad montem Eichelberg. Dod. hist. Lat. in folio pempt.3, lib.2, cap.12, & Lobel. obs. p.192. Tithymalus cyparissius. Icon. Pl. p.356. Tithymalus Cupressinus siue humilimus.

Tithymalus minimus florens mense Octobri. Trago lib. 1, cap.190. Esula exigua vel 6. Matth. in Diosc. lib.4, c.149. Tithymalus Leptophyllos.

Tythymalus helioscopius florens Septembri in Boll, & Octobri ad montem Teck. Brunf. tom.1. Rhaps.39. Esula. Trago lib.1, cap.100. Esula vulgaris & tertia. Lobel. obs. p. 192. Tithymalus helioscopius & icon. Pl. p.356. Tithymalus heleoscopius siue solisequius, portulacifolius.

Peplos Fuchsii hist. cap. 229. & icon. p.345. Lobel. obser. p.197.

p.197,& icon.p.362. Peplos siue Esula rotunda.

Tithymalus platyphyllos Fuchsij.

Tithymalus syluaticus.

Fungos magnos lactescentes obseruaui Oct. 15, in monte dicto Horn, admirab. fonti proximo, Bollenses vocant Milckling.

Fungos campestres Germ. Heiderling dictos audio prouenire propè Zell.

Fungus Morchele Germ. dictus, vt audio, prouenit propè Vilam vrbem.

Fungi digitelli albi in monte Teck Octobri.

Fungus luteus Montbelgardensibus Chanterelle.

Fungus albus paruus admodum vix ad vnciam digiti se attollens, ac etiam multò minor, qui instar calicis crescit, plicaturis & foliis se externè demonstrantibus, non sub pileolo, vt in reliquis. Pileolus enim inuersus facit veluti scutellum: sunt etiam maiores altitudinis trium digitorum & latitudine duos excedentes. Obseruaui Sept. 22. in prato loco cliuoso propè Wälde & iuxta viuarium, quod curauimus parandum ad fossas balnei admirabilis, Octobris 14.

Fungi minimi lutei, viscidi externè mense Septembri in prato.

Fungi cum pediculo satis breui & crasso ex luteo pallescentes capitulo siue pileolo turbinato.

Fungi multi simul longis & elatis pediculis non crassis nixi, luteoli à radicibus arborum puto, Septembri.

Fungi parui vndiq; luteoli, pediculo tenui admodum, longo ad tres digitos, pileolo turbinato medio Octobri prope stagnum balnei admirabilis sub arboribus.

Fungus paruus albus cùm luteola parte in summitate capituli visco nitente resplendens, subtus cinereis plicis, altitudine sex ferè digitorum.

Fungus paruus albus, pileoli superior pars alba, reliquũ autem ex luteo rubebat, cauliculi duorum digitorum erant, supra lignum putridum Sept. circa baln. mirabile.

Fungi puluerulenti, de quibus Lonicerus lib. 4. cap. 112. vbi vocat ouatos & Gallorum crepitus lupi, Germ. Bubenfist. Circa fontem mirabilem adhuc fine Septembris vidi nondum in puluerem conuersos, albos externè & internè: supra montem Horn in planitie vidi Octob. 15. magnos pugnum excedentes.

Hactenus, quantum per negotiorũ vndas trimestri spacio obseruare obiter licuit, plantas agri Bollensis & vicini ὡς ἐν παρόδῳ recensuimus, neque dubitamus, quin si in aliud tempus incidissemus, alias ab his animaduersuri fuerimus, adeoque & eo ipso tempore, quod illic exegimus occupatissimi, si vel in campos liberiùs excurrere, vel montium iuga conscendere, vel tesqua ingredi, vel densas syluas lustrare, vt libuit, ita per temporis angustiam & negociorum molem licuisset, maiores adhuc naturæ in hoc genere opes magnificentiùs illustrassemus: Id quod in præsens negatum, si iterato itinere, (ferentibus ita rebus meis & erga Ill. E. C. officio) loca ea diligentiùs perscrutari dabitur, locupletiùs compensabimus. Hîc verò recensione nuda contenti eo potissimum nomine fecimus, quòd iustum tum de his tum aliis plerisq; omnibus herbis opus & historiam generalem in lucem dare prope diem cogitamus.

De animalibus, vt insectis, piscibus, auibus, quadrupedibus. Cap. III.

LOngè lateq; diffusa est de insectis historia, offerentibus se quotidiè formis, vel planè nouis fœcundæ naturæ liberalitate, vel certè non antè animaduersis: nos inter negotiorum vndas quantum licuit tribus mensibus obiter obseruata paucula hîc damus, quorum quæ capta erant,

erant, ſolum pingimus: reliquorum ὡς ἐν παρόδῳ viſornm non item potuimus.

Apis Germ. Bine/Imme/ Lonicero pingenti lib. 2. In Boll habet examina & apiaria. In pagis inter Abbatiam Alberſpach & Rotenburgum obſeruaui ruſticos ſeparatim diſponere ſua aluearia & ea tegere longo ſtramine.

Veſpæ, Weſpen.

Ein Hummel Octobris menſis medio vt vocant: Lonicero lib. 2. Hurniſſen Crabrones.

Klein Hummel.

Muſca, Fliege/Muck. Lonicerus pingit l. 2, minor.

Muſca maior.

Hornuß / magnæ muſcæ quæ pungunt, quæ authore Roberto Stephano in Lexico dicũtur Virg. Oeſtrum Gallicè *vn tahon*.


Locuſtæ maiores. *Minores*.

Papiliones mediocres lutei.

Papiliones maiuſculi albi.



Papilio cinereus paruus per cubilia menſe octobri volitans.



Papilio ſubalbidus exiguus corpore teretri gracili.



Bupreſtis Kuölſter Lonicero l. 2. pingẽti aliâs Germ. Goldkeffer: attuli ex Kirchen 1596. Sept. 24. recluſus viuebat adhuc Ianuarij 15. anni 1597.



Cantharis auricolor, à pennas integente cruſta aurea, cui caput paruum fœto virore arridet. Cornicula ad caput, pedeſque, vt in aliis ſimilibus inſectis.



Scarabei genus.



Poſſet ad Bupreſten referri, qui Ger. **Goldkeffer** dictus : magis tamen mutabili colore, pro varia ad lumen obuerſione. Captus 24. Sept. 1596, in **Kirchen** / viuebat adhuc in charta Ianuarij 15. anni 1397.



Cantharis guttata, quæ aſellorum inſtar attactu conglobatur.



Scarabeus paruus nonnihil compreſſus, alis rubris punctis nigris ita affabre variato, vt faciem humanam quodãmodo æmuletur. Quibuſdam Gallicè *Gelines de noſtre Dame*, id eſt, Diuæ Virginis gallinæ. In vrbe **Kirchen** obſeruatus menſe Octobri.

Scarabei genus oblongum, anguſtum fuſcum figura 4, eſt penè nigrum.



Scarabeus, Germ. **Roßkeffer**/ paruus appictus forte iunior vt putat pictor, Lonicerus l.2, pingit.

Scarabeum Maialem vulgò dictum **Meyenkeffer** vidi cũ pararentur foſſę baln. adm. menſis Octobris ſeptima.

Meyländer & **Schmaltzkeffer** Scarabei nigri, lõgi, parte poſteriore craſſa, nigra, ſimiles aliquatenus **Roßkeffer**. Dicunt pinguedinem expeti, vtilem ad vulnera : vidi menſe Septembri in **Eichelberg**.

Pauo aquaticus, inſectum ex grandiorum muſcarum genere, pulchrum, quaternis alis magnis, corpore oblongo, teſſelato colorum emblemate variegato, aquas obuolitans. Auguſto menſe vidi.


Inſectum



Insectum paruum leuissimum cruscu-lis vtrinque ternis prioribus breuioribus, posteriorũ ad corpus proportione sesquialtera, mira celeritate aquæ superficiem percurrẽs, capitulo minuto, rostello duobus corniculis extrorsum reflexis præditum: alæ binæ exiguæ dorsum subnigrum inuestiunt: Venter albicat linea ruffa per mediam longitudinem decurrente, mense Augusto super aquas obseruauĩ. Tipulam nominant, vt ex Festo est colligere, locum illum Plautinum interpretante ex Persa, Neque leuius tipulæ pondus est quàm fides lenonia.



Ex German. Wasserspin/ aranei aquatici nomen huic insecto fecimus. Colore est araneo obsoleto: cætera scarabeo similior corpore compresso, pro alis membranulas binas habens: pedibus quaternis ingreditur, duabus forpiculis capiti adnatis viam prætentat: cauda gemino spiculo, sed imbelli armata.






Eruca hirsuta vel villosa magna mensis Septembris 10. capta iuxta Eichelberg. 1597. Ianuarij 15. erat adhuc valdè viuax reclusa sine cibo. Viderã etiam non inclusam octob. 16. anni 1596. Ex rubro fusca est, partibus quibusdam rubentibus.



Eruca hirsuta alia penè eadem nisi quod plus fusci coloris habeat cum in præcedenti rubræ quædam partes appareant: picta postquam fuisset aliquamdiu captiua: capta in Eichelberg Sept. 15. octob. adhuc viuens.



Eruca pulchra cum striis albis, maior erat quàm picta, mense Sept. in Eichelberg.

Erucæ simile insectum parui digiti crassitudine pluribus pedibus capite paruo rubro in verticillum sese conuoluit, alioqui humi serpens. Insectum si quod aliud, radicibus infestum quas omnes erodendo passim vastat. Mirabili metamorphosi ad instar papilionum alas nanciscitur, & etiam alata humi repens sulcos eleuat. Montbelgardenses Galli Arettè vocant. Erucæ speciem dum fert adhuc Germanis Werre dicitur. Plinio Spondylis, quod Gaza apud Aristotelem Verticillam vertit. Vidi mense Octob. prope fontẽ adm. dum foderẽtur fossæ: Montbelg. in vna cista vbi seminaueram varia semina ad 100. inueni.

Scolopendrum siue multipedem vidi *Octobri* circa balneum mirabile.

Cochlea maior. Germ. Schnecken.

Cochlea minor qualem pingit Lonicerus l. 2. non bene sub conchæ nomine in editione anni 1573.

Limaces magni longi volutis nudi, albicantes.

Limaces paruos sine cochleis vidi Octobris mensis medio fungos rodentes.

Lacertæ minores.

Serpentes audio circa Eichelberg diuersos videri.

Araneæ.

Formicæ maiores. *Minores.*

His plura insecta dubio procul obseruabunt alij, quibus ocium & ingenium suppetit, in hoc tractu versantibus.

Perfectius his succedit auitium genus, maiore & numero & varietate nobis per Autumnum apud Bollensem fontem agentibus obseruatum.

CYgnos multos rostro nigro vidi in fossis castri Kirchē: pullos fouebant anniculos cinereos. Ger. Schwan. Lonicerus pingit lib. 2.

Cygni clamosi rostro luteo: hi oua pariunt, sed non excludunt. Idem euenit Cygnis quos habet nobilissimus vir compater meus Dominus Iacobus Vvaldner à Freudstein in fossis sui castelli Hartemschwiler in Alsatia, ij sunt valde vigilantes, & clangore quàmprimum aduentantes produnt: imo verò adoriuntur etiam propiùs accedentes & alis verberant.

Anser Germ. Ganß. Greges habent in Boll & vicinis pagis, educuntur & deducuntur instar ouium.

Anates nunc non habent, olim iis familiares. Germ. Ent pingit Lonicerus.

Anates sylu. se sistunt etiam in Boll. Wilde Ente.

Anatum paruum genus pectore albo in stagno supra vrbem Wisensteig Mergus Taucher Lonicero lib. 2.

Wasser Hünle Gœppingæ in fossis.

Ciconiæ, Storcke Germ. nidulantur in Boll.

Grues Germ. Kranch/ stato tempore auolant.

Galli Germ. Hanne/ Gallinæ Henne/ Capones Capaunen pinguntur apud Lonicerum lib. 2.

Vrogallum Vhrhan quem pingit Lonicerus lib. 2, vidi mense Sept. in vrbe Vrach mensæ Ill. E. C. illatum.

Perdix Rebhun Germ. pingitur â Lonicero l. 2.

Coturnix Germ. Wachtel. Lonicerus habet picturã l. 2.

Holtztauben/ Wildentauben in Boll. Lonicerus pingit lib. 2. nomine Palumbi.

Turtur Germ. Turteltaub. pingit lib. 2.

Columba Taub: in Boll multas habent diuersorum colorum: De Columba Lonicerus lib. 2.

Attagenes, Haselhun vocant, in fœmellæ progastrio, quod amplum, reperi mense Augusto rostra Geranij Robertiani & Sorbi aucupariæ vocatæ baccas. In Attagenis verò maris ingluuie obseruaui baccas similes Sorbo aucupariæ, sed longè seminibus differentes. Sunt enim cõpressa & lata Sambuci aquaticæ. In vẽtriculo autem Rubi semina. Figura quæ est apud Lonicerum lib. 2. non displicet.

Turdus visciuorus qui vocatur Germ. Zimmeren/ abundat, multos habuimus à mense Augusto ad Octobrem, qui capiebantur cum laqueis è setis equinis. Vocant in Boll Troßtelen/ mense Octobri discedunt. Mense Augusto in ventriculo reperi Vogelbeer id est, Sorbum Aucupariam & grana mororum Rubi, quæ pelliculam ventriculi & intestina nigro colore tinxerant.

Turdum, qui vescitur granis Iuniperi vocant Krametvogel & Wachholdervogel. Lonicerus lib. 2, pingit sub dictis nominibus. Huic generi pedicis è setis equinis non solent insidiari: interim captura est mense Octobri: sub alis planè color albus.

Turdus minor Behemerle vocant, mense Octobri capitur

tur laqueo è ſetis equinis etiam in Boll. Lonicerus lib. 2. vocat Troſteln : Hic turdus pulchrè ſub alis rubet, aliis minor, in cuius ventriculo reperi baccas iuniperi.

Merulam excoriaui captam laqueis è ſetis equinis, quã à nigredine vocant Kolampſel : pingitur à Lonicero nomine Amſel. Menſe Septembri reperi in ventriculo ſemina Oxyacanthæ Matthioli: Eum marem dicebant cui roſtrum luteum, fœmellam verò roſtro nigro cæterò pẽnis fuſcis. Menſe Auguſto aliam excoriaui quam ſimplices Amſel mihi denominarunt colore differentem. Ea multum rubri & ad luteum nonnihil tendentis ſub collo habebat. Videtur hæc deſcribi à Lonicero.

Merula alpina Bergamſel/ita mihi denominata in vrbe Kirchen/vbi menſe Septembri nactus ſum marem & fœminam, in ventriculo maris inueni fructus Sorbi aucupariæ & Oxyacanthæ Matthioli. Hanc autem ſuſpicor me vidiſſe volantem in horto Illuſtriſs. Comitis Rudolphi ab Helffſtein ſupra fluuium Filß/qui tranſit per eius hortum in vrbe Wiſenſteig/Waſſeramſel/ id eſt aquaticæ merulæ nomine illic notam.

Sturnus Starn Germanicè (quem pingit Lonicerus lib. 2.) mas & fœmina menſe Septembri frequens in pratis circa fontem admirabilem.

Graculus Germ. Heher: menſe Septembri hunc aiunt prodere fures ferarũ, eoq; nomine iis valde inuiſum, ſolere cum è ſylua feras occiſas exportant, cum garritu odioſo inſequi, quo indicio ſyluarum præfecti facilè animaduertunt adeſſe in ſyluis aliquem qui feram iaculo confoſſam ſubtrahere velit. Lonicerus lib. 2. pingit,

Pica, Atzel à Lonicero depicta lib. 2.

Coruus, Germ. Rapp/pingitur à Lonicero lib. 2.

Nebelkräe/Corui cinerei.

Cornix Kräe Germ. Lonicerus l. 2.

Monedula Daal Germ. Lonicerus lib. 2.

Cuculus Germ. Guckguck.

Picus magnus pulcher, viridis, incolis Grünspecht dictus, Lonicerus l. 2. pingit.

Picus varius Fleckspeckt Bollensibus.

Picus paruus cœruleus quem vocant Lutz.

Hasenstösser: puto eos intelligere auem pictam â Lonicero l. 2. sub nomine Geyer & Vulturis.

Miluus Germ. Weihe. Lonicerus pingit l. 2.

Sterckene similes Weye.

Habich/Accipiter: pingit Lonicerus lib. 2. Vvirsungo etiam Astur dicitur.

Sperber/Lonicerus l. 2. vocat Nisum: In Boll volunt diuersum à sequenti, licet Gesnerus distinguat tãtum sexu: fœminam vocat Accipitrem minorem Nisum Sperwer. Marem dicit vocari ein Sprintz/ Sprintzel.

Gretze vocant in Boll clamosam auem nidulantem in templi turre, aliis in locis vt Kirchen dicitur Sprintzen.

Wanweher. aliâs Wannenweyer.

Eul vocant in pago Boll lugubriter vlulantem auem. Bubonem puto depictum à Lonicero lib. 2. Auem videre non potui, quamuis vlulantem sæpiùs audiuerim.

Vlulæ alia species in Boll clamans vesperi Weck/vnde per onomatopœiam vocant Weckvogel & Todeule id est mortis Vlulam: Quidam enim sibi persuadent, eas alicui instantem mortem præsaga voce nnnciare.

Hirundo, Germ. Schwalbe/ pingitur apud Lonicerum lib. 2.

Apodes vocant Steurle.

Reinschwalbe/quasi tu Rhenacas dicas hirundines.

Vpupa Widhopff Germ. Lonicerus l. 2, pingit.

Passer Spatz/Germ. Lonicerus lib. 2. picturam exhibet nullius momenti in editione 1573.

Emme-

Emmeritz / Emberiza, quam Passerem spermologum suspicatur Gesnerus.

Philomela Germ. Nachtgal. Lonicerus pingit l.2.

Carduelis, Distelvogel/Lonicerus pingit lib.2.

Rohtwedel/mas & fœmina. Gesnero Phænicouros Aristotelis.

Golle/ Rubrica Gesnero.

Spiegelmeisen Bollensibus: Parus Gesnero.

Blaumeisele. Parus cœruleus.

Zitzegeck/ Kohtmeisen/Parus Palustris.

Rohtbrüstele/Erithacus Aristotelis & Rubercula Gesn.

Graßmücklin/ Curuca seu Curruca.

Wassersteltze Motacilla.

Alauda, Germ. Lerch. Lonicerus pingit lib. 2. Vnum genus vocant simpliciter Lerchen.

Alauda alia Heyden Lerchen aut Schopff Lerchen in Kirchen.

Alauda minima Linariæ similis Strolerchen.

Vespertilio. Fledermauß Germ. Lonicerus lib.2. pingit. Hæc hîc per transennam de auibus.

In mensa quoq; lautiores veniunt pisces, quorum non contemnendus ibi numerus & bonitas.

C*Arpio* Germ. Karpffen Lonicero lib.2. pingenti Latinè Cyprinus.

Lurwe piscis sanguinei coloris similis carpioni vel cyprino quem Gœppingenses habuerunt in fossis vrbis ex Gemind: ibi iam nullus, nec scitur an effœta natura genus defecerit.

Mullus, Barben Germ. Lonicerus lib. 2. pingit. Barbus Ausonio, teste Hadriano : Gœppingæ vidi ac etiam in Boll allatum ex pago Blockingen / qui situs ad Nicarum, vbi iungitur Filtz fluuius, vnde ascendunt copiosè certo tempore per Filtz Gœppingam.

Weißfisch/ab albedine ducto nomine, Alburnus Ausonij Gesnero: affertur ex Filso lacu, & in Boll piscis excrescens ad magnitudinem Halecis.

Percæ, Bersig Germ. de ea Lonicerus l.2.

Schleihe Lonicero lib.2 - Tencha. Gœppingæ in fossis.

Lucius, Germ. Hecht Lonicerus lib. 2. pingens, qui sibi contrarius, antè dixit Lucius ist der Macrel ein gemeiner Brattfisch/vnd nicht Hecht / welcher Lupus heißt. Hadriano autem in nomenclatore Lucius Germ. Hecht/ Lupus autem ei alius piscis.

Trutta Forellen Lonicero lib.2. Troctra Hadriano, Varius Isidoro, non infrequens in Boll. In stagno magno supra vrbem Wisensteig aiunt esse Truttas, quales multæ & magnæ in horto, in paruo viuario conseruatæ, quibus pro alimento dantur hepata: Per fontem etiam qui in horto pulchrè scaturit & viuarii modo inclusus, per foramen profundnm in rupem ascendunt.

Pfäle parui pisces, Phoxini Gesnero.

Kressen gobio fluuiatilis, quem vocant etiam Bachfisch in Boll & Gœppingæ ex fluuio Filß & Nicaro prope Blockingen.

Rohteugle pisces in Wisensteig: de iis fortè Hadrianus scribit, Erythrinus Plinio, Rubellio eidẽ à rubeo colore, ἐρυθρῖνος ὄκνη Athen. Gal. Rouget communi aliis nomine. Gœppingæ in fossis vrbis.

Gobius fluuiatilis Ausonio, qui Fundulus Barbaris dicitur Germ. Grundlin Hadrianus. Gesnero verò Gobitis fluuiatilis.

Gruppe in Boll, ni fallor Hadriano Gobius vel Gobio magno capite, etiam Gœppingæ ex fluuio Filß.

Anguilla Ael/ Gœppingæ in fossis.

Krebs Cancer, Lonicero pingenti lib.2.

Rana Frosch Germanicè.

Bufo, Krotten.

Egel/Sanguiſuga.

Minimum, inſectum, minus blatta aquaticum, inſtar piſciculi natans, valde agile, album, capite craſſiuſculo proportione corpuſculi cauda bifurca mobili. Potiſſimi hi ſunt è fluuiatilibus mihi iſtic viſis.

Claudent hiſtoriam animalia quadrupedia.

Equi multi ſatis boni, quos per æſtiuas noctes in paſcua mittunt ducuntur quoq; ex aliis locis vt Vlmâ & Auguſtâ.

Brues & vaccæ pulchræ numeroſæ in paſcua obligari ſolito.

Ouium greges & arietum habent Bollenſes. Cum eſſem menſe Septembri in Wiſenſteig vrbe vicina oblatum in cibo caput ouis, in quo obſeruaui, cupri vel auri modo dentes lucentes (qui proculdubio ſplendidiores & pulchriores erant ante cocturam) quos apud me adhuc reſeruo, in memoriam celebris illius dentis aurei pueri Sileſij à D. Iac. Horſtio pro miraculo inaudito celebrati.

Capræ.

Cerui frequentes, qui vſq; ad baln. & fontem veniunt.

Capreoli.

Sues, de quorum morbo & remedio ſcripſi ſub Angelica ſylueſtri.

Apri abundant, Octob. 15. cum inuiſiſſem fontem dictum Rechbraun iuxta planitiem montis & ſyluæ Horn non longè à Balneo mirabili vidi multis locis terram inuerſam, quę eſſet cauſa interroganti, reſponſum id feciſſe apros radicem Carlinæ ſiue Eberwurtz quærentes.

Canes pulchri magni. *Lepores.*

Martes ſiue Mardre/ vt vocant.

Iltes captus Octobri menſe.

Wiſel vocant Muſtellas tam rubras habent quàm al-

bas. Aiunt irritatas lædere pecora, quæ earum morsu intumescant: solaq; mustellæ cute si fricentur sanari.

Mures parui communes cinerei.

Mures aruenses Ruffi, vidi circa domum vel tugurium pauperum balneantiũ: vocãt Ackermeuß breuiori cauda. Vtrique mures affusa copiosa aquâ dicuntur propelli ex suis cauernulis & ita occidi posse.

Octobris 23. eundo Boll visus mus & occisus, omnino albus.

Spitzmeuß siue mures aranei: vidi vnum cum pararentur fossæ circa balneum mirabile acuto rostro, dicebant esse Wassermeuß/ & non timere aquam.

Mures magnos aruenses, qui solent auellanas & triticum coaceruare, audio vocari Wielmeuß & Haselmeuß/ coaceruant etiam glanges.

Mures magnos domesticos negant se habere.

Talpæ, quas mirabili artificio capiunt: Instrumentorum figuram in curiosorum gratiam dabimus pictam.


Tot igitur tantaque sunt è balneo nostro expectanda commoda, plura maioraq; suppeditaturo etiam, si quæ nos breui trium mensium curriculo, & quidem multorũ magnorumque negotiorum mole interim districtissimi fundamenta haud adeo, vt speramus, infœliciter iecimus iisdem pro sua quisq; virili parte superstruere nitatur, potissimumq; ij, quos ob artis Medicæ professionem nullũ decet in illustranda natura, eiusq; mirifica varietate, cum curiosa medicatæ venæ effectuum obseruatione laborem subterfugere, accedente præsertim generosæ mentis, qualem in Ill. nostro Principe harum rerum studiosissimo agnoscimus & admiramur, exemplo, vel resides animos excitaturo, vel currentibus manum porrecturo.

FINIS.


Citrum monſtroſum de maximis, quod prouenit Stutgardiæ in horto Ill. E. C. de quo pag. 140.



Cannabis hac ratione in Ducatu Vvirtemberg. in ſtagnantibus aquis, immacerata, igne in ſubiecta ſcrobe accenſo ſiccatur. refer ad pag. 199.



Inſtrumentum ligneum, quo culmi cannabis ſiccati confringuntur. Alterum itidem ligneum, gladioli forma, quo cortices à feſtucis & confractorum calamorum aſſulis alienisq; omnibus diſtrictorio verbere repurgatur. ad pag. 199.



Alliaria ad Eychelberg, & circa Boll, ſemine maturo Auguſto. Fuchſio pingenti hiſt. cap. 36. Alliaris & Alliaria, Knoblauch/Leuchel/Saßkraut. Anguillaræ Epiſt. 14. Rima Mariæ.

Aſarum copioſum obſeruaui circa fontem Rappenzagel, in monte Teck, Octobri. Trago ping. l. 1. cap. 20. Aſarũ, Nardus ruſtica, vel agreſtis, Haſelwurtz. Narrabat mihi Dn. Ioh. Lutz pharm. ſe vidiſſe, qui ℨ. j. pulueris cum vino aſſumptâ, in lecto ſe compoſuiſſent, ſubſecutumque deinde vomitum periculoſum.

Abſinthium Romanum vulgò dictum, in horto Ill. Com. in Wiſenſteig. Cordo hiſt. pl. lib. 1. cap. 65. Abrotonum candidum. Et in Dioſc. cap. 29. Wild Stabwurtz & Weiß Stabwurtz. Fuchſio hiſt. cap. 1. Abſinthium Ponticum, Ponteſcher Wermut.

Abrotonum in Wiſenſteig in horto Ill. Com. Trago li. 1. cap. 112. Stabwurtz/Schoßwurtz/Gartenhagen/Kuttelkraut/Gampfferkraut/Abrotonum. Nec eius, nec Fuchſij figura placet.

Aſparagus cum baccis Auguſt. in horto Ill. E. C. Gœppingæ. Trago ping. l. 1. c. 223. Aſparagus, Germ. Spargen.

Amaranthus maior ſemine albo, florens Auguſto in horto Ill. E. C. Gœppingæ, & in Kirchen in horto Ioh. Lutz phar.

Matth.

Matthiolo in hiſt. Germ.l.2. c.37. Groſſen Meyer, Blitum Vngaricum, Lobel. in Aduerſ. p.95. Amaranthus maior.

Biſtorta inter Grübingen & Wiſenſteig / florens Sept. Fuchſ.hiſt.c.197.Germ. Naterwurtz. Trago lib.1. c.105. Biſtorta maior, Serpentaria vulgò non ſine errore.

Aquilegia muſcoſa, ſiliqua anguloſa, in Kirchen in horto Ioh.Lutz phar.Dod.hiſt.pempt.1.lib.3.cap.3. Thalictrum.

Bardana ſiue Lappa vulgaris. Matthiolo in Dioſ. lib. 4. c.102. Groß Kletten/Perſonatia. Lappa maior, Bardana.

Bardana capitulis tomentoſis. Fratri Caſparo Lappa maior lanuginoſis capitulis, quam mihi acceptam refert: ego non ſeparo à Matthioli Perſonata ſiue Lappa maiore altera, Matth.in hiſt. Ital. & Lat. cum maioribus figuris l. 4.c.102. Dubito an fortè eadẽ planta Arction montanum & Lappa minor Galeni Lobel.obſ.p.318. & Icon.Plantini pag. 587.

Burſa Paſtoris florens Octobri in monte Teck: circa Bol Auguſto. de ea Tragus lib. 1. cap. 71. Burſa paſtoris, Pera paſtoris, Seckelkraut/Teſchelkraut/Hirtenſeckel.

Betonica florens Septembri & Auguſto. Trago ping. lib.1. c.65. Betonica, Braunbethonien. Lob.obſ.p.286. Betonica.

Antirrhinum minimum florens Auguſto: quod fortè depictũ à Matthi. in Dioſc. l.4. p.135. pro Antirrhino tertio.

Been album officinarum, prope Eychelberg florẽs Sept. Lobel.obſ.p.184. Spumeum Papauer vulgò. Iac. Theod. Tabern.Icon.part.2.ſect.1.p.298. Herba articularis, Splyſpettel. Trago lib.1.ca. 40. Gliedweich & Taubenkropff, & malè Polygonaton Dioſc.

Alſine glabra, albo flore. Auguſto florens. Hæc exhibetur in hiſt.gen.pl.lib.11.c.11.nomine Alſines vernæ. Quid ſi ad Linum potius referamus?

Aracus Fuchſii in Kirchen in horto Ioh. Lutz pharm. Dod.hiſt.Lat. pempt.4. lib.2. cap.3. Sylueſtris ſiue nigra


Bona.Matth.in hist.Ger.l.2.c.21. Wild Bonen, Faba sylu.

Anagallis aquatica ad fontem Rappenzagel & circa Bol, florens Augusto.Fuchsio pingenti hist.cap.277. Sion & Anagallis aquatica, Wasserpungen/Bachpungen. Dodo. hist.frument.Anagallis aquatica, plærisq; Becabunga.

Betonica Pauli Turnero, Veronica fœmina quibusdam, florens & semen ferens Augusto, Sept. & Octob. Huius plantæ figuram habet Dodon.hist.Lat.pempt.1.lib.2.cap. 21.nomine Veronicæ pratensis.

Alga crispa in Wisensteig in horto Ill.Com. aquæ innatans. depingitur apud Plantinum Icon. p. 286. titulo Pusilli fontilapathi, Teut.351. Trago lib. 2. cap.44. Das ander Samkraut, Alga secunda, ni ego fallor: & Clusii fortè in Pannon. lib.4. ca.23. Tribulus aquaticus minor. in hist. nostra generali plantarum Lucens fontinalis.

Fungi albi pileolo inuerso, de quibus pag.209.



Fungi

Fungi parui vndiq; luteoli, de quibus p. 209.






Fungus paruus albus cum luteola parte in summitate, de quo p. 209.


Fungi

Fungi parui superiore parte alba, altera ex luteo rubente, de quibus p. 210.





Talparum cupiendarum ratio, cuius facta mentio lib. 4. pag. 220.



FINIS.

